# MARIALE,
## SIVE
# APOPHTHEGMATA
## Sanctorum Patrum
In omnibus festiuitatibus & materijs Virg. Mariæ.

AVCTORE

*F. Gregorio Gallicano, Ordin. Min. Regular. Obseruantiæ, Prædicatore, Theologo Prouinciæ Mediolani.*

Opus Verbi Dei concionatoribus vtilissimum, in quo quidquid Beati Ecclesiæ Patres de Virg. Maria tam in omnibus festiuitatibus, quam materijs, ac membris eiusdem, scripserunt, accommodatissimè habetur.

*Reuerendiss. Patri Bernardino de Moncaluo Ordin. Min. Obser. Cismontano Vicario Generali dicatum.*




BRIXIAE, Apud Bartholomæum Fontanam.
M DC XXIIII.
*Cum licentia Superiorum.*

Reuerendissimo Patri

# BERNARDINO

## DE MONCALVO

ORD. MIN. OBS. APVD SANCTISS. pro vniuerso ordine Oratori clarissimo, ac totius Cismontanæ Familiæ Vigilantissimo

## VICARIO GENERALI.

*Fr. Leo de Rubeis eiusdem Ord. Prou. Mediol. Pater, ac Conuentus S. Angeli Guardianus.*





Ltimum diē clausurus, ac nobis postremum vale dicturus in proximo, claræ memorię, istiusq; Prouinciæ plusquā semel definitor, & Prędicator eximius, Pater Gregorius Gallicanus hunc in modum viuis verbis, & præcibus, volumen istud mihi tradens, instantissimè rogauit, vt illud ocyus (quamuis vigiliarum sua-

rum leue exordium,ſpecimenq; dumtaxàt ) ſub alicuius clariſſimi viri tutela, typis cudendum curarem, nève,in eo, quod ille raptus immatura morte,præſtare nequiuerat,ego ſollicitior eſſe deſiſterem; his dictis paulò poſt animam in manibus meis afflando ( vt piè credo ) euolauit in Cælum:Incredibile eſt Reuerẽdiſſime Pater, quam libens hoc onus ſuſceperim, cum ex hoc mihi aptiſſimum aditum pręberi conſpicerem, quo tibi obſequentiſſimum animũ meũ exteriùs propalare poſſem, qui iam intus ſimili deſiderio cõcremarat: aptiùs ergo nulli, quàm vnico tibi, hæc tutelaris protectio debebatur, qui in Apoſtolico concionandi munere, ſic ſeniorum veſtigia habes, ſic veterorũm primordia tenes, ſic cæteros omnes excelſis, vt qui ſe id plenius exprimere putaret,numero quoq; cõputari poſſe maris arenas,ſperare valeret: Sublimia ſunt,

quæ

quę volumina apologetico ſtylo in Sub tilem ſcripſiſti, eorumq; miram elegan tiam, ac altitudinē omnes ita admirantur, vt idem doctor tibi multa ſcribenti dictaſſe videatur. Mirabilia ſunt, quæ, ſapidam doctrinam cum pari ſanctimonia vitæ, ac puritatis candore coniungens, in docēdo feciſti, cum iam ex doctiſſimis ordinis, vel nulli, vel pauciſſimi ſint, qui eruditionē ſuam, à te. l. ſcri pto. l. verbo, accepiſſe non fateantur; & incredibilia ſunt, vt omnia paruis conſtringam, quæ, fidelis ſeruus, & prudēs, familiæ, ſupra quam conſtitutus es, beneficia præſtitiſti, cum eam à plurimis calamitatibus, maximis, arduisq; difficillimorum negotiorū difficultatibus ſub diuerſis Romanis Pōtificibus temporum malignitate, ac varietate, ortis, ſumma, deifica, ac prudentiſſima prudētia gloriosè liberaueris, eripueris inuictè: Quæ vero perpeſſus fueris in in-


utilia rescãdo, arida amputãdo, deprauatos mores obiurgando, & coercendo, vetustate lapsos, restituẽdo, atq; instaurando, sileo; Quibus adminiculis, diuinisq; fauoribus te semper prosecuta sit diuina Mater, ob deuotionem, qua illam mirificè colis, cuiusque laudes hìc compilantur in vnum, silentio voluo, nè humilitati, cui laboro pusillus, misceatur elatio.

Vndè si aliò me verterẽ, quomodo auctoris piç volũtatis compleretur intentũ, & ego tuorum fraudator nõ essem? Debitum hoc, quale, quale sit, ea animi regia magnanimitate, ac benignitate, quæ tibi natiua est, suscipe, obsequentis modicitatẽ aspice, & in æternum viue.

Dat. Mediolani In Conuentu nostro S. Angeli die prima Aprilis 1622.

Ob-

# Obſeruationes ad Pium, Beneuolumq́; Lectorem.



Bſeruãdum in primis circa hoc opus eſt, omnes ferè Patrum auctoritates ex proprio fonte me decerpſiſſe, vt eas reuiſere minimè ſit opus: nonnullas ob Auctorum defectum, & antiquitatem proſpicere nequiui, quanquam, vt eos Venetijs, aut alibi reperirem, ſumma vſus ſim diligentia, ac ſollicitudine; nihilominus tamen eorum ſententias iuſtè eſſe deſumptas credo, cùm Auctores, è quibus illas deſcripſi, magnæ auctoritatis ſint, quoſque vidiſſe in originalibus arbitror, Præfatas auctoritates nec declarare, nec amplificare contendi, vt quiſque Concionator in illis expendendis ſuum ingenium oſtendat acutum, ac excellens.

Secundò Prędicatorem quemcunque hoc opere munitum pluries eodem in loco, eademque de materia populis ſermonem habere poſſe, ſi enim in vnaquaque concione octo, aut decem auctoritates afferre ſat eſt, dummodò pulcherrimis ſacræ ſcripturæ conceptibus, alijſque doctis exornetur, & amplificetur, in hoc opere 30. & quandoque 40. & plures de eadem re reperies.

Tertiò obſeruandum eſt additiones meo marte eſſe poſitas, & ſuis quibuſque materijs accomodatas. Quare autem additionibus illis ſcripturales conceptus non inſeruerim ſicuti fortè debebam: hoc ideo euenit, quia (Deo dante) alium tomum

 ſolos

solos sacræ Scripturæ conceptus continentem, cuius capitula, huius capitibus respondebunt, in lucem dare cogito.

Quartò præ oculis me etiam habuisse, vt pauperibus Concionatoribus opem, atque auxilium ferrem, cùm enim omnibus concessum non sit, Patrum omnium libros habere, in hoc opere, quicquid laudis, & excellentiæ de B. Virg. Patres scripserint, videre, & legere poterit, ac si omnes illos libros haberet.

Quintò si quandoque contigerit, lectorem nonnullas Patrum sententias quoad verba immutatas, reperire, nouerit hoc diuersorum Typographorum iniuria solùm euenisse, sensus tamen semper erit germanus, & quem Patres intendere; quare propter verborum mutationem non est cur hæsitet.

# Approbatio Theologorum ordinis.

CVm de Reuerendissimi Patris Generalis mandato, Reuerendissimus Pater Bernardinus de Moncaluo Commissarius Apostolicus volumen (Apophthegmata Sanctorum Patrum in omnibus festiuitatibus, & materijs Virginis Mariæ, Auctore Fratre Gregorio Gallicano Ord. Min. Obseruan. Prædicatore Theologo Prouinciæ Mediolan.) inscriptum, nobis examinandum tradiderit, illudque accuratè inspexerimus, examinauerimusque, non solum aliquid, quod Catholicæ puritatis candori, ac fidelium moribus aduersetur reperire nequiuimus, verum tanti Prædicatoris valore dignum opus iudicauimus, typisque, & posse, & tanquam verbi Dei præconibus vtilissimum debere excudi, existimauimus; in quorum indubiam fidem hæc nostra propria manu subscripsimus. Dat. Brixiæ in nostro Conuentu S. Ioseph die 14. Iunij 1623.

*Fr. Zacharias ab Vrceis Nouis Prouinciæ Diffinitor, & Theologus.*
*Fr. Illuminatus de Mediolano S. Theolog. Lector Gener.*

---

*Facultas imprimendi Reuerendissimi Generalis.*

FRater Benignus à Genua Ord. Min. Generalis Minister, & Seruus. In Christo plurimum dilecto Patri Fratri Illuminato de Mediolan. eiusdem Ord. & Prouinciæ nostræ Mediol. Sacerdoti, & sacræ Theologiæ Lectori Generali salutem. Cum opus, quod (Apophthegmata SS. Patrum in omnibus festiuitatibus, & materijs Virg. Mariæ, Auctore Fr. Gregorio Gallicano Ord. Min. Obser. Prædicatore Theologo Prouinc. Mediol.) inscriptum, à Patribus specialiter deputatis à nobis, examinatum, & approbatum perspexerimus, vt illud Typis mandare possis, virtute præsentium (seruatis seruandis) tibi oportunam licentiam concedimus, & impartimur.

Dat. Romæ in nostro Conuentu Aracœlitico hac die 24. Mensis Iunij 1623.

*Fr. Benignus à Genua Minister Generalis.*

GLi Eccellentiss. Sig. Capi dell'Eccelso Consiglio di X. infrascritti hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoa per relatione a loro fatta dalli due a questo deputati, cioè dal Reuer. P. Inquisitor, & dal Circ. Secretario del Senato Agostino Dolce, che nel libro intitolato Apophteg mata SS. Patrum in omnibus festiuitatibus, & materijs Virginis Mariæ, auctore Fr. Gregorio Gallicano, non vi è cosa alcuna contraria alle leggi, & può lasciarsi stampare cōcedono licentia, che'l sia stampato in questa Città. Douendo vno de' libri stampati esser portato nell'Officio di sue Signorie Eccellentissime iuxta le leggi.

Dat. die prima Septembris 1623.

D. Giulio Giustinian<br>
D. Z. Fran. Basadona } Capi dell'Eccel. Cons. di X.<br>
D. Daniel Dolfino

*Excelsi Consilij X. Secret. Barth. Cominus.*

Adì 5. Settembre 1623.

Regist. nel libro delle stampe dell'officio dell'Illustrissimi Signori contra la Biastema, a carte 100

*Francesco Emo Nodaro.*

---

Frater Gulielmus Vicarius S. Inquisitionis Brixiæ.

# INDEX NOMINA SS. PATRVM, aliorumque grauissimorum, tùm antiquorum, tùm moderniorum Theologorum, qui in hoc volumine citantur.



Euche-

*Pelbar-*

*Pelbartus.*
*Petrus Damianus.*
*Petrus Grisologus*
*Petrus Alexandrinus.*
*Petrus Cluniacensis.*
*Petrus Rauennas.*
*Pius IIII.*
*Pius V.*
*Psellus.*
*Proculus Episcopus.*
*Quintilianus.*

*R*

*RIccardus Victorinus.*
*Rubertus Abbas.*
*Ruffinus.*

*S*

*SAbellicus.*
*Salmeron.*
*Scotus.*
*Seraphinus Cauaglius.*
*Sergius Hieropolytanus.*
*Simeon Metaphrastes.*
*Sibilla Tiburtina.*
*Simon de Cassia.*
*Sixtus IIII.*
*Sophronius.*
*Suarez.*

*T*

*TErtullianus.*
*Theodoretus.*
*S.Thesiphon.*
*Theophilatus.*
*Theodoricus de Apollida.*
*D.Thomas.*
*Tostatus.*
*Turrecremata.*

*V*

*VAsquez.*
*Viegas.*
*Vincentius Iustinianus.*
*Vincentius Beluacensis.*

*Z*

*ZAcharias Episcopus.*
*Zonoras.*

---

Decreta, & Concilia, ac alij quidam, qui obiter Doctoribus sacris ad maiorem vbertatem adduntur.

*Aristoteles.*
*Concilium Apostolorum.*
*Concilium Toletanum.*
*Concilium Basiliense.*
*Compendium Fratrum Minorum.*
*Decretum Vniuersitatis Parisiens.*
*Ecclesia Romana.*
*Ecclesia Græca.*
*Ecclesia Alemaniæ.*
*Galenus.*
*Kalendarium Græcum.*
*Martyrologium Bedæ.*
*Manuale Ordinis Prædicatorum.*
*Origenes.*
*Plinius.*

TABV-

# TABVLA CAPITVLORVM.



De

De

*FINIS.*

# INCIPIVNT APOPHTHEGMATA SS. Patrum.

## IN OMNIBVS FESTIVITATIBVS, & materijs B. MARIAE.

*AVCTORE*

*F. GREGORIO GALLICANO &c.*

## Qua de causa, nihil scriptum extet in Nouo testamento, de Vita, & Morte Mariæ Virginis, & annexis rebus.





REspondet Michael Glicas. parte 3. Annalium. *Scriptores Euangeliorum, nec potuisse, nec debuisse de Maria morte, alijsque connexis facere mentionem, quandoquidem sacram historiam non longiùs, quàm ad Christi in Cœlos ascendentis gloriam vsque perducere in animo habebant, Maria verò diù postea in terris mansit superstes.* *Mich. Glicas.*

Ad hæc scopum Apostolis propositum fuisse, vt præcipua fidei nostræ capita, tùm viua voce, tùm scripto complecterentur, hominumque animis maximè commendarent: quare tùm Mariæ, tùm Apostolorum gesta magis attingere, quàm explicare conguerit.

Itaque, qui de Mariæ morte, alijsque rebus adiunctis dubitat, quiuè noui testamenti scriptores de Mariæ morte tacuisse miratur, is de Apostolis etiam, eorumque certaminibus, ad mortem, & martyrium vsque durantibus,

&c an verè illi sint mortui, dubitare, ac mirari poterit,
Act.12. quãdoquidem hisce de rebus (vnum Iacobum excipio) nihil in sacris litteris conscriptum, & explicatum habemus; Superioribus autem consonat Epiphanius Presbyter
Epiph. constantinopolitanus, qui in Proemio libri sui. De Vita Virg. in hunc modum scribit.

*Sancti Apostoli, in verbo ex ea incarnato, & in actis eius, studium omne posuerunt: de Virgine verò cùm pauca quedam dixissent, stat'm praterierunt, sic Spiritu sancto dispensante.*

Vt autem hoc melius intelligatur, duo præcipuè sunt obseruanda; Alterum est quædam Sancti Thomæ doctrina 1.par.q.25.art.vlt.in solut.vlt. ab omnibus communi-
D.Tho. ter accepta. Disputat Sanctus Doctor, an Deus posset meliora facere, quæ fecit, hoc est, an posset hominem meliorem facere, quàm ipse in se est; & idem de alijs animalibus, plantis, elementis, cœlis, & planetis?

, *Et respondet non esse dubitandum, quod Deus posset essentias*
, *omnium creaturarum meliores facere, exceptis tamen tri-*
, *bus rebus, videlicet gratijs, & dotibus: quas Christo in quan-*
, *tum homini donauit, quia in eo sunt omnes thesauri, &c.*

*Alterum quod melius facere non potest, est præmium electis suis præparatum, videlicet obiectum beatificum, quod est diuina essentia; non enim potest Deus maius præmium suis tribuere, quàm suam infinitam essentiam; nam licet aliqui beati illum clariùs, quàm alij videant, & maiorem gloriam habeant; tamen gloria omnium ex parte obiecti beatifici est vnamet', quam meliorari impossibile est, non quidem in gradibus clara visionis Dei sed in eodem obiecto beatifico.*

*Tertium, quod Deus melius efficere non potest, est dignitas sua Sanctissimæ Matris, tàm magnum enim, ac tàm excellens est officium, & ministerium gignendi, & pariendi filium Dei, inquantum hominem, vt nec Deus habeat maiorem dignitatem, quam illi dare possit; nec illa maiorem dignitatem habeat, aut ministerium, quod accipiat, quam illam Sanctissimam maternitatem; atque ita eam vocat ibi Diuus Thomas dignitatem infinitam.*

Tostatus Tostatus tomo 4. in Matth. in cap. 14. cart. 75. dicit, *quòd intentio Euangelistarum fuit narrare gesta, & dicta Christi, non quidem omnia, sed solum ea, quæ, vel necessaria erant,*

*rant, vel validè vtilia ad salutem nostram.*

Similiter, intentio Euangelistarum, fuit narrare gesta Christi, pertinentia ad cognitionem Christi, & ideo fecerunt mentionem de Herode, Pilato, Caipha, Pharisæis, &c. licet mali essent, sed quia gesta Christi non poterāt plenè referri, nisi de istis multa dicerentur, ideo aliqua de illis dixerunt pertinentia ad vitam, miracula, & mortem Christi. Ità fuit de Ioanne Baptista, nam gesta eius multum attinent ad Christi historiam. Ioannes attamen non venit propter aliud, à Deo missus, nisi vt ostenderet Christum Iudæis, & disponeret eos ad suscipiendum illum. Et ideo dixit. Ecce agnus Dei, &c. Ego debeo à te baptizari.

Item de B. Virgine solū Euangelistæ scripserunt, quæ ad Christum pertinebant, scilicet quomodo eum concepit, & peperit; Lucæ primo. Et præsentauit in templo. Lucæ secundo. Fugit cum illo in Aegyptum. Lucæ primo & in passione sua stetit antè crucem. Ioannis XIX. Cætera autem vitæ suæ, licet miris virtutibus plena sint, non refferuntur ab Euangelistis.

## ADDITIO.

DIcunt aliqui immensum esse laudum Beatissimę Virginis campū, ideoque liberum vnicuique relinquere voluisse, vt de ea dicerent, quod vellent. Alij afferunt à multis auctoribus taceri aliqua, eo quod ea supponāt; vt Moses lucem non laudat, sed eius laudes præsupponit, nec de cœli motu locutus est, nec de tempore creationis aquæ, & aeris, nec de Angelorum creatione. Et quamquam Theodoretus affirmet, Mosen nihil dixisse de Angelorum creatione, quoniam si illorum pulchritudinem descripsisset, Iudæi, qui ad Idolatriam erāt propensi, eos quasi Deos adorauissent; non placet tamen hæc ratio Santo Ioanni Chrysostomo, nam paulò post agit Moses de Cherubim, qui ad paradisi ianuam cum gladio erat constitutus: locutus est item, de tribus Angelis, quos Abrahā excepit domi suæ, & de illis etiam, qui Sodomam incenderunt. *Theodo.*

Censent alij, de rebus immensis non debere rudem linguam loqui, sic enim illis fieret iniuria.

Non pauci sunt in hac sententia, quod Christus eius filius eam solus laudare voluerit, nec voluisse, vt alio stylo, alia lingua, Matris suæ laudes explicarentur. Ideoque in Canticis eam, à planta pedis, vsque ad verticem elegãter depinxit, cum ipsemet in Salomonis manibus penicillum collocauerit, vt illam describeret. Cum ergo filius ipse cronichon Matris cõscripserit, superuacaneum erat, vt alij rem eamdem tractarent.

Nonnulli inquiunt præcipuum Euangelistarum consilium, ac propositũ fuisse, ostendere humano generi; Christum non solum hominem, sed etiam Deum esse, & referre eius vitam, mortem, resurrectionem, Spiritus Sancti, missionem, & miracula, & tanquàm bonos historicos nõ debuisse ad alia digredi, quam quod cœpisset. Sic Moses historiarum scriptor, qui conditi orbis historias conscripsit, cum initio Genesis de rerum creatione tractarent, quarum prima fuit lux, non plus quam vnum verbũ protulit dicens. *Dixit Deus fiat lux, & facta est lux*. Si Demosthenes, aut Tullius Tractaturi fuissent hunc locum, quales digressiones fecissent? Quid non dixissent in laudem lucis? damna quæ fugat, commoda, quæ gignit, tenebras expellendo, terram ornando, cum aliis sexcentis, quæ dixissent, cum mille rethoricis coloribus, & admirandis digressionibus.

*S.Marc.* Euangelista S.Marcus, de Ascensu Christi ad cœlos loquens, ait *quòd postquam Dominus noster Iesus Christus locutus est eis, assumptus est in cælum*, & nihil aliud. Si Orator aliquis locuturus fuisset de Christi ad cęlos ascensu, deq; eius triumpho, quid non dixisset? Sed quia Euangelistæ explicare tantum voluerunt vitam, & miracula Christi, vt veri historici à Spirito santo edocti, qui etiam Mosen erudijt, de alia re noluerunt verba facere, quia animus eorum fuit tantum nunciare hominibus aduentum filij Dei, vitamque, & miracula, hanc ob rem, non sunt digressi, neque de Virgine, aut alia re sermonem instituerunt.

*D.Petr.* Sanctus Petrus in Actis Apostolorum, hanc affert rationem, quod Christus ipse iusserat, vt mundo vitam suam an-

annuntiarent, mortem, & resurrectionem. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo, iudex viuorum, & mortuorum* quod deindè ad Virginem pertineret fore, vt experientia ipsa, & deuotio palam faceret, vt videmus.

Sunt alii, qui dicant, quòd, cum Virgo sole sit amicta, vt eam Io. vidit Apost. 12. eius gloria obcæcat omnem humanorum oculorum aciem, quæ in eam aspicere velit, aut de ea agere, vt sol, quem non solummodò, non possumus intueri, sed neque etiam ea, quę illi proxima sunt; pari ratione, non possumus de Deo vero sole, loqui, quoniam obcæcati, neque de Virgine, quæ sole amicta est. *Ioann. Apost.*

Rupertus Abbas, in Psal. Laudate Dominum de cęlis. *Comparauit virtutes Virginis stellis firmamenti, quæ altissima sunt, & videntur semper radios eiaculari, & aciem nostram perturbare, & virtutes aliorum sanctorum comparauit planetis, quorum vnusquisque suum orbem occupat, in signum, quòd vnusquisque sanctorum habet suam virtutem, in quam possumus inspicere.* Sed Beata Virgo, præterquam, quod singularis est in omnibus suis virtutibus, huiusmodi virtutes sunt adeò altæ, & iactant radios adeò magnos, vt non possint spectari. *Rubert.*

Alij affirmant laudem, maximam, quam Euangelistæ Virgini tribuere potuerũt, fuisse, dicere nihil, aut parum de ea, quoniam Sanctissimam Virginem mensi sunt mensura rerum immensarum, quæ est, vt summa laus, quæ illis tribui queat, sit nihil de illis dicere. Aristoteles inquit, Optimorum non est laus, sed admiratio: atque ita summa laus, quam, de Deo Hieronymus, excogitauit, fuit silentium, nam. Vbi nos legimus. *Te decet hymnus Deus in Syon.* Ipse legit. *Tibi silentium, laus Deus in Sion.* Per silentium fatemur magnam insufficientiam, qualis est nostra, ad loquendum de Deo, & hoc est maximum laudis genus, quod dari Deo possit. Nunc autem metiri Virginem hac regula, est eam extollere supra omnem laudem, quæ illi tribui possit. *Aristot.* *Hieron.*

*Plinius.* Plinius reffert, Timantem pinxisse vnum ex Gigantibus, qui in Sicilia propè Aethnam incolebant, qui vnum tantum, in medio frontis oculum habebant; & quoniam

tabulam habere non poterat, quæ tantam magnitudinē caperet, pinxit eum in parua quadam tabula, cum multis, circumcirca, Satyris, qui manus ipsius digitos commensurarent, cogitationi relinquendo, quod arte exprimi non poterat. Non aliter fecere Euangelistæ cum Virgine Sanctissima, cum animaduerterent penicillum, linguam, calamumque suum, breuem nimis esse ad eius magnitudines explicandas, hominum cogitationi reliquerunt.

Alij dicunt, quod quicquid vmquam dicere possent, duobus verbis dixerunt, quæ de illa protulerunt. De qua natus est Iesus. Quoniam Euangelistæ etiam in mysterijs, quæ ad Christum pertinent, non nisi quod maximē necessarium esset, dixerunt: nihil enim est aliud Euangelium, quàm compendium. Verbum abbreuiatū fecit, &c.
Euseb. quod Eusebius de Euangelio intelligit, quoniam nimis longa res fuisset, si scripsissent omnia, propterea tantùm maximē necessaria dixerunt. De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus. Hoc sufficit, quòd est Dei Mater, nam virtute continet quicquid de ea dici potest. Hæc verba sunt principium, ex quo multæ conclusiones deduci queunt in laudem Reginæ cœlorum: & pelagus, ex quò, quātò magis hauriunt humana ingenia, tantò amplius superest hauriendum, & fons perennis omnium virtutum, & gratiarum, quas cœlum communicauit Virgini Sanctissimæ. *Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi*, inquit Anselmus. Sponsus in Canticis de
Ansel. pulchritudine Sponsæ suæ loquens, postquàm dixerat, Oculi tui columbarum, capilli tui sicut greges caprarū, dentes tui sicut greges tonsarum, labia tua sicut vitta coccinea, genæ tuæ sicut fragmen mali punici; concludit sermonem sic absque eo, quod intrinsecus latet: quasi velit dicere. Non dico quicquid est in illa pulchritudinis, quoniam dicere non possum.

Alij inquiunt, quod Euangelistæ tàm fusē locuti sunt de alijs Sanctis, vt de Sancti Io. Baptistæ Patre, de Angeli ad eum nuntio, de admiranda natiuitate, de admirabili pœnitentia, de fuga eius in desertum, de prædicatione, libertateque magna, qua concionabatur, de vita, & morte,

te, de alijs quoque Sanctis locuti sunt, vt de Centurione, cui Christus fidei laudem tribuit. De incensa Magdalenæ charitate, de Marthæ hospitalitate, de Simeonis veneranda senectute, ac sanctitate, de Annæ prophetissæ vita, quæ assiduè in templo commorabatur, &c. At de Virgine nihil aliud dixerunt, quàm duo verba. De qua natus est Iesus. Deerat fortasse Euangelistis quod dicerent, de eius Conceptione, Natiuitate, Virginitate, dolo ribus, quibus occupata est, dum in hac vita viueret. Quot virtutibus à Deo fuit honestata, vt sua digna Mater esset, vt versata est cum Christo suauiter, dum vixit, & post quam resurrexit, & in cælum ascendit: Vt versabatur cũ discipulis, vt Ierusalem, vniuersamque Christianam religionem administrabat, & tamen de his rebus, ne verbum quidem.

Et non est dicendum, Euangelistas fuisse negligentes, hoc enim dicere esset temerarium, quoniam Euangelistarum calamus mouebatur, ac regebatur à Spiritu Sancto, in quo non potest esse negligentia. Spiritu santo inspirati locuti sunt serui Dei omnes, inquit Sanctus Petrus. D. Petr.

Hinc elicio responsionem, cur Euangelistæ non sint locuti de Sanctissima Virgine, quoniam Spiritus Sãctus, qui Euangelistarum stylum mouit ad scribendũ de Christo, & alijs; non mouit ad scribendum de Sanctissima Virgine? Causam quæramus ab ipso Spiritu Sancto, & cognoscemus. Alia ratio afferri non potest, cui mens acquiescant.

## *De Conceptione Virginis Mariæ.*

VNum verissimum est supponendum, scilicet in scripturis multas propositiones, seu auctoritates vniuersales adferri, quæ commodam, & certam exceptionem requirãt, vt periti, & sanæ mentis agnoscunt, & fatentur; etenim ad omnes non pertinent, licet de omnibus tradi videantur hæ sententiæ. Exempli gratia, Gen. 6. Omnis caro corruperat viam suam super terram.

Hiere.6. A minimo vſque ad maximum, omnes auari tiæ ſtudent.

Hiere.8. Omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.

Phil.2. Omnes quæ ſua ſunt quærunt.

Ioan. 1. Illuminat omnem hominem, venientem in hunc, &c.

Marcus 14. Omnes quotquot venerunt, fures ſunt, &c.

Ioan. Omnia traham ad meipſum.

Pſalm. 13. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt.

Pſal. 115. Omnis homo mendax.

Paulus. Omnia mihi licent. Omnibus omnia factus ſum.

Ioel 2. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnẽ.

Multa alia omitto, breuitatis cauſa.

Diuus Fulgentius lib. de Incarnat. & gratia Ieſu Chriſti. cap. 35. dicit. *Diuinis eloquijs eſſe familiare, vt omnes nonnunquam dicant; nec tamen omne humanum genus, in ipſis omnibus ſemper intelligant. Habet igitur ſcriptura leges communes, ſed ſingulis Chriſti membris non accommodandas: proponit canones, ſed quibus potentiam ſuam Deus non alligauit, vtpotè ſuum ſibi ius retinens, integram in legibus relaxandis, ac de de illarum rigore, quando, & quibus ipſe vult aliquid remittendi, vt exempla nonnulla afferam.*

*Sarra nonagenaria, & Rebeccha ſterilis, filios pepererunt. Geneſ. 21. & 25. Enoch viuus ex hoc mundo, in Paradiſum trãſfertur. Geneſ. 5. Elias clauſit cælum, & aperuit. Ioſue fecit ſtare ſolem.*

*Quis verò, neſcit quàm multa, & magna fecerit Mariæ matri Deus? non ſecundum legem ſanè communem, ſed ex mera, & effuſa in illam liberaliſsimè gratia, per gratiam, inquam, non per naturam ab originalis peccati contagione exemptam facio, quæ tantò magis Chriſti Redemptoris merito, & miſericordiæ eguerit, quantò præſtantius eſt, à peccato, ne contrahatur, præſeruari, quàm à contracto mundari, nam vtrumque beneficium pertinet redemptorem, & culpam commiſſam lapſis condonare, & Mariam in perpetua innocentia, ne laberetur, conſeruare. Certè qui alterius ope, nè hoſtis mancipium fiat, maturè liberatur, redimi quidem & ille dicitur, ſuoque redemptori*

haud

*haud minus debet, quàm si captiuus ex ipsius vinculis, erueretur.*

Hinc Doctor subtilis in 3.dist.3.q. 1. geminam statuit redemptionem *subleuatiuam nimirum, & præseruatiuam; hanc verò illa nobiliorem, & perfectiorem esse, excellentissimè probat.* Non ergo Christi gloriam imminuit, sed singularē eius bonitatem, atque sapientiam, magis, magisque commendat, quod vt sæpè alias, sic etiam in Cōceptione Matris rationem filius maximam habuit. Sanctamque semper radicē, & arborē, ex qua fructus ipse sanctior prodiret, peculiari studio sibi præparauit ait. Dionysius Areopag. lib. de Diuinis nominibus cap. 8. *Scotus.* *Dionys. Areopa.*

Redemptionem etiam illam nominant Theologi, qua non sinit id, quod est, cadere ad id quod non est.

Galenus in methodo medendi lib.4. cap.3. par autem erat, si de rebus studiosi essent, illud inuenisse, duas esse functionum medici primas differentias, aut enim eos, qui nunc vrgent affectus, ijs, quæ moliuntur, curant aut eos, qui non sunt, fieri prohibent. *Galenus.*

Durandus in 3.dist.3.q. 1. dicit. *Quod etiamsi beata Virgo peccatum originale non contraxisset, posset tamen verè dici redempta à Deo, pro eo quòd in radice sua, ex natura suæ conceptionis obligata erat ad incurrendum peccatum, nisi fuisset à præseruata.* *Duran.*

Caietanus in 3. parte Diui Thom. q.27. art.2. si tenetur, inquit, beatam Virginem, non ex vi Conceptionis, sed ex gratia singularissima, in ipso instanti infusionis animæ, præseruatam ab originali peccato, fuisse, quòd tunc incurrisset, nisi illa gratia adfuisset; nihil contra fidem tetur, sed specialis modus redimendi, ac saluandi à peccato originali, Christo attribuitur respectu suæ Matris; certū est igitur, quòd fuit redempta præseruatiuè, licet non subleuatiuè. *Caietan.*

Diuus Thomas 3. par. q.27. art.4. dicit. Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita preparat, & disponit; vt ad id, ad quod eliguntur, inueniantur idonei, secundum illud 2. Cor.3. Qui, & idoneos nos fecit ministros noui testamenti. Beata Virgo fuit electa diuinitùs, vt esset mater Dei, & ideò non est dubitandum, quòd Deus per suam gra- *D. Tho.*

tiam,

tiam,eam ad hocidoneam reddidit, fecundum quod Angelus ad eam dixit, Inuenisti gratiam apud Deum non autem fuisset idonea mater Dei, si peccasset aliquando, quia honor parentum redundat in prolem. *Prou.17.Gloria filiorum parentes eorum.*

Item singularem affinitatem habuit ad Christum, qui ab ea carnem accepit,itē singulari modo, Dei filius qui est Dei sapientia in ipsa habitauit non solum anima,sed etiam in vtero: itaque fatendum est, quod beata Virgo nullum peccatum commisit, nec originale, nec mortale, nec veniale,& verè de ea dicitur,Tota pulchra es,&c.

Audite ergo: Sanctus Thomas pro inconuenienti habet,quòd *Virgo Maria peccatum habuerit, quia indignum,& ignominiosum esset Christo,habuisse Matrem actionis vitio pollutam* sed maiori ignominia Christo, & Matri esset,si originale peccatum, quod hominem Deo inimicum efficit, in Mariam deriuasset, cum peccatum originale sit existimandum grauius,& turpius. Si ad honorem respicimus, qua de causa debemus dare Matrem Christo, quæ peccati serua,Dei inimica,maledicto obnoxia,ipsique Dæmoni aliquando subiecta fuisse credatur?

D. Tho. Idem Sanctus Thomas dicit, Quòd non decebat Virginem Mariam,nec venialiter quidem peccare,nē vllam cum Belial conuentionem, vel societatem habere videretur illa, quæ Christo semper debuit esse coniunctissima; multò minus illam decuit originali macula conspurcari, nè summa illius cum Christo affinitas, perfectaque coniunctio,hoc infami crimine, per quod Adæ filij, omnes diabolo coniunguntur, vel labefactaretur, vel obscuraretur.

Item In primo sententiarum.D.44.artic.3.dicit.Quòd puritas intenditur per recessum à cōtrario, & ideo potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, sine vlla contagione peccati, & talis fuit puritas beatæ Mariæ,quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.

Snnctus Thomas tenet,quòd beata Virgo non commisit peccatum veniale,sed si originale peccatum cōtraxisset,tandem ipsa commisisset,& veniale: & probatur per Au-

Augustinum, contra Iulianum hæreticum: profectò inquit. *Si Christus minor existens originale peccatum habuisset, grandioris ætatis accessu, actuali non caruisset, sed maior existens actuale non habuit, minor existens originale non habuit.* hæc ille. Pari modo, si beata Virgo originale peccatum habuisset, veniali in posterum non caruisset, quod est cōtra prædictum sanctum Thomam.

Clithoueus cap. 8. de visitatione Mariæ *superna benedictione præueniens, ab originali macula contagione, vnicè, ac mirificè præseruauit.* *Clitho.*

Vincentius Beluacensis in speculo Historiali lib. Sexto Cap. 65. adducit auctoritatē Hildephonsi episcopi toletani, beata virgo Maria, nisi in vtero matris sanctificata esset, minimè eius natiuitas colenda esset: nunc autem quia auctoritate totius ecclesiæ veneratur: costat eam ab omni peccato originali, immunem fuisse. *Vinc. Beluac.*

Magister etiam Ioannes Vitalis, in tractatu de Conceptione virginis; refert se vidisse librum retractationis Sancti Thomæ, de eo, quod dixerat in 3. sententiarum, contra conceptionem Matris Dei. Vide Bustum sermone quarto, de conceptione Mariæ.

Anselmus libr. de Concept. Beatæ Mariæ capitulo 1. *Si Hieremias, qui lugentibus erat propheta futurus, in vulua est sanctificatus, & præcursor Domini Ioannes, Spiritu sancto ex vtero matris est repletus, quis dicere audeat, totius sæculi propitiatorium, & vnici Dei dulcissimum reclinatiorum, mox in suæ conceptionis exordio, Spiritus sancti gratiæ illustratione destitutum?* *Anselm.*

Idem cap. 3. *Omnes in Adam peccauerunt, vera vtique sententia, & cui contradici nefas esse pronuntio, sed cum eminentia gratiæ Dei in te considero, sicut te non intra omnia, sed super omnia, quæ facta sunt, inextimabili modo contueor. ita te non lege naturæ aliorum in tua conceptione deuictam fuisse opinor: sed singulari diuinitatis virtute, & operatione, ab omni adiunctione peccati liberrimam.*

Idem cap. 4. *Qui diem beatæ Mariæ conceptionis tollit Ecclesiæ Dei, aut non attendit benè, aut attendere negligit, vel nescit bonum, quod indè procedit creaturæ Dei.*

Idem de conceptu Virg. cap. 18. *Decens erat, vt ea puritate*

tate, quâ maior sub Deo nequit intelligi, virgo illa niteret, cui Deus pater vnicum filium suum ita dare disponebat, vt naturaturaliter esset vnus, idemque Dei Patris, & Virginis filius.

Idem, in Inuocatione beatæ Virginis. *O tu benedicta super omnes mulieres, quæ Angelos vincis puritate, sanctosque superas pietate.*

*Hugo à Santo Victore.* Hugo à Sancto Victore, in Cant. *Tu singulariter electa, tu ineffabiliter sublimata, nulla tibi in gratia similis esse potuit, per quam gratia venit super filios hominum, super omnem gratiam gratia tua, super omne meritum, excellentia tua, eminentior cunctis, sanctior vniuersis.*

*Iuo Carnotensis.* Iuo Carnotensis. *Quomodo matrē carnis suæ Dominus sanctificauerit, audiamus, vt indè latetur catholicus, immundus confutetur hæreticus, omnem quippe nexum, tàm originalis, quàm actualis culpæ, in ea deleuit.*

*Idiota.* Idiota, de Contempl. beatæ Mariæ cap. 1. *O benedetta Virgo Maria, benedicta es antè ortum, in ortu, & post ortum. Antè sæculum, in sæculo, & post sæculum.*

Idem cap. 2. *Tota pulchra es, non in parte, sed in toto, macula peccati, siuè mortalis, siuè venialis, siuè originalis, non est in te, nec vnquàm fuit, nec erit.*

Idem cap. 6. *Inuenisti virgo Maria gratiam cælestem, quia fuerunt in te, ab originis labe præseruatio, Angelica salutatio, Spiritus sancti præuentio. Et filij Dei conceptio.*

*Hidelphonsus.* Hidelphonsus libr. de Perpetuitate Beatæ Virginis. *Constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse, per quam non solum maledictio Euæ soluta est, verum etiam benedictio omnibus condonatur.*

*Fulbert.* Fulbertus Carnotensis, in salutatione Angelica. *Aue Maria electa, & insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti ab exordio tuæ creationis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.*

*Petrus Damia.* Petrus Damianus Serm. de Assumpt. *Caro virginis ex Adam assumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas, in candorem lucis æternæ conuersa est.*

*Beda.* Beda in Martyrologio. *Sexto idus Decembris. Conceptio Sanctæ Mariæ perpetuæ Virginis.*

*Fulgen.* Fulgentius Ser. de duplici Natiuit. Christi. *In primi hominis coniuge, nequitia Diaboli seductam deprauauit mentem,*

*in secunda autem hominis matre, gratia Dei mentem integram seruauit, & carnem.* Damas.

Damascenus. Orat. 1. de Natiu. beatæ Mariæ. *O beatos Ioachimi Lumbos, ex quibus prorsus semen immaculatum fluxit. O preclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis, ex ea auctus, atque formatus fuit fœtus sanctissimus. O beatum Ventrem, qui viuum cælum, cælis ipsis latiùs peperisti expers omninò fuit originalis culpæ in sua subsistentia, & conceptionis exordio lib. 3. Orthod. fide. ca. 2. Comment. Cart. 219.*

Chrysostomus in Liturgia. *Pro sanctissima immaculata, super omnes benedicta Domina nostra deipara, vt verè dignum & iustum, & glorificare te deiparam, & semper beatissimam, & pœnitùs incontaminatam, matrem Dei nostri, honorabiliorem Cherubim, gloriosiorem incomparabiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deum peperisti.* Chrysos.

Augustinus lib. de Natiu. & Gratia contra Pelag. cap. 36. *Excepta Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* August.

Hieronymus. *Propone tibi beatam Mariam, quæ tanta extitit puritatis, vt Mater Domini esse meretur. Episto. ad Eusto.* Hieron.

Epiphanius sermone de Laudibus Beatæ Mariæ. *Virgo est lilium immaculatum, sublimior Angelus facta est, superior ipsis Cherubim, & Seraphim, placens Christo regi, à Deo in honore habita, tanquam Ancilla digna, & mater sancta mater immaculata.* Epiph.

Effrem Sirus Orat. de Laudib. sanctissimę Matris Dei. *Intemerata, prorsusque pura, Virgo deipara.* Effrem Sirus.

Athanasius. De sanctissima Deipara. Idcircò gratia plena cognominata est, *eo quòd adimpletione Spiritus sancti, omnibus gratijs abundaret, & virtute altissimi obumbraretur,* quàm virtutem per omnia tempora conceptus etiam habuisse confido, neque enim in temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora, hoc illi datum fuisse. Athan.

Arnobius in Psal. 10. *Dominus in templo Sancto suo, quod de immaculata Virgine suscepit, sedet in cælis ad dexteram Patris, & in cælo sedes eius.* Arnob.

Dionysius Carthusianus. Ser. Psal. de Concept. Mariæ. Dionys. Carthu.

Vo-

*Hodie in Ecclesia Conceptio beatissimæ Mariæ virginis celebratur. Qualiter autem ista solennitas ortum habuerit, Anselmus in quadam scribit epistola.*

Origen. Origenes Hom. 1. in diuersos. *Quæ neque persuasione serpentis decepta est, neque afflatibus eius venenosis infecta.*

Cypria. Cyprianus serm. de Natiu. Christi. *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lacessaretur iniurijs, quoniam plurimum à cæteris differens, natura communicabat, non culpa.*

Iacobus frater domini. Iacobus frater Domini in liturgia. *Commemorantès sanctißimam, immaculaatm, gloriosissimam dominam nostram matrem Dei, & semper Virginem Mariam.*

Ambr. Chatar. Ambrosius Chatarinus, super illa verba. *Sicut per vnum hominem peccatum intrauit, &c. Sermonem suum ita temperauit Apostolus, vt nihil prorsus afferat præiudicij, aduersus veritatem illam, quam de immaculata Virginis Conceptione, vna cũ sancta Ecclesia tenemus.*

Origen. Origenes in epist. ad Pammachium, & Occanum, vocat *Mariã Virginem, immaculatam sancti, & immaculati, imò cælestem thesaurum deitatis plenissimam sanctitatem, perfectam iustitiam, & Regis cælestis domum immaculatam.*

Hieron. Hieronymus super illa verba. *Psalm. 77. Deduxit enim eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis, nubes enim illa idest Virgo Maria, inquit, non fuit in tenebris, sed semper in luce, si semper in luce gratiæ, ergo nunquàm in peccati tenebris.*

Petrus Damia. Petrus Damianus Serm. 3. de Mariæ Natiu. *Quod, rogo, vitium in eius mente, vel corpore, vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli plenitudinis totius diuinitatis, meruit eße sacrarium?*

Brunus Carthu. Brunus Carthusianus in Psalm. 101. *Hæc est incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omni, propterea, contagione peccati libera, per quam vitæ vitam agnouimus, quam, quia digna fuit, Dominus de cælo, in terram aspexit.*

Lauren. Iustin. Laurentius Iustinianus de Annuntiat. Mariæ. *Ab ipsa namque sui conceptione, in benedictionibus, præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo, & paulò post, erat planè sicut à carnis colluuione immunis, ita & ab omni peccati labe extranea.*

Idem

Idem lib. de casto connubio. Verbi, & animæ, *hac est ori-ginalis pœna delicti, à qua nemo, quamuis eximia polleat san-ctitate, liber extitit. Quotquot enim ex ipsa nati sunt propagine (exceptis dumtaxat, mediatore Dei, & hominum, homine Christo Iesu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi: Vnde Da-uid vice omnium gemens, ait. Ecce in iniquitatibus, &c.* c.7.car- te 97.

Idem in fasciculo amoris cap. 7. *Nemo ab ipso mundi ini-tio, vsque ad temporis plenitudinem (dumtaxat mediatore, e-iusque genitrice exceptis) iugum damnationis eius euasit.*

Idem de gradibus perfectionis. *Ab hoc quippe originali peccato nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Sal-uatorem.*

Fulbertus Carntensis. *Aue virgo electa, & insignis inter filias, quæ immaculata semper extitisti, ab exordio tuæ creatio-tionis, quia paritura eras creatorem totius sanctitatis.* Fulbert. Carnot.

Beata Brigitta lib. 5. Reuelat. in fine. *Maria de radice Adæ processit, & de peccatoribus nata est, licet sine peccato concepta vt filius Dei, de ea sine peccato nasceretur.*

Et lib. 6. cap. 49. Beata virgo dixit Beatæ Brigittæ. *Veri-tas est, quòd ego concepta fui sine peccato originali, & non in peccato, quia sicut filius meus, & ego nunquàm peccauimus, ita nullum coniugium fuit, quod honestius esset, quàm illud de quo ego processi.* B. Brig.

Et lib. eod. cap. 55. Beata Virgo eidem Brigittæ dixit. *Scito quòd conceptio mea, non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quòd sicut antè legem scriptam præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni, & mali, & postea veniret lex scripta, quæ cohiberet omnes inordinatos motus. sic placuit Deo, quòd a-mici sui piè dubitarent de conceptione mea, & quilibet ostende-ret zelum suum, donec veritas claresceret in tempore præordi-nato.* B. Virg.

Nicolaus Cusanus, Germanus libr. 8. excitat in illa verba, sicut lilium. *Hoc cedit ad laudem Dei, & Virginis Ma-riæ matris, quòd ipsa sub principatu auctoris mortis, nullo vn-quam tempore fuit, in qua vita debuit incarnari, sola ipsa ele-ctissima Dei mater hoc habet, quòd in initio essendi sub malitia maligni deficere nequiuit, puta quòd in creatione rationalis a-nimæ in corpore, & separatione à corpore, in potestate maligni nunquàm fuit. Sola igitur gloriosissima Virgo, non reperitur,* Nicol. Cusanus.

te m-

*tempore vllo, peccato originali subiacuisse.*

Federic. Nausea. Federicus Nausea Hom.81.primæ cent. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ ) ( idest, & si ex lege naturæ omnes filiæ humanæ spinosæ, idest in peccato conceptæ sint. Maria tamen santißima Virgo, per legem gratiæ immaculata mansit. Sicut lilium inter spinas, quæ, etsi sint quamlibet horridæ, asperæ, rigidæque, atque tumidæ, crescit tamen supter spinas, sine macula lilium ipsum speciosissimum, nil suæ virtututis amittens: at nè vir tantus hæc temerè, ac leuiter asserere videatur, sententiæ suæ rationes aliquas hoc modo subiecit.*

Prima, si Angeli à peccato fuerunt præseruati, ergo longè magis Maria, quæ super Angelos erat exaltanda.

Secunda, absurdum esset credere, Mariam fuisse aliquādo in indignatione Dei, quales fuimus nos, quæ Dei mater fuit carissima.

Tertia, cum ipsa fuerit speciale Dei tabernaculum, ergo specialiter præparandum quale non fuisset, si ipsa in peccato originali extitisset.

Quarta, Quôd Deus facere potuit, & decuit facere, fecit, sed Deus potuit præseruare Virginem Mariam, & decuit, ideoque fecit.

Quinta, nulla dignitas erat auferenda Virgini consona, qualis à peccato originali præseruatio.

## NICOLAVS QVERCVLVS, in Libro intitulato, Farrago Poematum, Gratiæ, & Naturæ certamen, super deiparæ Virginis integerrima Conceptione.

*Vos ô Cælicolæ certamen dicite Musæ*
*Victricem blandis concelebrate modis*
*Gratia naturam, cum qua est congressa, subegit*
*Et forti posuit clara trophæa manu*
*Vos ô Cælicolæ certamen dicite Musæ*
*Ter ter io Musæ dicite Cęlicolæ*

Con-

*Concurrere ſimul totis conatibus olim*
*Cum Chriſti genitrix concipienda foret*
*Horrida pugnabat natura nigrantibus armis*
*Quam ſequitur ſerpens, cui malè crediderat*
*Augebatque animos nulli ſua ſancta fuiſſe*
*Ipſo conceptus tempore principia*
*Illa Dei contra properat confuſa fauore*
*Corytumque leuem numine plena gerit*
*Et nè feſtinans fœdet natura, quod eſſe*
*Primæuo læſum vulnere ſæua cupit*
*Diua propinquante longè ſtridente ſagitta*
*Arcet, & illæſum ſedula ſeruat opus*
*Gratia naturam, cum qua eſt congreſſa, ſubegit*
*Et forti poſuit clara trophæa manu*
*Puncto conceptus, ſe præueniſſe ſub ipſo*
*Aethereos prolem, quæ fuit ante Polos*
*Virginis eſſe ſatum (pareretque Virgo, Deumque*
*Conciperet virgo candida) virgineum*
*Hic neque naturæ ſolitas, neque Dæmonis artes*
*Poſſe (niſi falsò) præualuiſſe quæri*
*Sic fuit ò Muſæ naturæ gratia victrix*
*Sic ſacroſanctæ virginis ortus habet*
*Dicite Cælicolæ ter io, ter io dicite Muſæ*
*Ter ter io Muſæ dicite Cęlicolæ.*



# ADDITIO.

VNum suppono, scilicet, quòd traditiones, sicut dicit Concilium Tridentinum, sess. 4. Decr. de canonicis scripturis, *sunt tanquam ab ore Christi prolatæ, &, quod sine scripto eis debemus credere.*

Ioann. Chrysost. Ioannes Chrysostomus, Homilia 4. in cap. 2. epistol. ad Thessalonicenses, dicit breuissimam sententiam, sed compendiosissimam *est traditio? nihil quæras amplius.* Si est traditio, nihil quæras, sta in illa, verum est, quod in cognoscendo qualis sit legitima traditio: Doctores sacri duas regulas dederunt.

Aug. Prima est Diui Augustini, in cap. 1. Epistolæ centesimæ decimæ octauæ, *Illa autem, quæ non scripto, sed tradita custodimus, quæ quidem in toto terrarum orbe obseruantur: dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorũ est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta, retineri. Sicuti quòd Domini Passio, & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & aduentus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria solemnitate celebrantur: & si quid aliud tale occurrerit, quod obseruatur ab vniuersa, quacumque se diffundit Ecclesia.* Ista sunt verba diui Augustini, in loco citato.

S. Iren. Secunda regula indagandi, qualis sit legitima traditio in Ecclesia Dei, est Irenæi. lib. 3. cap. 4. contra Hæreses: vbi dicit. *Et si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonnè oporteret ad antiquissimas recurrere Ecclesias? in quibus Apostoli conuersati sunt? & ab eis de præsenti quæstione sumere, quod certum, & re, liquidum est.* Secunda ergo regula veræ traditionis est, vt consulamus Ecclesias particulares, antiquitùs ab Apostolis fundatas, & ab illis sumamus resolutionem quæstionis, quæ nobis offertur. Et dat exemplum Sanctus Irenæus. *Quòd in vna Ecclesia de gente barbara, vbi non erant, neque libri, neque scripturæ, sed per traditionem conseruabant doctrinam ab Apostolis receptã, & hoc ità punctualiter, quòd si aliquis referebat eis aliquam nouam hæresim, quæ in aliqua parte orta esset contrariam suæ traditioni, statim aures claudebant, & velociter fugiebant, nè audi-*

*audirent.* Sic per illam veterem Apostolorum traditionē, nè in conceptionem quidem mentis admittunt, quodcūque eorum portentiloquium.) Vult igitur Sanctus Irenæus, vt consulamus Ecclesias particulares, vt cognoscamus, qualis sit vera traditio Apostolica.

Hinc duo infero. Primum, auctoritates traditionum, quas si communi auctoritate Patrum, & Theologorum inuenerimus, certi, & securi erimus, Virginem Mariam sine macula peccati originalis conceptam fuisse. Secundo infero, quòd modus inueniendi istas traditiones, est consulere Ecclesias antiquas, & videre quid tenuerint, postquam Apostoli illas fundauere, quia istud tenendum erit, vt doctrina Apostolorū, & sic procedere possumus, per regulam Augustini examinando, & videndo quid teneat Ecclesia vniuersalis: Siuè per regulam Sācti Irenęi, consulēdo Ecclesias particulares ab Apostolis fundatas, siuè modo de vna, siuè de altera istarum regularum, inueniamus traditionem Virginis conceptionis, esse veram, & legitimam traditionem ab Apostolis allatam, & vt dicit Chrysostomus est traditio, nihil quæramus amplius. *Chrysost.*

Incipiamus modo ab Ecclesijs orientalibus, & à traditionibus Apostolicis, & habebimus intentum, quòd Virgo Maria concepta sit absque peccato originali, & quòd anima eius Sanctissima creata fuerit in gratia. Intentum igitur meum est, probare, quòd omnes Ecclesiæ celebrauerunt Festum Sanctissimę Conceptionis, & hoc probo auctoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & miraculorum, & sic habebo intentum, quòd Virgo Maria concepta sit sine peccato originali.

Sit primus testis istius antiquæ traditionis Apostolicæ, Sanctus Iacobus minor Apostolus, & Episcopus Ierosolymitanus, qui in lingua Syriaca per Syrios, composuit sacram Lyturgiam in qua ordinauit, vt Sacerdos post cōsecrationem, alta voce exclamet, & dicat. *Memento præcipuè Sanctißimæ, immaculatæque, super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, semperque Virginis Mariæ.* *Iacobus minor Apost.*

Item ordinat, vt cantores respondeant. *Dignum est, vt te verè beatam dicamus, Deiparam semper beatam, & omnibus modis irreprehensam matrem Dei nostri.* Notentur illa verba,

Immaculatæ,semper beatę,omnibus modis irrepræhensam.Quæ verba clarissimè includunt Sanctissimam Conceptionem Virginis, vt excellentissimè adnotauit Gabriel Vasquez 1.2.Dist.131.dicendo. *Quòd si Apostolus vocat eam omnibus modis irreprahensam, ergo libera est à reprahensione peccati originalis.*

*Vasqu.*

Et vnum noto,quòd licet Sanctus Iacobus Syriacè cõposuit Liturgiam,idest missam.Prouincia Syriæ,se extendit ad Ecclesiam Celesyriæ,Damascenæ,Sophenæ,Maachæ,Libanicæ,Palestinæ,Arabiæ, Syriæ,Rohob, Syriæ Phænicíæ,Syriæ Anthiochenæ,Assiriæ, Capadociæ,Mesopotamiæ,Comagenæ,Armeniæ,Babiloniæ,Caldeæ; vt Plinius lib.5.cap.13.& Strabo adnotarunt,quod sub nomine Prouinciæ Syriæ, includuntur omnes istæ Prouinciæ; & sic in omnibus istis Prouincijs celebratum fuit Festum Sanctissimæ Conceptionis.

Item in Ecclesia Abissina in Africa,habetur, quòd in sua Liturgia habent vnam Orationem, quæ sic se habet. *Intercessione plena gratia Virginis Genitricis Dei Maria, qua in omnibus est sancta.* Vocat eam sanctam in omnibus rebus,omni tempore,in omnibus, & per omnia: Ergo ista auctoritas se etiam extendit ad Conceptionem Virginis, ergo semper fuit sancta, etiam in Conceptione sua.

Item in Ecclesia Græca, habemus de Sancto Andrea, quòd in libro intitulato de sua Passione, sunt ista verba. *Quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat: necessarium fuit, vt de immaculata Virgine natus Christus perfectus homo,qui est Dei filius, qui primum hominem fecerat, vitam æternam, quam perdiderant omnes, repararet.*

*Chrysost.* Chrysostomus in sua Lyturgia, habet ista verba. *Præcipuè autem Sanctissima intemeratæ,semper benedictæ Reginæ nostræ Dei Genitricis,semper Virginis Mariæ.*

*Genebr.* Genebrardus in Euchologio Græco, in Lyturgia decima,dicit ista verba.*Quò consecuti sumus gaudium in tuo conceptu. O planè immaculata, salutamus te cum Angelo clamantes.Aue Mater Emmanuelis Dei,& Saluatoris nostri.*

*Calend.* Item in Calendario Græco,à Ioanne Damasceno ordinato habetur *Festum Conceptionis Sanctissimæ Virginis.*

Fina-

Finaliter confirmat traditionem Conceptionis Virginis in tota Græcia, constitutio Imperatoris Emmanuelis Conneni, qui accepit imperium Orientis Anno Domini 1143. *Decernimus ergo, illos dies esse ab omnibus negotijs, & actionibus immunes, quos in præsenti constitutione expressè enumerauimus.* Et postquā numerauit festos totius anni, quandò venit ad mensem Decembri dicit. *Nono Decembri, vtpotè quòd in eo peragatur Conceptio castissimæ Matris Dei nostri.* Sed aduertendum est, quòd iste Imperator non instituit Festum Conceptionis, quia antea per multos annos institutum erat; sed solum ordinauit, nè alicui liceat in suo Imperio, in die Conceptionis, & in alijs festiuitatibus, exercere actus iudiciarios, & opera seruilia. Ista constitutio imperialis facta fuit die decima mensis Martij, sub Pontificatu Alexandri tertij, quod computando, sunt 438. anni.

Eademmet traditio, est in Ecclesijs Occidentalibus Hispaniæ.

Sanctus Thesiphon, discipulus Sancti Iacobi, affirmat. Quòd Sacrosancti Apostoli in vno Concilio deffinierunt sub his verbis. *Illa Virgo, illa Maria, illa Sancta præseruata fuit à peccato originali, in primo instanti suæ Conceptionis, & libera ab omni culpa. Et qui ita non senserit, non consequetur salutem.* Et in alio libro eiusdem Thesiphonis, legitur illa breuis, sed compendiosa sententia aurea. *Mariam non tetigit primum peccatum.* *Sanctus Thesip. Apostolorū concilij deffinitiō Mariā præseruatam fuisse ab orig. culpa.*

Idemmet auctor, in eodem libro, dicit. *Nequaquam Angelus Virgini diceret: Aue gratia plena, si in originali peccato fuisset concepta.*

Item Flauius Dexter, Præsidens Concilij Imperatoris Theodosij, in vno suo libro, intitulato Omnimoda Historia, dedicata diuo Hieronymo, sicut idemmet Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis rescripsit eidem Dextro, dicit Dexter in honorē Sanctissimæ Conceptionis, verba ista notabilia. *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania Festum immaculatæ, & illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ* de isto Dextro, dicit Hieronymus libro de Scriptorib. Ecclesiasticis. *Dexter Patiani filius, clarus apud sæculum, & fidei deditus, fertur ad me omnimodam Historiam* *Flauius dexter.*

*texuisse, quam nondum legi.*

Paulus Orosius. Item Paulus Orosius Hispanus, qui floruit Anno Christi 400. scribens ad Eustochium Epistolam, dicit.

*Coram Deo noui, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitatur, super quam deuotè Mariæ gratia implora-*

Bustus. *tur, & dies Conceptionis eius celebratur.* De istis verbis mentionem facit Bernardinus Bustus. Serm. de Conceptione 8. parte 3. Ità vt de ista veritate ab Apostolis, vsque ad annos 400. habemus traditionem ab Hispania de Festo Conceptionis.

Isidorus. Sanctus Isidorus, in Reformatione Missalis, in Præfatio, dicit ista verba. *Dignum & iustum est, Omnipotens Pater, tibi in honorem Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ,* & postea subiungit; *cui multiplex cælica illa Angelorum legio, cateruaque Sanctorum omnium Virginum, Martyrumque concio, siuè terrestris beatorum multitudo, in hoc Conceptionis gloriosæ Virginis Festo, non cessant clamare. Dicit quòd Angeli, & Sancti in cælo, & in terra celebrant istum diem Sanctissimæ Conceptionis.* Et in vna collecta dicit. *Domine Iesu Christe, qui sic Virginem Matrem honorificasti, quousque Conceptionis eius gratia, eam coram te suffragatricem incomparabilem inuenimus indigni, quæsumus diuinitatis tuæ clementiam, &c. Notentur verba illa, Conceptionis eius gratia.*

Item in benedictione ad populum, dicit ista verba. *Quique Matrem seruauit à corruptela contagio sinum vestri cordis emaculet à delicto. Sanctus Isidorus migrauit ex hac vita anno Domini 630. Et licet officium, & Missa Sancti Isidori mutata sit iustis de causis, remansit tamen in Hispania deuotio Conceptionis Sanctissimæ.*

Item Sanctus Dominicus. Fundator Ordinis Prædicatorum, in quodam libello de Sacramento Corporis Christi capitul. 4. declarans verba illa Sancti Andreæ. Sicut primus Adam, &c. dicit S. Dominicus, quod sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus; ita decuit in secūdo Adam fieri, idest Christo; cuius terra, ideſt Mater Virgo, nunquam fuit maledicta.

Canisius Salmerō Auctores qui dicunt, istam auctoritatem esse Sancti Dominici, sunt Canisius lib. 1. cap. 7. Salmeron ad Rom. 5.

Di-

Disput.52.Galatinus lib.7.cap.5.Bustus Serm.5.de Conceptione.Suarez 3.parte q.27.disp.3.sect. Vasquez dispu. 117. Hilaretus Serm.de Conceptione. Feuardentius, in epistola ad Romanos Cap.5.item Frater Gabriel Barleta in Serm.de Conceptione Virginis. Galat. Bustus. Suarez Vasqu. Hilaret.

De veritate huius libelli Diui Dominici, facit mentionem Vincentius Beluacensis, in suo Speculo Historiali lib.29.cap.96.Ità vt S.Dominicus apertissimè teneat, sanctissimam Conceptionem.Miror ergo, quomodo filij sui non sequantur vestigia Patris in dicta opinione, eo magis, quòd Festum Conceptionis in Hispania antè Sanctũ Dominicum habuit originem. Barleta. Beluac. archiep. Anto.3. p.hist.ti. 19.c. 1. §.4.

Item Pater Heruæus Natal Magister Generalis, vir doctissimus, qui floruit post mortem Sancti Dominici annos quinquaginta, commentans Diuum Paulum.2.ad Corint.cap.5.*Ergo omnes mortui sunt.* *Dicit Pater Heruæus, Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine excepto, (dempta Matre Dei) siuè originalibus, siuè voluntate additis. Omnes mortui sunt in peccatis, siuè originali, siuè voluntario, nemine excepto, præter Mariam.* Erat Pater Heruæus Generalissimus totius ordinis Sancti Dominici, vir doctissimus, & tale testimonium dat de immaculata Conceptione; qua de causa fratres sui ordinis non sequuntur opinionem sui Patris? Addo, quod titulus libri Patris Heruæi, sicut etiã Pater Antonius Posseuinus in suo apparatu sacro, loquendo de libro Heruæi, dicit, quod Antiqua antè, & vera operis huius inscriptio, hæc erat. Interpretatio litterarum Doctoris gentium, quam Heruæus à Maioribus, vel ab ipso Deo sumens composuit. dicit, quòd Heruæus recepit declarationem à Deo, aut à suis Maioribus; si per maiores Heruæus intelligit antiquos Patres sui Ordinis, habemus intentum: & si intelligit Patres Sanctæ Ecclesiæ, magis habemus intentum, quia non solùm Patres antiqui Religionis, sed etiam Patres Sanctæ Ecclesiæ, confirmant Festum istud. Heruæus Natal.

Item Salamanticæ impressum fuit Martyrologium Ordinis Sancti Dominici, Anno Domini 1579.à Fratre Ioanne de Placentia, quod quidem Martyrologium approbauit Pater Seraphinus Cauaglius, Generalissimus totius Seraph. Cauagl.

Ordinis Sancti Dominici,& in isto Martyrologio Dominicano,die Octaua mensis Decembris,sunt ista verba. *Conceptio Sacratissimæ Virginis Mariæ, genitricis Dei,& Domini nostri Iesu Christi. Festum totum duplex. Hic vnum animaduerto,auctoritatem nempè Generalissimi, circa Festum conceptionis,in toto suo ordine, & quòd istud festum iam antè istud Martyrologium celebrabatur, sed modò renouatum fuit per totum ordinem.*

*Manuali Ordin. S. Dom.* Item in Manuali Ordinis S. Dominici, impressum Siuiliæ. Anno Domini 1524. sunt ista verba, loquendo de Præseruatione Virginis ab originali peccato. *Sed iam de hoc non est curandum, cum sit materia nullius vtilitatis, & valdè scandalosa: præsertim cum tota ferè Ecclesia. Cuius vsus, & auctoritas, secundum Beatum Thomam, præualet dicto Hieronymi,& cuiuscunque Doctoris.* Iam asserat,quòd fuit præseruata.

*Domin. Soto.* Item Magister Frater Dominicus de Soto, super Epistolam ad Rom. cap.5. declarans illa verba Apostoli, in quo omnes peccauerunt,dicit. *Absit, vt vllum hic verbum de Sacratissima Virgine genitrice Dei faciam, vtrum videlicet hac sententia concludatur,necnè, nam etsi Concilium Tridentinum decretum Sixti innouando, libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem: est tamen exceptio Beatæ Virginis ab hac vniuersali sententia Pauli,vsque adeò celebris,non modò inter plebes,sed etiam inter bonos Doctores,quales præcipuè sunt Illustrissimi Parisienses, & si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possunt, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitùs talem prodere disputationem. Ideò id absque odio,& inuidia nequirent facere.*

*Vincet. Iustin.* Item Pater Magister Vincentius Iustinianus,eiusdem Ordinis Sancti Dominici,in additionibus historiæ Beati Ludouici Beltrami cap.vlt.§.14.dicit. *In Hispania, in Indijs,in Gallia,& ferè in tota Europa,scribere,prædicare, docere aliquid contra istam deuotionem,est dare occasionem, vt ei dicatur illud Terentij: frustra niti,& laborãdo, nihil aliud, quàm odium quærere,extremæ dementiæ est.*

*Beatrix de Silua.* Item Domina Beatrix de Silua, habuit vnam visionẽ, quæ talis fuit. *Apparuit ei Santissima virgo, habitu albo, & Mantello cæruleo visa hac visione*, reliquit regiam domum,

cum

cum facultatibus suis;& se reclusit in Monasterio Sancti Dominici realis Toleti, & mansit in eodemmet Monasterio per triginta annos, postea fundauit nouam Religioné Sanctissimæ Conceptionis Virginis Mariæ,dádo suis Monialibus habitum, & Mantellum, sicut viderat indutam Virginem Mariam 1489. *Innocêtius Octauus confirmauit prædictum ordinem.*Et Iulius II.Anno Domini 1511.dedit Breue Apostolicum,ponendo in eo regulam, & in cap.2.mãdat,vt Moniales emittant professionem sub istis uerbis. *Ego N.amore Domini Nostri Iesu Christi,& Sanctissimæ Conceptionis sinè macula gloriosæ Matris suæ, &c. & in capitulo tertio eiusdem regulæ,dicit idem Iulius,Animam Virginis à primo instanti creationis, fuisse sanctam.*

Item Societas Iesu, in regula Magistrorum Theologorum 3.mandat, vt in materia Conceptionis Virginis, sequantur sententiam,quæ magis hoc tempore communis est;magisque recepta apud Theologos. Et ista religio,in omnibus mundi partibus docet,prædicat, & tuetur Sanctissimam Conceptionem. *Religio Iesuit.*

Sed hora est,vt deueniamus ad traditiones Anglicanæ Ecclesiæ. Sanctus, & venerabilis Beda in Martyrologio, quod composuit *ponit octauo die Decembris, Festum Conceptionis.*

Item in Anglia celebratũ fuit Concilium Prouinciale 1528. quod fuit Cantuariense,& Ioannes Bacconus, profundissimus Theologus,in suis Quolibetis lib.3.q.14.refert,quod Decretum Concilij dicit. *Quia inter omnes sanctos memoria B.Virginis,& Matris Domini,eò frequentiùs agitur,atque festiuiùs,quò maiorem gratiam apud Deum, qui eius Conceptionem prædestinatam ad vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit,creditur inuenisse venerabilis Anselmus;quod quidem Concilium citat Diuum Anselmum, vt faciliùs dicto Concilio credamus.* *Io.Bacc.* *Ansel.*

*Item Sanctus Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus,& Pastor Anglorum Coepiscopis suis, cunctisque Orthodoxis, saluté, & perpetuam in Christo benedictionem.* Conceptio venerandæ Dei genetricis perpetuæ Virginis Mariç,dilectissimi fratres, quemadmodum permulta signorum experimenta in Anglia,& in Francia, cæterisque climatibus mundi cele- *S.Ansel. Cantua. Archiepiscop.*

celebranda sit declarata, me narrante, audiat dilectio vestra. Tempore nanque illo, quo Diuinæ placuit pietati, Anglorum gentem de malis suis corrigere, suæque seruitutis officijs, arctiùs adstringere, gloriosissimo Normanorum Duci Gullielmo eandem patriam debellando, subegit. Qui videlicet Guilliel mus tunc temporis Anglorũ; Dei virtute, & industria sua, totius Ecclesiasticæ dignitatis honores in melius reformauit. Cuius piæ intentionis operibus inuidens, ille bonorum omnium inimicus Diabolus, tùm familiarium fraudibus, tùm extraneorum incursibus, multoties conatus est eius obsistere successibus. Sed Domino protegente, & timentem se Regem glorificante, ad nihilum deductus est malignus. Audientes autem Dacij, Angliam esse subiectam Normanis, grauiter sunt indignati, & suo quasi hæreditario iure priuati, Arma parant, classem aptant, vt eos adeuntes, à data sibi diuinitùs patria expellant. Hoc comperto prudentissimus Guilliel mus Helsimum quendam religiosum Abbatem Remensiensis cœnobij accersiuit, & in Daciam direxit, vt inquirat huius rei veritatem. At ille, vt vir admodum sagacis ingenij, strenuè Regis negotium exequitur: quo fideliter peracto, ad Angliam reuerti cupiens, Mare ingreditur, & cum iam maximam partem maris prospero cursu transisset, subito densis vrgentibus vndique ventis, horrida tempestas mare commouit, & vndas, fatigatis igitur nautis, nec vltrà iam obniti valentibus, fractis remis, funibusque raptis, cadentibus velis, spes salutis amittitur & nihil sibi, nisi submersionis exitus miserabiliter expectatur. Cumque de salute corporum essent desperati, animarum solummodo magnis clamoribus salutem creatori suo commendabant, & beatissimam Virginem Mariã Dei genitricem, miserorum refugium, & desperatorum spem deuotissimè reclamabant. Et ecce subito conspiciunt quẽdam venerandæ habitudinis virum, Pontificali infula decoratum, quasi inter medias vndas naui proximum. Qui vocans ad se Helsimum Abbatem, his verbis alloquitur eum. Vis (inquit) periculum maris euadere? Vis in patriã tuam sanus redire? Cumque cum fletu ille toto corde desiderare, & hoc solum expectare responderet: ait ille.

*Pelbart. in stellario lib. 4. par. 1. artic. 2.*

Scias

Scias me ad te à Domina nostra Dei genitrice Maria directum esse,ad quā dulciter reclamasti. Et si dictis meis obtemperare volueris, sanus cum comitibus tuis euades, imminens periculum maris. Ille verò illicò spondet,se ei in omnibus obtemperaturum, si hoc euadat naufragium. Promitte(inquit ille)Deo,& mihi, quòd diem conceptionis,& creationis Matris Domini nostri Iesu Christi, solemniter celebrabis,& celebrandum prædicabis. At ille vt prudentissimus vir,ait. Et quis dies in hoc festo celebrandus erit?Sextò(ait)Idus Decembris, hoc festum solemnizandum erit. Et(inquit Abbas)quo officio vtemur in Ecclesiastico obsequio? Omne inquit, officium,quod dicitur in eius Natiuitate, dicetur in eius Conceptione, excepto quod Nomen Natiuitatis,mutabis in nomen Cóceptionis. His dictis,ille disparuit,& citò sedata tempestate, Abbas incolumis concito flatu applicuit littoribus maris Anglicani,& quod viderat,& audierat, quibus potuit notificauit. Statuit autem idem festum in Remensiési cęnobio celebrari,& ipse quamdiù vixit, deuotis obsequijs celebrauit. Et Nos igitur fratres dilectissimi, si portum salutis volumus appræhendere, Dei genitricis conceptionem dignis obsequijs,& officijs celebremus,vt ab eius filio digna mercede remuneremur.

*Rursum hac solemnitas alibi alio modo declaratur. Tempore namque Caroli Regis Francorum Illustrissimi, Clericus quidā ordinis Vngariæ Regis germanus, Matrem Iesu toto corde diligens, eius horas sollicitus decantabat. Parentum autem suorum consilio nubere volens cum quadam adolescétula valde pulcherrima, accepta à Presbytero nuptiali benedictione, quadam die, Missa etiam celebrata, recordatus, quòd eiusdem Beatissimæ Virginis horas illa die iuxta morem solitum non cantauerat, sponsam in domum remittens, omnes ab Ecclesia exire coegit, & ipse iuxta Altare Virginis solus remansit. Cumque horas Dominicæ matris decantaret, & hanc Antiphonam*. Pulchra es, & decora filia Hierusalem, diceret; subitò apparuit ei Virgo Maria, cum duobus Angelis, dexteram ei manum, & læuam tenentibus, dicens ei. Si ego sum pulchra, & decora, quid est, quòd dimittis me, & sponsam aliam accipis? Numquid ego non sum optimè formosa? Numquid

non sum pulchrior illa? Vbi vidisti tàm pulchram? Cui ille obstupescens, ait: Domina mea dulcissima, claritudo tua omnem mũdi pulchritudinem excellit, & clarificat, quoniam tu es super omnes choros Angelorum exaltata, & super cœlos cœlorum eleuata. Quid vis Domina, vt faciam? ait illa. Si sponsam carnalem, cui adhęrere vis, amore mei dimiseris; me sponsam in cęlesti regno habebis: Et si conceptionis meæ festum annuatim Sexto Idus Decembris solemniter celebraueris, & celebrandum prędicaueris, mecum in regno filij mei Laureatus eris. His dictis, Beata Virgo disparuit. *Clericus verò domum adire renuit, & absque parentum suorum consilio, ad Abbatiam quandam extra patriam illam perrexit, & ibidem Monachali habitu decoratus, & post tempus exiguum, meritis B. Virginis Aquileiæ Episcopus Patriarcha factus, Festum Conceptionis B. Virginis die præfato, quamdiù vixit, annuatim cum proprijs Octauis, diligenter celebrauit, & vbique celebrandum prædicauit.*

*Aliud etiam Miraculum huius festiuitatis alibi diuina inspirante gratia, à nobis declaratur.* In Pelago Gallico, Canonicus quidam ordine sacerdos, solitus Beatæ Mariæ Virginis horas canonicas decantare, à Villa quadam, vbi cum vxore alterius fornicatus fuerat, rediens ad oppidũ, in quo morabatur, & flumẽ, quod infrà iter erat trãsmeare cupiens, solus nauim ingressus, Dominicæ Matris horas nauigando, canere cœpit. Cumque Inuitatorium, Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum; diceret, & iam in medio fluminis esset: Ecce turba magna Dæmonum in profundo Pelagi, vnà cum eius Nauicula eum præcipitauit, & eius animam rapuit ad tormenta. Die autem tertia ad locum, quo Dæmones eum tormentis afficiebant, venit Mater Iesu, cum magna Angelorum societate, dicens eis: Vt quid animam famuli nostri ita iniustẽ affligitis? Cui illi: Nos eam debemus habere, & meritò, quoniam in nostris operibus capta est. Quibus Mater Iesu, si illius debet esse, cuius opera faciebat, ergo nostra debet esse, quoniam Matutinas horas, dum vos eum peremistis, decantabat. Vndẽ magis Rei estis, qui iniquẽ erga me egistis. His dictis, Dæmones huc, illucque dispersi, fugerunt: & Beata Maria animam reduxit ad corpus, & hominem

ab

ab vtroqe funere resuscitatum, per brachium arripiens, aquam à dextris,& à sinistris,quasi murum stare iubens, de profundo Pelagi ad portum incolumem reduxit. At il le gaudens,pedibus Beatæ Virginis prostratus ait:Chiarissima mea Domina,& Virgo speciosa,Christo gratissima;quid tibi retribuam pro tantis beneficijs, quæ mihi fecisti?Liberasti me de ore Leonis,& de tormentis inferni grauissimis animam meam.Cui Mater Iesu ait: Præcor te,nè de cætero in Adulterij peccatum cadas, nè fiat tibi nouissimus error peior priore :-Præcor te iterum,vt de cætero festum conceptionis meæ deuotè celebres annuatim,Sextò Idus Decembris, & vbique celebrandum prædices.Mox,vt ea dixit B.Maria Virgo,eo cernente,cęlos ascendit,& ipse Heremiticam vitam ducens,quod sibi acciderat,cunctis audire volentibus, narrauit: & postea quamdiù vixit,illud Festum Conceptionis solemniter,& deuotè celebrauit,& celebrandum prædicauit.

*Nos igitur fratres dilectissimi meritis, & intercessionibus Beatæ Virginis indigentes,cum tota mentis deuotione, simus sollicits,vt nullus nostrum ita sit rebus temporalibus occupatus,aut proprijs delictis desperatus, quin Beatæ Virginis Mariæ conceptionem pro posse suo celebret annuatim.*

*Ista sunt verba Diui Anselmi,& tria miracula, quæ Sanctus Doctor refert,in confirmationem Immaculatæ Conceptionis. Ioannes Bacconus in 4 sentent. dist. 2.q.4.art.2.vocat autentica, & Concilium Cantuariense sumpsit ista verba à Diuo Anselmo, vt prædictus Bacconus in loco citato affirmat. Et Ioannes Gerson. Et Illustrissimus Cardinalis Baronius, verissima verba Diui Anselmi esse affirmant.* *Ansel.* **Io.Bacc.** *Gerson.* *Baron.*

*Item Homilia Sancti Anselmi, in die Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ super Euangelium Matthæi.Liber generationis Iesu Christi.* *Ansel.*

Hodierna die,fratres Charissimi, Sanctæ Dei genitricis Virginis Mariæ conceptionem celebramus,quæ omnium rerum nobis genuit Creatorem. Et ideò cum summis præconijs,& summa deuotione,huius est excolenda conceptio, quæ salutem mundo perdito contulit. Quis non tantæ conceptionis obstupescat miraculum? Hodiè concepta est Virgo Maria, quæ altissimi Patris filium,ex

vir-

virginali vtero edidit nobis. O ineffabile gaudium,ô admirabile Sacramentum.O inauditum miraculum. Deus antè sæcula ex hac Virgine,cuius hodiernum diem colimus,carnem assumere dignatus est.Lætentur igitur cęli, quia hodiè concepta est Virgo, per quam restaurantur perdita agmina Angelorum.Exultet mundus,quia hodie concepta est Virgo,per quam diluitur omnis culpa, vulpina fraude,illata.Tremescat Infernus, quia hodie concepta est Virgo,per quam reddit illos, quos tenebat crudeli carcere clausos.Congaudeamus, & nos pari conceptu,fratres clarissimi,& cum suauibus hymnis, dulcia cãtica modulemur:quia hodie concepta est Virgo,per quã meruimus accipere Dominum nostrum Iesum Christũ. Quisquis autem paruipendendum putat huius virginis celebrare conceptionem, nec meremur esse cum fidelibus,nec postea cognoscere Saluatoris aduentum.Quæ enim festiuitas huic est præponenda, per quam omnium festiuitatum est exorta deuotio? Hæc nanque Virgo est, & Mater æterni luminis.Hæc est sponsa cœlestis Angelorum gubernantis imperium.Hæc est Virgo puerpera,domicilium castum, receptaculũ Dei omnipotentis dignissimum:cuius Reginæ generationem, & Dauidica stirpe Sanctorum,Euangelistarum ordo nobis descripsit. Vnus enim illorum per regiam stirpem descendens, de huius Virginis conceptione,sic est ortus.Liber generationis filij Dauid,filij Abraam.Nulli ergo sit pigrum, nulli onerosum,celebrare eius festum.

Sciendum, quod sicut in Ecclesia Natiuitas eius colitur:sic debet & coli conceptio.Sicut enim ad saluãdum. Genus humanum olim fuit necessaria Natiuitas eius ;sic fuit necessaria conceptio eius. Nisi conciperetur,quæ ni si nasceretur,mundi redemptor ex ea non nasceretur. Immò si diuina gratia prospiciatur, spiritualis conceptionis eius dies maior fore approbatur, quàm Natiuitatis. Res enim maior extitit Adam à Deo creari, quàm filios eius de Matre nasci. Quisquis igitur Præsul, vel Abbas, aut Prælatus es,recole diligenter eius solemnia, & cunctis iube eam coli:quia si eam toto corde amaueris,nunquam à gradu tuo depositus eris, in memetipso probabo,

bo,erubescant omninò insensati, qui tantum diem, tanquam sacramenta,ac mysteria tenebris ignorantiæ excæcati,respuunt,(eo quod viri, & mulieris copula in conceptione Virginis extitit.) stultis non placeat hodie celebrare:tamen diem illum, & noctem, quamuis sit multis incognita, & tempus, & horam spiritualis conceptionis eius hodie celebrare delectat. Quia ipse,qui est animarum creator, animam suæ Matris dignam sanctissimo corpori virginali eius Angelis ministrantibus, copulauit.

Iam quòd duæ sunt conceptiones hominis, omnibus notum est peritis. Vna scilicet spiritualis, alia carnalis: vna qua carnalis copulatio viri, & mulieris:alia qua spiritualis anima noua,& pura, Domino operante, corpori diuinitùs datur,& coadunatur. Si non placet illis celebrare solemnia conceptionis carnalis Dominicæ Matris, placeat eis colere animæ eius spiritualem creationem,ac corporis,& animæ copulationem.O quanta est dies illa, qua nostræ reparatricis anima digna creatur,& sacratur, & sanctissimo corpori vnitur. Non est verus amator virginis,qui respuit colere diem Conceptionis.Erubescant iterum insani,qui hãc diem colere nolunt, quoniam aliorum Sanctorum conceptionis, sancta minimè consueuit ecclesia colere.Maximè quippè rusticitatis, est eam alijs sanctis in hoc comparari, in qua Deus humanam carnẽ assumpsit;quam super omnes sanctos,etiam & Archangelos in cœlis sublimauit. Et quamuis cęteris Sanctis dies conceptionis non sit concessus,vt celebretur, illi tamen à Spiritu Sancto concessus est,qui maior, & excellentior est cunctis.

*Pulchrè, & dignè hanc dominationem super cæteros Sanctos illa debet habere, quia per eam omnes sancti beatificantur, & sanctificantur. Quid longius? Conceptionem eius,spiritualem,scilicet & humanam,vt ipsius meritis, & precibus, à secularibus turris, & à cunctis vitijs mereamur eripi, & ad æterna gaudia paradisi perduci.*

Ioannes Bacconus, Doctor Anglus antiquissimus plusquam 300.annos,in loco supra citato, affirmat; esse vera, & realia verba Diui Anselmi. Idem affirmat *Io.Bacc.*

Ioan-

Ioannes Gerson, Serm. de Conceptione.

Ecl. Ale. Sed deueniamus ad traditiones Ecclesiæ Alemaniæ,& de ista Ecclesia sufficiant verba Diui Anselmi supra citata. *Conceptio veneranda Dei genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, dilectissimi fratres, quemadmodum per multa signorum experimenta, in Anglia, Hungaria, ac Francia, cæterisque Prouintijs, & climatibus nostris temporibus olim celebranda sit de-*
Ansel. *clarata, audiat dilectio vestra.* Dicit Anselmus, quòd suis té poribus, à quibus sunt plusquam 500. anni in regnis Angliæ, Franciæ, Hungariæ,& alijs Prouintijs, visa fuerunt multa miracula, quæ confirmabant, celebrandam esse Cóceptionem Matris Dei.

Martyr. Beda. De Ecclesia Franciæ, certum est, quòd in ipsis legebát Martyrologium Bedæ,& dicebant. *Octauò Calendas Decébris. Conceptiò Sacratissimæ Virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi,* Et à tempore Bedæ, vsque nunc, transacti sunt plusquam 900. anni.

Bernar. ep. 174. Restat modo respondere ad aliquos Doctores, qui contrariam opinionem tuentur. Et primo ad Bernardum, qui scribens ad canonicos Lugdunenses epistola 174. dicit. *Vndè miramur satis, quod visum fuerit hoc tempore quibusdam vestrum voluisse mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus ecclesiæ nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Et dicit, quod festum conceptionis, tunc erat festum nouum, quod Ecclesia nesciebat, ratio non approbabat, nec traditio antiqua commédabat; & postquam multa dixit contra conceptionem, concludit,& dicit. *non ita præcipitanter, atque inconsultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* Ad istam auctoritatem dico, quod si est Diui Bernardi, Diuus Bernardus se retra-
August. ctauit; sicut Diuus Augustinus duos libros retractationũ fecit, dicens in Prologo: neque quisquam nisi imprudẽs, ideò quia mea errata repræhendo, me repræhendere audebit. Et post pauca. *Qui primas nó potuit habere sapientiæ; secundas habeat partes modestiæ: vt qui non valuit omnia impænitenda dicere, saltem pæniteat, quæ cognouerit dicenda non fuisse.*

Bernar. Si ergo Diuus Bernardus ità scripsit ad Canonicos Lugdunenses contra Cóceptionem, postea se retractauit

Sermo-

Sermone 4. super Salue regina; vbi loquens cum virgine dicit. *Innocens fuisti ab originalibus, & actualibus peccatis; nemo ita præter te*, & allegat auctoritatem Augustini lib. de Natura, & gratia. cap. 26. vnde auctoritas Augustini. *Cùm de peccatis agitur, nullam de beata Maria volumus fieri mentionem, ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutē, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum.* Ex omni, inquit, parte: hoc est, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Et finaliter concludit, *nec vana est fides, nec opinio falsa, denique, & rationes, & auctoritates inueniuntur adstipulantes.* Eccè quomodo Bernardus confitetur Conceptionem Virginis Mariæ. *August.*

Alexander Alensis 3. parte quæst. 9. memb. 2. tenuit cōtrariam opinionem conceptionis, sed se retractauit, vt testificauit Bernardinus de Busto, Serm. 4. de Conceptione. Et Pelbartus lib. 4. Stellarij. parte prima art. 3. Et Magister Frater Mauritius de Villa probata, Ordinis S. Dominici Serm. 5. de Corona, & Antonius Cucatus in suo Elucidario par. 2. dicit. Quòd tractatus de Alexādro de Ales, continet sex libros, & quòd in fine. 3. cap. penultimi, se retractat, & probat, quòd Virgo Maria fuit concepta sine peccato originali; adducens illud cant. 4. *Alexan. Alens. Bustens. Pelbart. Maurit. de villa probata. Anton. cucatus.*

*Tota Pulchra es amica mea, & macula originalis, aut actualis peccati in te nunquàm fuit. Et addit Pelbartus, quòd quando Alexander morte praeoccupatus fuit, commendans se Beatæ Virgini, expirauit, dicendo: Tota pulchra es amica mea, & nulla macula, neque originalis, neque actualis est in te.*

Albertus Magnus fuit opinionis contrariæ, vt constat ex suo libro de intemeratæ virginis Mariæ laudibus c. 116. Attamen Petrus Canisius lib. 5. de Maria Deipara ca. 27. dicit, quòd idem Albertus tractans de duodecim priuilegijs Virginis, exemptam facit eā ab illa regula generali. *Omnes in Adam peccauerunt.* *Albert. Magnus Canisius*

Sanctus Bonauentura fuit etiam contrariæ opinionis, sed postea se retractauit; vt patet ex Sermone suo 2. de Beata semperque Virgine Maria tom. 3. vbi afferit. *D. Bon.*

*Dico primo, quòd Domina nostra fuit plena gratia præueniente in sua sanctificatione: gratia scilicet præseruatiua, contra*

*fœditatem originalis culpæ, quam contraxisset ex corruptionē naturæ, nisi speciali gratia præuenta, præseruataque fuisset. Solus enim filius virginis, fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater eius virgo. Credendum est enim, quòd nouo sanctificationis genere in eius Conceptionis primordio, Spiritus sanctus eam à peccato originali (non quod infuit, sed quod infuisset) redemit, atque singulari gratia præseruauit.*

*Decretū Academiæ Parisiensis.* Circa traditionem Franciæ, nō est immorandum, cum omnibus notum sit, quòd Anno Domini 1383. Factū fuit Decretum in Ciuitate Parisiensi, ad instantiam Doctoris subtilis, vt in quolibet Anno celebraretur Festum Conceptionis, & nullus ascendere posset ad gradum Doctoratus, nisi prius iuraret, & teneret Virginem Mariā fuisse à peccato originali præseruatam. Nolo hic recensere Doctores meæ Religionis, tenentes, & defendentes Sanctissimam Conceptionem, quia longum esset, sed ad iudiciū boni viri me remitto. Sed deueniamus modo ad traditionem Ecclesiæ Romanæ.

*traditio Rom. Ecclesiæ.* Certum est, quòd non est definitum, quòd sit de fide credere conceptionem Virginis, ita dicit Sixtus 4. in sua Extrauaganti. *Graue nimis. Cum nondùm sit à Romana Ecclesia, & Apostolica sede decisum.* Et Pius Quintus in suo Motu proprio, super Speculum, dicit. *Cum Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Magistra, & doctrix disciplinæ, de ea re hucusque non deffinierit.* Spero tamen, quòd aliquando diffiniet.

*Sixt. iv.* *Pius v.*

*Io. Bacc.* Dico tamen, quòd Ioannes Bacconus lib. 4. sententiarum dist. 2. qu. 4. art. 3. loquendo de Santissima Conceptione, dicit.

*Publica, & diuturna consuetudine celebratum est hoc Festū in Curia Romana, etiam cum venerabili Congregatione Dominorum Cardinalium, cum solemni Missa, & sermone singulis annis in domo fratrum ordinis Beatæ Mariæ de Carmelo. Et hæc durauerunt tempore multorum Romanorum Pontificum, vsque ad præsens tempus.* Et constat, quod tanquam diuturnam, & notoriam solemnizationem, ipsis in curia præsentbus seruatam benè notauerunt Domini nostri Summi Pontifices, & Sedes Apostolica, & per consequens est sancta, & catholica religio, &c.

*Dicit supradictus Doctor, quod Festum Conceptionis celebratum fuerat diuturna consuetudine, cum missa, & sermone omni Anno in suo conuentu, cum fauore multorum Illustrissimorum Cardinalium, & addit, quòd hæc durauerunt tempore multorũ Pontificum. Ex hinc duo colligo: Primum, antiquitatem festiuitatis Conceptionis in Vrbe Roma, quia Ioannes Bacconus, plusquã à 300. annis mortuus est, & istud Festũ Cõceptionis iam erat publicè per multos annos tempore Romanorum Pontificum in conuentu Carmelitano celebratum, & sunt plusquam 400. anni, quòd Carmelitæ Romæ habent Conuentum. Et Alexander Tertius Anno 1180. confirmauit prædictum Festum Conceptionis, sicut dicit Cardinalis Bellarminus in sua Cronologia, parte secunda. Secundum, quòd colligo est, quòd istud Festũ Conceptionis, non celebrabatur absque assistentia Illustrissimorũ Cardinalium, sed ipsi Cardinales conueniebant, & assistebant, vt prædictus Doctor affirmat. Item dicit, quod notum erat summis Põtificibus, esse istud Festum antiquum, & notorium. Et concludit Bacconus, quod si istud festum erat notum summis Pontificibus, sequitur quòd sit festum sanctum, & catholicum, quia summi Pontifices non dissimulassent aliquam rem, quæ non esset, & religiosa: sicut dicit Papa Iulius in Epistola ad Episcopos orientales, prout habetur in Decreto 24. q. 1.* Officij nostri consideratione, non est nobis dissimulare, non est tacendi libertas: quibus maior cunctis Christianę religionis zelus incumbit.

*Baccon.* *Alexan. III.* *Bellar.* *Iulius Papa ad Episcop. orient.*

Item Sanctissimus Papa Sixtus IIII. in Extrauaganti, quæ incipit. *Sixt. IV.*

*Cum præcelsa hortatur Omnes fideles ad celebrandum admirabile Festum Conceptionis, & concedit multas Indulgentias illis, qui celebrauerint, & adstiterint, & præsentes fuerint officijs Conceptionis, & per octauam.*

Item Anno Domini 1483. Idem Pontifex Sixtus IIII. in Extrauaganti. Graue nimis. Postquam dixit, quòd Ecclesia Romana celebrat Festum Conceptionis *excommunicat omnes dicentes, quòd, qui celebrat officium Conceptionis, & audit sermones, in quibus dicitur, quòd fuit præseruata, peccet mortaliter, aut sapiat heresim,* & licet iste Summus Pontifex excommunicet omnes, qui condemnant quamlibet partem, siuè quamlibet istarum duarum opinionum, attamẽ *Sixt. IV.*

in fauorem Conceptionis, dicit, & excommunicat omnes dicentes, peccatum esse celebrare Festum Conceptionis, vbi dicitur, quod fuit præseruata, & audire Sermones istius materiæ.

*Aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, aut huiusmodi sermones audientes, alicuius peccati sermonem incurrere. Iste Summus Pontifex fuit primus, qui Festum Conceptionis per vniuersam Ecclesiam diuulgauit: sicut constat ex suis extrauagantibus, & sicut dicit Cardinalis de Turrecremata, libr. de Conceptione Virginis par. 9. cap. 10.*

Turrec.

Alex. 6. Item, Anno 1591. Alexander Sextus, natione Hispanus, fuit primus, qui confirmauit ordinem Religionis Immaculatæ Conceptionis.

Leo X. Item, Anno 1513. Santissimus Leo X. confirmauit eundem ordinem, sub eodem titulo Conceptionis Immaculatæ, sicut dicit Pater Frater Antonius de Corduba libr. 1. Quæstionarij quæst. 44. & Pater Gabriel Vasquez 3. par. quæst. 27. disp. 117 cap. 5. & Compendium Fratrum Minorum, vbi sunt multæ Indulgentiæ, ab eodem Leone concessæ, in fauorem Immaculatæ Conceptionis: & præsertim fratribus Sancti Francisci, & per communicationem omnibus Mendicantibus, quando dixerint Missam Conceptionis, consequantur Indulgentiam plenariam;

Anto. de Corduba. Vasqu. Compendium Fr. Min.

Adr. 6. Item, Anno 1523. Papa Adrianus Sextus, Bulla particulari confirmauit scholam, seu Societatem Immaculatæ Conceptionis, concedendo ei multas Indulgentias.

Paul. 3. Item Anno 1546. Cùm esset Summus Pontifex, Santissimus Paulus Tertius, præsidentes in Sacro Concilio Tridentino Illustrissimi Cardinales, renouauerunt constitutionem Sixti IV. in fauorem Sanctissimæ Conceptionis: & cum decretassent, in sessi. 5. canon. 2. & 4. quòd omnes filij Adam concepti sunt in peccato originali, secundum regulam Apostoli: Omnes peccauerunt in Adam, &c. Statim Concilium declarat se dicens, non esse suæ intentionis comprahendere beatam, & Immaculatam Virginem Matrem Dei.

Concilium Trid.

*Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, nō esse suæ intentionis cōprahēdere in hoc Decreto, vbi de peccato originali agitur, Bea-*

*Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed obseruandas esse constitutiones fel. record. Sixti Papæ IIII. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innouat.*

Verum est, quòd Conciliũ nõ diffiniuit nostram opinionem, sed fauorem ei detulit, dicendo, non esse suæ intentionis cõpræhendere in illo Decreto generali Diui Pauli, in quo omnes peccauerunt; Virginem, &c. Benè poterat Concilium dicere, quòd non erat suæ intentionis excludere Virginem ab illa generali regula; sed noluit dicere, quia Ecclesia Romana voluit ostendere suam intentionem, erga nostram piam, & deuotam opinionem. Si dixisset non esse suæ intentionis, nec compræhẽdere, nec eximere Virginem; relinquebat illas duas opiniones æquales, & sine affectione: sed quia magis affecta erat erga nostram opinionem, solùm dixit, non esse suæ intentionis compræhendere Virginem, &c. Quod tantum dixit, vt responderet auctoritati Diui Pauli, Omnes in Adã peccauerunt. Et responsum fuit, quòd non erat suæ intẽtionis compræhendere Virginem in ipsa lege. Quæ quidem verba, licèt sint Concilij, attamen sunt Spiritus Sancti, loquentis per Concilium. Ex hinc poterit Theologus inferre, quòd, si lex communis non compræhendit Virginem, fuit, quia pro ea erat altera lex specialis, & priuilegium particulare, quod præseruabat eam. Et licet Concilium non decreuerit istam consequentiam, tamen ostẽdit suam bonam voluntatem, nominando eam Immaculatam, tractando de sua Conceptione, & quòd non intendebat compræhendere Immaculatam, &c. Et Aduerte, quòd Canon Quintus eiusdem sessionis, tractando de pueris baptizatis, *vocat eos immaculatos, puros, innocentes*; quia tunc nõ habent maculam peccati originalis. Eumdemmet titulum de immaculata, Concilium dat Beatæ Virgini Mariæ, tractando de sua Conceptione, vt videamus inclinationem concilij, circa beatam Virginem Immaculatam, quæ fuit in sua Conceptione purior paruulis statim baptizatis.

Addo etiam, quod idem Sixtus volens ampliare dictũ Festum Conceptionis, concessit multas Indulgentias deuotis huiusmodi festi. Et si Sixtus Papa in sua Extraua- *Sixt. 4.*

ganti fauorem dat nostræ opinioni: Concilium noluit discordare, & dissentire à Sancto Pótifice: sed voluit imitari vocem sui Pastoris, renouando prædictam extrauagantem, & ostendendo, quantum Prælati Christianitatis essent affecti ad istud Festum Conceptionis; quia totum illud, quod in Concilio factum, & determinatum est, inspirante Spiritu sancto factum est. Vndè apparet, quod Concilium magis inclinat ad nostram opinionem, quàm ad aliam, licet non definierit, an vna, an altera opinio sit de fide. Sufficit mihi, quod Concilium in fine sessi. 24. dicat *proximam futuram sessionem feria Quinta post Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis, quæ erit dies nona Mensis Decembris, proximè venturi, habendam esse statuit, & decreuit.* Ecce quomodo Concilium facit mentionem de die Conceptionis: & sic constat, quod sacrum Concilium celebrauit istud festum, isto titulo Conceptionis, & non sanctificationis.

Pius 4. Item Anno Domini 1563. Sanctissimus Papa, Pius IV. approbauit, & confirmauit Concilium Tridentinum, & per consequens declarationem relatam in nostrum fauorem. Bulla confirmationis incipit. Benedictus Deus.

Pius 5. Item S. mem. Pius Quintus, Anno Domini 1570. confirmauit, & approbauit quicquid Sixtus IV. & Conciliũ Tridentinum in fauorem Conceptionis dixerant: Vndè apparet, quòd magis inclinabat ad nostram partem, quã ad aliam. Ob hoc non displiceat quæso hic addere Breue Pauli Quinti, quia multum, & maximè fauet Sanctissimæ Conceptioni.

*Item feria V. Augusti, Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi M. DC. XVII. in Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali, coram Sanctissimo D. N. D. Paulo, Diuina prouidentia Papa Quinto.*

Decret. Paul. V. *Sanctissimus D. N. post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorrum, & Reuerendissimorum*

*simorum D. D. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, accuratè, ac diligenter perpensa, prouidè considerans, quòd quamuis in Constitutione felicis recordationis Sixti IIII. super Conceptionem Beatissimæ Virginis Mariæ, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus, edita, à Sancta Tridentina Synodo innouata, & deindè in alia constitutione Sanctissimæ memoriæ Pij V. super eandem rem: quam similiter sanctitas sua innouauit, cum quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum, pro efficatiori earum obseruatione, relinquatur vnicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi vtramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur: nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quòd eadem Beatissima virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, iurgia, & dissensiones. Proptereà volens huiusmodi scandala ex debito sui muneris prouidere, decreuit, & præcepit omnibus, & singulis cuiusuis ordinis, & Instituti, Regularibus, & alijs quibuscunque, tàm Ecclesiasticis, quã Sæcularibus personis, cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis: tàm ecclesiasticæ, quàm sæcularis, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda, vt in posterum, donec articulis huiusmodi, à Santa Sede Apostolica fuerit diffinitus; vel per sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum; non audeant in publi-*

cis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & alijs quibuscumque actibus publicis asserere, quòd eadem Beatissima virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem eadem sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus suorum prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem, sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eodem statu, & iisdẽ terminis, in quibus de presenti reperitur, preterquam quo ad supra disposita. Vlteriùs sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quòd negatiuam opinionem, videlicet, quòd non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressus publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictę constitutiones, firmę, & illesę remaneant, & exactè obseruentur, perinde, ac si presens Decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbique inuiolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obseruatione, & executione presentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiusuis ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumque Ecclesiasticas, & seculares personas, cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tàm Ecclesiasticæ, quàm sæcularis; tàm Episcopi,

*& Prælati superioris, aliijq; Ordinarij locorum, quàm hæreticæ prauitatis vbique locorum deputati Inquisitores, procedant, & in eos seuerè animaduertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem, contra eosdem transgressores procedendi, ac pęnis coercendi, & puniendi. Voluit demum ne præmißorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quòd præsens Decretum, seu illius exempla ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, & in acie campi floræ affixa omnes ita arctent, & afficiant, perindè, ac si vnicuique personaliter intimata fuissent; quodque præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.*

*Andreas de Pittoris Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis. Not.*

*Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi 1617. Indictione XV. die verò 12. Mensis Septembris Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Pauli, diuina prouidentia Papæ Quinti. Anno 13. Præsens Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, & in acie Campi floræ, per me Franciscum de Clericis, Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.*

*Siluerius Pontirolus Mag. Cur.*
*Romæ, ex Typographia. Reu. Cameræ Apostolicæ.*

*M. D. C X V I I.*

Et

Et finaliter cōcludo, quòd apud omnes Ecclesias, Principes, Prælatos, Religiosos, doctos, & indoctos, tenetur nostra opinio; & summopere desideratur, vt Summus Pōtifex eam definiat, tanquam articulum fidei, & plusquam

Io.Bacc. 300. Anni sunt, quòd Ioannes Bacconus, Doctor resolutus, proposuit istam quæstionem. An Ecclesia Romana hoc deberet statuere? Respondet, quòd gratissimum esset Deo, & Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, laudabili consonum, hoc Festum generaliter statuere per totam Ecclesiam celebrandum 4. senten. dist. 3. q. 4. art. 3. pro illo tunc non celebrabatur generaliter; & ideo dixit, quòd gratissimum esset Deo: non loquitur simpliciter de celebratione festi, sed de celebratione tanquam articulus fidei definitus; & vt cognoscamus modestiā, & humilitatem prædicti Doctoris, nō dicit, quòd Ecclesia definiat, sed quòd gratum esset Deo, & consonū laudabili Ecclesiæ consuetudini, hoc festum generaliter per totam Ecclesiam celebrandum.

Baccon. Et Ioannes Bacconus in 4. sententiarum dist. 2. q. 3. dicit, se vidisse Librum Sancti Anselmi multis in locis de Vita Beatæ Mariæ, quia vocatur magnum mariale. Incipit autem Liber Anselmi de Conceptione sic.

Liber Ansel. de cōcep. *Principium, quo salus mundi processit, mihi considerare volenti, occurrit hodierna festiuitas de Conceptione Mariæ Matris Dei.*

Baccon. Et dictus Bacconus ponit hæc argumenta sua cum quibusdam supplementis. Probat autem eius possibilitatem cap. 4. per simile in natura nux enim, castanea, vel lilium nasci potest inter spinas, & ab illis non pungi, ergo Mater Christi, potuit, vel potest concipi inter peccatores, & tamen peccato non tangi.

Et similiter potuit fieri sancta ordinabiliter, & acceptabiliter: aut ergò ex speciali priuilegio voluit eam tūc esse sanctum, & factum est, aut noluit, sed hoc esset irrationabile, quia ordinare eam priuilegio secundùm Spiritum Sanctum, ad concipiendum Sanctum Sanctorum, & non esse sanctum ordinabiliter, & acceptabiliter, includeret contradictionem.

Item cap. 6. probat hoc per comparationem ad totam mundi machinam; Deus prædestinauit Matrem suam cōcipien-

cipiendam,vt esset vniuersorum, scilicet cœli, & terræ, & omnium,quæ in eis sunt, Domina, & Imperatrix: & hoc totum opus ex priuilegio singularis gratiæ; sed ordinare Conceptionem Mariæ per gratiam ad hanc singularem præcellentiam,vt esset futura Mater sancti sanctorum,& Regina omnium sanctorum in Cœlo, & in terra, & negare Conceptionem eius,quæ Christum erat conceptura corporaliter, esse ordinabiliter mox sanctam, & Deo acceptam,est contradicere loco arguendi à maiori, quo vtitur omnis ars.

Item cap.5. hoc probat per comparationem ad naturã diuinam sic,Deus est artifex,sapiens,& præpotens,& sanctus sanctorum,ergo primordialia fundamenta Incarnationis suæ voluit habere sancta ordinabiliter; sed Conceptio Mariæ carnalis, vt prædestinata ad Conceptionẽ filij Dei,fuit vnum fundamentum, & spiritus sanctus aliud,de quibus in psalm. 86. fundamenta eius,& hoc totum fuit priuilegium, ex priuilegio enim carnalis eius conceptio fuit sancta ordinabiliter; Ad hoc ponit exempla, nam quidam Angeli præsciti reprobati ceciderunt, quidam prædestinati perstiterunt; Igitur si vnus de prædestinatis in creatione sua fuisset ex Dei priuilegio prouisus, vt a Deo fuisset assumptus pro salute populi, eius creatio ex eodem priuilegio fuisset dicẽda sancta,ex eo, quod ordinata ad salutem omnium; sic in proposito,tota conceptio filiorum Adæ, dicitur esse in peccato, ex hac lege priuata,statuta,quòd deordinata est, vt in omnibus generationibus, caro concupiscit aduersus spiritum: Igitur Conceptio Mariæ ex priuilegio Dei dicenda est sancta, quia ordinata ad singularem præcellentiam concipiendi filium Dei in Spiritu sancto, in quò Christi caro obediuit spiritui.

Confirmat omnia, nam Aristot. Quinto Physicorum, text.4.motus specificatur à termino ad quem; idest à fine, ad quem ordinatur, vt motus ad albedinem, dicitur dealbatio; sed finis Conceptionis Mariæ fuit ex priuilegio ordinatus ad concipiendum filium, super quem requiescet Spiritus sanctus, nam de eius Conceptione dicit Propheta esa,cap.9.egredietur virga de radice Iesse,

&

& flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini ergo, &c.

## De Natiuitate Virginis.

ECclesia sancta in laudem Virginis. Natiuitatem hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, solemniter celebremus.

Innoc. Innocentius Serm.2.de Assumptione. *Maria fugauit tenebras, & lumen mundo ostendit, Aurora fuit, quia fuit finis noctis, & origo Dei, finis damnationis, & salutis origo, fuit luna pulchra ob prolis fœcunditatem, fuit vt sol, quia præ alijs in hoc orbe sapientia splenduit.*

Petrus Damia. Petrus Damianus Serm.2.de Natiuitate Mariæ *Natiuitas inquit, beatissima, & intemerata genitricis Dei fratres carissimi, maritò præcipuum, & singulare præbet hominib. gaudium, quæ totius extitit humanæ salutis exordium.*

*Idem, exultemus inquam, in hac die præcipua, & totis visceribus in Domino delectemur, in qua redemptoris nostri recolimus matrem, reliquarum festiuitatum celebramus originem: quæ enim cunctis solemnitatibus est antiquior tempore, nequaquàm esse debet inferior dignitate, & propè finem. Eccè intemerata, & gloriosa Virgo Maria, cuius hodie splendissima natiuitate, vniuersa per orbem, sancta illustratur ecclesia, in lege præsignata, in Patriarcharum, et Prophetarum oraculis pronunciata, ab Angelo singulari honorificentia priuilegio salutata, thronus Dei, solium diuinitatis, Palatium regis æterni, Gazophilatium thesauri, quo sumus de cruenti prædonis seruitio comparati, nobis proponitur in exemplum.*

Idem Serm. 3. *Gaudeamus ita dilectissimi, & exultemus in Natiuitate Virginis Deigenitricis, quæ nouum mundo nunciauit gaudium, & totius extitit humanæ salutis exordium, exultemus, inquam, & sicut gaudere solemus in Natiuitate Christi, ita etiam gaudeamus in Natiuitate Matris Christi.*

*Hodie nata est Regina mundi, fenestra cœli, ianua Paradisi, tabernaculum Dei, stella maris, scala cælestis, per quam supernus Rex humiliatus, ad ima descendit, & homo, qui prostratus iacebat, ad superna exaltatus ascendit.*

*Hodiè nata est splendidissima illa Virgo, ex qua processit*

*speciosus forma præ filijs hominum, tanquam sponsus de thalamo suo.*

*Hodie prodijt ex vtero matris, quæ templum fieri meruit Diuinitatis.*

*Hodie impleta est prophetia illa. Quam eximius prophetarum ille Isaias, quasi præco factus, ad aduentum reginæ mundi, magna voce clamabat, dicens. Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Hæc omnia ex Petro Damiano.*

Damascenus lib. 4. de fide orthodoxa capitulo 15. *Parit gratia Dominam, Anna enim gratiam, Maria Dominam sonat.* Damas.

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. *Commune, inquit, gaudium ex victis hominibus: Ioachim, & Anna, hodie nascitur laudatissima nimirum illa, & celeberrima virgo, quæ sola propter eximiæ dignitatis præstantiam, verè, rectèq; animatum Dei templum, ac propria Dei parens, & censetur, & appellatur, propter cuius intercessionem, Christe Deus, mundo quidem pacem, & concordiam: nostris verò mentibus, misericordiam vberem impartire.* Germa. Patria.

Idem super illa verba. Audi filia, & vide. *Tu cœlum, & sedes Dei, omnisque puritatis receptaculum. Tu mundi vniuersi certum existis gaudium, tu vitæ largitatis, tu maledictionis impeditrix, tu benedictionis conciliatrix. Quamobrem, ô Diuina Virgo in hac Natiuitate tua, mundo pacem, & concordiam posce, nostris verò animabus gratiam, & misericordiam impetra.*

Idem, super illa verba. Vultum tuum Domine deprecabuntur. *Anna sterilis, hodie manus alacriter, & festiuè com plodat, quæ in terris versantur, serena lætaque sint omnia. Reges exultent sacerdotes in diuinis laudibus, exhilarentur, ac mũdus denum vniuersus, festum hunc celebret diem. Nam eccè, quæ regina, & innupta, æterni patris est sponsa, ex radice Iesse procedit.*

Sergius Hierapolitanus Græcus. *In hac festa, celebrique luce, buccina spirituali clangamus, etenim præsenti die, ex dauidico semine nascitur vitæ mater, tenebrarum expultrix, Adæ reparatrix, Euæ reuocatrix, immortalitatis fons, corruptionis interritus, per quam nos quidem, in diuinæ naturæ participationem* Sergius Græcus.

*nem transferrimur, atque à morte ipsa liberamur.*

*Quotquot igitur hoc loco fideles adsumus, illi cum Gabriele ac clamemus. Aue gratia plena Dominus tecum, qui propter te, Maria, magnam erga nos misericordiam declarat, atq; commonstrat.*

Idem. *En illa nascitur, quæ antequam nasceretur, Dei mater fore designata est. Nascitur singulare virginitatis decus, & ornamentum: nascitur Aaronis virga de radice Iesse germinãs, nascitur Prophetarum præconium, & iustorum, Ioachim, & Annæ germen, hæc nascitur, & vnà cum ipsa mundus renascitur, nascitur, & per ipsam Ecclesia decori rursum pristino restituitur: nascitur templum sanctum, receptaculum diuinitatis, organum virginale, Regisque thalamus, in quo admirandum illud mysterium vnionis naturarum in Christo, inexplicabili modo se coeuntium fuit absolutum. Hunc proindè Christum adoremus, immaculatæque virginis natiuitatem, hoc, vel simili laudum præconio, celebremus. Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerso mundo.*

*Rubert.* Rubertus lib.5. Canti. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, hoc modo Mariam affatur. *Quando nata es, ò Virgo Mater, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuntia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana, finis præteritæ noctis & initium diei sequentis, sic natiuitas tua, finis dolorum, & consolationis fuit initium, finis tristitiæ, & lætitiæ nobis extitit principium.*

*Guerric. Abbas.* Guerricus Abbas Ser. 1. de Natiuitate. *Nata est inquit, hodie Virgo, de qua salus omnium voluit nasci, vt natis ad mortem, daret ad vitam posse renasci.*

*Nata est hodie mater noua, quæ primæ Matris maledictionem dissoluit, vt per istam benedictionem hæreditatem possideant, qui per illam sub præiudicio maledicti æterni fuerant nati.*

Idem. *Noua mater, quæ Natiuitatem attulit filijs inueteratis, vitiumque sanauit, tàm ingenitæ, quàm superadditæ vetustatis.*

Idem. *Noua mater, quæ iam nouo miraculo parit, vt pariat, & virgo sit, ipsumque pariat, quia omnia, matremque ipsam inter omnia creauit.*

Sancta Brigitta in Serm. Angelico cap. 7. *Ipsos etiam in*

*cœlis Angelos, lætitia quadam insolita fuisse perfusos, quum Dei matrem, antè mundi constitutionem nasci turam, diuino illustrati spiritu cognoscerent, atque prouiderent, immò, & primum parentem Adam, quum huius Natiuitatis esset præscius, magnam indè consolationem, & exultationem animo percepisse.*

Ioan. Chrysostom. apud Metaphrastem Serm. de Natiuitate Virginis. *Hodie fit mundo salutis initium, Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & psallite. Exaltate vocem vestram, & nolite timere. Edita est nobis in lucem Sponsa Dei, de qua nasciturus est Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, exultate montes, & sicut cera fluite, lætare hominum genus, cantate cœlestes Spiritus, lapides nolite timere, quoniam hodie nata est illa Virgo, quæ pertulit miri odoris frangrantiam.* Chrys.

Petrus Damianus Serm. 1. de Natiuitate Virginis. *Et si multa magna facta sunt in creaturis mundi, nil tamen tàm excellens, tàm magnificum fecerunt opera digitorum Dei.* Petrus Damia.

Laurentius Iustinianus de casto connubio cap. 9. *Nullus mortalium, quamuis donorum numerositate sit præditus, Virgini valet coæquari.* Laur. Iustin.

August. Ser. 18. de Sanctis, qui est secundus de Annuntiatione Dominica. *Adest nobis dilectissimi, optatus dies Beatæ, ac venerabilis semper Virginis Mariæ: ideò cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantæ Virginis illustrata natali.* August.

Ioannes Damascenus. Oratione prima, de Natiuitate Virginis, in principio. *Audite gentes: omnes, omne hominum genus, omnes cuiusuis linguæ, & ætatis, ac dignitatis orbis vniuersi, lætitiæ natalem diem, lætis animis celebremus, &c.* Io. Dã.

Idem in eodem loco. *Hodie mundi salus inchoauit: Iubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & psallite. Tollite vocem vestram: tollite, & nè timeatis. Quoniam nata est nobis Dei Mater in sancta probatica, ex qua Dei Agnus, qui mundi peccata tollit, in luce edi placuit.*

*O Sanctissima Ioachini, & Annæ filia, quæ principatus, ac potestates fefellisti, atque ignea maligni tela extinxisti, quæ in spiritus thalamo versata es, atque immaculata, conseruata in*

*Dei sponsam. O sanctissima filia, in maternis vlnis con...
bellibusque Angelis formidabilis. O Sanctissima filia, quæ materni vberis lacte aleris, & ab Angelis vndique cingeris.
O Deo chara filia, parentum decus, quam, vt verè abs te dictum est, generationes omnes beatam prædicant. O Deo digna filia, humanæ naturæ venustas, primigenæ matris Euæ correctio, etenim per partum tuum, ea, quæ ceciderat, excitata, atque erecta est.
O Sanctissima filia, mulierum ornamētum. O filia semper virgo, quæ virili opera ad Conceptionem minimè opus habuisti. O terrena filia, quæ Dei genitricibus vlnis creatorem gestasti. O miracula mentis captum, atque orationis facultatem excedentia: te rerum omnium Deus dignam prænoscens, amauit, amatam prædestinauit, atque extremis temporibus, in ortum produxit, ac Dei matrem, suique filij, & verbi nutriciam effecit*, & non multò post *lætare beata Anna, quoniam fæminam peperisti. Hæc enim fæmina Dei mater est, vitæ porta, lucis fons, atque fæminarum crimen dissoluit. O desiderabilis, ac ter beata fæmina benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.
O fæmina, Dauid Regis filia, ac Dei omnium Regis mater:
O Diuinum, ac viuum simulacrum, ad quod opifex Deus intentus est, mentem quidem diuinitùs gubernatam habens, ac Deo soli operam dantem*, & paulò post. *O Miraculum omnium miraculorum maximè nouum, Mulier Seraphinis sublimior effecta est. O Virgo diuinitùs gratia donata, templum Dei sanctum, quod ille pacis princeps Salomon spiritualiter construxit, & habitauit.* Vide attentè istam Orationem Damasceni.

## ADDITIO.

### *De Natiuitate Virginis.*

GEn. 6. Dictum fuit Noe, *Fac tibi Arcam de lignis leuigatis, mansiunculas in ea facies, & bitumine linies intrinsecùs, & extrinsecùs, & sic facies eam. Trecentorũ cubitorũ erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. Fenestram in Arca facies, & in cubito consumabis summitatem illius, ostium autem Arcæ pones in latere*

*tere deorsum. Cœnacula & tristega facies in ea*. In his verbis laudatur virgo sub typo huius Arcæ in multis, & primò quantum ad dignitatem suæ Natiuitatis; & ostenditur dignitas ortus eius, quantum ad auctorem. Vndè dicit Pater filio, fac tibi. Sibi enim fecit eam Christus principaliter ad honorem suum, nec solum sibi, sed & hominibus, & Angelis, & toti Trinitati: & sic possumus dicere, quòd facta est omnibus, omnia. Ostenditur etiam dignitas ortus eius, quantum ad sanctificationem, ex parte mentis, cùm dicitur Arca. In qua videlicet reconditi fuerunt thesauri sapientiæ cœlestis, thesauri desiderabiles, virtutum charismata. Fuit enim anima eius in infusione à peccato originali præseruata, & omni decore virtutum ornata. Decebat enim, vt dicit Anselmus, *vt ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi*, quam Deus Pater filio *Ansel.* suo eligebat in Matrem. Ostenditur etiam dignitas ortus eius, quantum ad progenitorum sanctitatem, cum dicitur, de lignis leuigatis, idest politis: vel bituminatis, secundùm aliam litteram, siuè quadratis, secundum aliam. Patres enim, de quibus ipsa orta est, politi fuerunt per honestatem conuersationis, quia nihil in eis erat, quod offenderet oculos intuentium, conuersabantur enim in medio nationis prauæ, & peruersæ sinè quærela, nam aspectu, & auditu iusti erant, & erant quasi lilium inter spinas: Bituminati etiam fuerunt per feruorem charitatis. Quadrati verò per iustitiam; à parte posteriori, ad corrigendum errata, ab anteriori, per prudentiam, ad puniendum futura, à dextris, per temperantiam, contra prospera: à sinistris, per fortitudinem contra aduersa.

Secundò commendatur quantùm ad statum vitæ præsentis, cùm dicitur; Mansiunculas in ea facies. In Ecclesia sunt tres ordines, siuè status. Virginum, Coniugatorum, & Prælatorum. Et ipsa fuit Virgo, coniugata, & habuit quodammodo super filium suum officium Prælati. Lucæ I. *Et erat subditus illis*. Et bitumine linies eam intrinsecùs, & extrinsecùs, scilicet quo ad Deum, & proximum, idest charitate feruentissima, & indissolubili. Vel quia est duplex linitio, charitas in affectu, & effectu. Vndè dicitur, Mater pulchræ dilectionis: per quam dedit vnige-

nitum suum pro scelere nostro, & fructum ventris sui pro peccatis animarum nostrarum. Ideò dicitur Cant.6. Pulchra es interiùs in mente, per charitatem in affectu, decora exteriùs, per charitatem in effectu.

Tertiò commendatur quantùm ad decorem virtutum, cum dicitur. Trecentorum cubitorum erit lõgitudo: fuit enim in ea fides, quæ longitudo dicitur, quia ei succedit longitudo dierum, idest claritas visionis diuinæ. Lucæ 1. *Beata quæ credidisti, &c.* Fuit in ea latitudo charitatis, quæ extendebatur vsque ad inimicos. Et altitudo spei, quæ vsque ad interiora velaminis pertingebat; sed quia fides præcipuè refertur ad mysterium Trinitatis, ex parte ipsius crediti, per centenarium verò perfectio ex parte credentis intelligatur. Quoniam verò charitas operit multitudinem peccatorum, idcircò dicitur, latitudo quinquaginta cubitorũ; quia quinquagenarius numerus est remissionis. Quia verò ex fide operante per dilectionem, habetur certitudo spei; (quia spes est certa expectatio futuræ beatitudinis, ex gratia, & meritis præcedentibus, proueniens) Propterea, ea dicitur altitudo triginta cubitorum, vt in ternario, fidei perfectio, in denario, decalogi intelligatur impletio.

Quartò commendatur à perfectione vitæ duplicis, scilicet contemplatiuæ, & actiuæ; contemplatiua per fenestram, nam per actum contemplationis dirigimus aciem oculorum nostrorum ad solem iustitiæ, idest Christum, & illuminatur ab eo domus conscientiæ nostræ; actiua notatur per cubitum, quo exercentur opera.

Quintò commendatur à pudore virginitatis, cum dicitur, ostium Arcæ pones in latere deorsum: per hoc ostiũ intrauit in eam filius Dei, & venit ad nos, & fuit in latere Arcæ deorsum, quia Virgo fuit non solùm mente, sed etiam carne; vel ostium in latere Arcæ, idest filius in ventre, qui dicit, *Ego sum ostium. Ioan.* 10.

Sextò commendatur à Conceptione Saluatoris, & merito intercessionis. Cum dicit Pater filio, Ingredere Arcam, carnem de Virgine assumendo, tu, & vxor tua, scilicet cœlestis sapientia. Sapien.8. *Quæsiui mihi sponsam illam assumere*, & filij tui, idest dona Spiritus Sancti: & vxores filio-

filiorum tuorum, scilicet septem illæ virtutes, de quibus. Iacob 3. dicitur. *Sapientia autem, quæ desursum est, primum quidem pudica est, deindè pacifica, modesta, suadibilis, &c.* Noe, idest Christus, qui interpretatur requies, quia sicut tempore Noe quieuerunt per diluuium omnia retrò opera, ita per Christum omnes, qui anteà laborabant.

## *De Nomine Virginis Mariæ.*

Hieronymus lib. de Nominibus hebraicis, titulo de Nominibus ex lib. Exodi. sic ait. *Maria illuminatrix mea, vel illuminans eos, vel stella maris.* Hier on.

Idem in titulo de Euang. Matth. hæc addit. *Mariam plerique existimant interpretari, illuminant me isti, vel illuminatrix, vel smirna maris, sed mihi nequaquam videtur. Melius autem est, vt dicamus sonare stellam maris, siuè amarum mare; sciendumque, quòd Maria sermone Syro Domina nuncupatur.*

Eucherius lib. 2. Instruct. cap. 1. *Maria, inquit illuminata, siuè stella maris, sed sermone Syro, Domina.* Eucher.

Epiph. Serm. de Laud. Virginis. Ioannes Damasc. lib. 4 Orthodo. fidei cap. 15. idem sentiunt. Epiph. et Io. Dā.

Petrus Grisog. Serm. 146. obseruat. *Nomen ipsum Mariæ dictum Latinè, idem esse, quòd maria breuè & assignat causam, quia sicut congregationes aquarum Scriptura appellat maria, ita etiam voluit Deus, vt omnes gratiæ in Virgine congregentur, & gratiarum omnium congregationes, Maria dicerentur.* Petrus Grisog.

Augustinus de sanctis Serm. 31. antè medium, tomo 10. Ipse alloquens ait. *Si te cœlum vocem, altior es; Si matrem gentium dicam, præcedis: Si Dominam Angelorum nominem, super omnia esse comprobaris.* August.

Idem vbi supra. *Appellat Mariam collegium sanctitatis.*

Seraphicus Bonauentura, in speculo B. Virginis lect. 3. *Omnia flumina intrant in mare; idest, omnes gratiæ intrant in Mariam, flumen gratiæ Angelorum, flumen gratiæ Patriarcharum, flumen gratiæ Martyrum, Confessorum, &c.* Seraph. Bonau.

Arnold. Carnot. Arnoldus Carnotens. tractatu de Laudibus Virginis. *Maria, lingua Syriaca, Domina dicitur*, Christus Dominus, Maria Domina, & licet ipsa, se Christi profiteatur Ancillam; hoc seruitutis genus, omni regno sublimius esse intelligit: constituta quippè est super omnem creaturam, & quicũque Iesu curuat genu, Matri quoque pronus supplicat, & filij gloriam cum matre, non tàm communem iudico, quam eandem.

Bern. Super Missus est Bernardus Homil. 2. inquit. *Nomen Virginis, Maria, quod interpretatum, Maris stella, dicitur, ipsa est praeclara, & eximia stella, super hoc mare magnum, & spatiosum subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis, in huius saeculi profluuio, magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, nè auertas oculos à fulgore sideris, si non vis obrui procellis: respice stellam, voca Mariam.*

Idem Serm. 1. de Assumptione B. Mariae. *Mariae praesentia, totus illustratur orbis, & ipsa in caelesti patria clariùs rutilat virgineae lampadis irradiata fulgore.*

Idiota. Idiota lib. Contempl. Virginis cap. 5. elegantissimè dicit. *Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, quod post nomen filij tui, est super omne nomen; vt in nomine tuo omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, & infernorum: Hoc nomen super omnia sanctorum nomina, reficit lapsos, sanat languidos, illuminat caecos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum Diaboli extrudit, tantae virtutis est, & excellentiae tuum sanctissimum nomen Beatissima virgo, vt ad eius inuocationem, caelũ rideat, terra laetetur, Angeli congaudeant Daemones contremiscant, & infernus conturbetur.*

Dionys. Carthu. Dionysius Carthusianus lib. 3. de Laudibus Virginis cap. vltimo. Refert, *quòd Beata Virgo apparuit Beatae Brigittae, & dixit. Audi quantum filius meus nomen meũ honorauerit. Nomẽ meum, dum Angeli audiunt, gaudent, Deoque gratias agunt, quò d per me, & mecum talem gratiam fecit, & quoniam vident humanitatem filij mei, in Deitatem glorificatam, qui in Purgatorio sunt, gaudent, nomine meo audito, Angeli etiam boni, audito hoc nomine, iustis magis propinquant, & de eorum laetantur profectu, quibus sunt ad custodiam deputati, omnes quoq; Daemones verentur hoc nomine Mariae, eoque audito aufugiunt.*

Gre-

Gregorius Nissenus de sancta Christi Natiuitate. *Maria, diuinitùs datum munus significare.* *Gregor. Niss.*

Metodius. Orat. ob hypopantem Domini. *Benedicta tu celeberrima, & desideratissima, tuum Dei genitrix nomen, diuinis benedictionibus, & gratijs omni ex parte refertum est.* *Method.*

D. Bonauentura lect. 2. Speculi Virginis. *O verè beatissima, ò verè radiosissima stella, Maria: cuius radius non solùm mundum, immò etiam cælum, & non solùm Cælum, immò etiã infernum penetrauit.* *D. Bona.*

Bernardus Hom. 2. super Missus est, circa finem. *Ipsa est præclara, & eximia stella ex Iacob orta, cuius radius vniversũ orbem illuminat, cuius splendor etiam in supernis præfulget, & inferos penetrat.* *Bernar.*

Idem vt supra. *Nè auertas oculos tuos, à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis.*

## ADDITIO.

De excellentia huius nominis, profeticè dixit Salomon. *Oleum effusum nomen tuum. Cant. 1. Ideò adolescentulæ dilexerunt te nimis;* rectè hoc nomen Maria, oleo comparatur, quia supra omnia sanctorum nomina, post nomen filij, supernatat omni nomini, sicut oleum omni liquori. Dedit ei tota Trinitas nomen, quod est super omne nomen, post nomen filij sui, vt in nomine eius, omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur huius sanctissimi nominis gratiã, gloriam, & virtutem. Non est enim in aliquo alio nomine post nomen filij, tàm potens adiutorium, nec est aliquod nomen sub cœlo datum hominibus, post dulce nomẽ Iesu, ex quo tanta salus refundatur hominibus. Dicitur ergo Mariæ, nomen tuũ, idest fama nominis tui: quod prius clausum fuit, quamdiù morata es in mundo, sicut oleum in vase; post Assumptionem tuam ad Cęlum effusum est, per omnia mundi climata. Nam in prædicatione Apostolorum, in omnem terram exiuit sonus eius, & manifestatum est toti mundo

Vel iuxtà consuetudinem scripturarum, Nomen hic

ponitur pro nominato; ficut ibi, Protegat te nomen Dei Iacob, ideſt ille qui nominatus eſt Deus Iacob. Et eſt ſenſus. Oleum, ideſt, tu qui nominanris oleum, iuxtà multas proprietates olei, & maximè propter miſericordiam, effuſum, extra vas fuſum, cuius vas ipſe Chriſtus; de cuius plenitudine accepiſti, & nobis de tua plenitudine, gratiam pro gratia refudiſti. Et quia oleum effuſum eſt nomen tuum, ideò Adoleſcentulæ, ideſt fideles animæ, quæ exuto veteri homine cum ſuis actibus, nouum induerũt: & ideo nouellæ per gratiam, non vetulæ per culpam; nõ ſenio ſteriles, ſed donis ſpiritualibus fecundæ; Fortes in fide, & dilectione, non debiles, vt vetulæ: non incuruatæ per amorem terrenorum, ſed per cæleſte deſiderium rectæ, & ad cœlos erectæ. Dilexerunt te nimis; ideſt, vehementer. Et nota, quòd ideò genere fœmineo dicitur, Adoleſcentulæ, quia feruentius amant, quàm Adoleſcentuli, & quia commendatur ab humilitate, & fœcunditate.

Dignitatem, & efficaciam iſtius nominis, innuere videtur Salomon, dicens. Prou. 22. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* Item Eccl. 7. *Melius eſt nomen bonum, quàm pretioſa vnguenta.* Mariæ ſiquidem nomen, longè meliùs, quàm diuitiæ corporales, quia melius anguſtiam releuat paupertatis; & dolori peccatorum medetur melius, quàm vnguenta. Pauper es, confuge ad nomen Mariæ, quæ tibi pauperrima exhibetur, & ſi deuotè attendas, quòd de hac paupertate exaltata eſt etiam ſuper Angelos, iam non erit tibi oneroſa paupertas. Peccator es? ad Mariæ nomen confugias, ipſum ſolùm ſufficit ad medendum. Nulla eſt peſtis tàm efficax, nulla ſic hæret, quæ nomini Mariæ non cedat continuò, ſicut patet per multa exempla. Tentatus es? ad Mariam confuge, ipſa eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata. Bernardus ſuper iſta verba. *Non ita metuunt hoſtes viſibiles quamlibet caſtrorum multitudinem copioſam, ſicut aereæ poteſtates Mariæ vocabulum: patrocinium, & exemplum: cedunt, & pereunt ſicut cera à facie ignis, vbicunque inuenerit huius nominis crebram recordationem, deuotam inuocationem, ſolicitam imitationem.* Roganda eſt igitur aſſiduè Maria, vt nomen ſuum, quod

Bern.

eſt

est Domina, interpretetur in nobis, tentatores nostros expugnando, & se turrim fortitudinis nobis exhibendo à facie inimici:& vt hoc nobis præstare dignetur, nomen eius,& memoriale in desiderio animæ, & iugi memoria teneatur.

Maria, quatuor interpretationes huius nominis habentur in vsu. Maria, idest, Illuminatrix fuit in filij Natiuitate, quando emisit radium totum mundum illuminantem, & mundo edidit lucem veram; quando scilicet verus Sol iustitiæ exortus est ex ea. Domina fuit, in filij oblatione, quando ipsum præsentauit in templo; vbi totus conueniebat mundus, quasi toti mundo ipsum daret. Fuit amarum Mare, in filij Passione, quando animam ipsius filij, pertransiuit gladius: ideò longè plusquàm Martyrem, eã non immerito censeamus, in qua passionis sensum excessit compassionis affectus. Domina, quia nos protegit tanquàm Turris fortissima, & aduersarios nostros reprimit, & expugnat, quia terribilis est vt castrorum acies ordinata.

Est Stella maris, quia dirigit vias nostras per mare huius mundi. Roganda est ergo assiduè, vt nomen suum interpretetur in nobis, vt scilicet illuminet tenebras nostras; noxias nobis amaricet delicias, vias nostras tanquã stella maris regat, & dirigat. Tanquam Domina comprimat tempestates, & aduersarios nostros compescat. Dicitur Domina, quia nos protegit, & expugnat, quibus est terribilis, vt castrorum acies ordinata. Stella maris dicitur Mare amarum, quia nobis amaricat noxias mundi delicias, vt supra.

Dicitur Illuminatrix; quia sicut Sol radijs suæ claritatis illuminat mundum: sic ipsa suis virtutibus, & exemplis, populum irradiat Christianũ. Vnde dicitur Eccl. 24. *Illuminabo omnes sperantes in Domino.* Ipsa enim illuminat Ecclesiam militantem; signatam per Arcam Noe, quam illuminabat fenestra christallina, quæ figurabat Mariã. Illuminat & triumphantem. Vndè dicitur Ecclesiast. 24. *Ego feci, vt in Cælis oriretur lumen indeficiens.* Propter hoc de ea canitur, quòd vita eius inclita, cunctas illustrat Ecclesias; idest Militantem, & Triumphantem. Ipsa etiam

post filium, est illa vera lux, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum. Vndè de ipsa possunt intelligi verba illa Patris. Isaiæ 42. dicentis ei. Dedi te in lucem gentium, &c. Ad hoc etiam significandum, media nocte peperit lucem veram, vt mediante partu suo, illuminaret populum in tenebris ambulantem.

Dicitur etiam Stella, propter excellentiam sui status. Vndè Eccl. 24. *Ego in altissimi habitaui.* Excellens fuit in ortu, quia concepta fuit absque peccato originali: Et nata est filia gratiæ, cum omnes alij nascantur filij Iræ. Fuit excellens in vita, quia virginitatem vouit. Fuit excellēs in humilitate, quia respexit Deus humilitatem Ancillæ suæ, &c. Fuit excellens in fide, quia per fidem concepit. Vndè dicitur ei. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino.* Fuit excellens in partu, quia sine dolore, natura mirante, suum peperit genitorē. Fuit excellens in doloribus, quia fuit plusquam martyr in morte filij. Fuit excellens in morte, quia non sensit dolorem mortis. Fuit excellens in resurrectione, quia post mortem resurrexit, & in corpore, & anima assumpta est in Cœlum, & exaltata fuit super omnes Angelorum choros.

Dicitur etiam Stella, quia clara, & lucida sanctitatis exemplo, nec similem visa est, nec habere sequentem. Clara etiam per vitæ puritatem, non habens in se maculam, sicut luna. Vnde de ea dicitur. *Tota pulchra es amica mea: & macula non est in te.*

Dicitur Stella propter paruitatem; idest humilitatis, offerens se Domino in Ancillam, cum postularetur in matrem, licet postea magnam se esse testetur, dicens. *Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est.*

Dicitur etiam Stella à stando. Stare enim obedientis est: & de ipsa dicitur. *Astitit regina à dextris tuis, &c.*

Est etiam Stella, propter continuum motum, quia continuè mouebatur de virtute in virtutem, de vno bono ad aliud, de actiua ad contemplatiuam.

Est Stella, idest pulchra ex omni parte. Tota pulchra es amica mea, &c. Est Stella, quia nauigantes per mare

mundi,

mundi, introducit in portum salutis. Ideo signatur per Stellam, quæ Magos adduxit ad Christum, qui est portus salutis. Est Stella, quia firmamentum adornat, idest Ecclesiam, tanquam pulcherrima mulierum; pulchra fuit in sua Conceptione, quia à peccato originali præseruata; pulchrior in Christi Cóceptione; pulcherrima in sua Assumptione. Est stella, quia noctem illuminat, idest tenebras peccatorum expellit.

Non solùm dicitur stella, sed stella Maris super illud Lucæ 1. *Et nomen Virginis Maria.* Dicit Bernardus. *Loquamur pauca super hoc nomine, quod interpretatum Stella maris dicitur: & Matri Virgini valde conuenienter aptatur. Ipsa namque aptissimè sideri comparatur, quia sicut sidus sine sui corruptione, suum emittit radium: sic absque sui læsione virgo peperit filium. Nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini filius suam integritatem. Ipsa ergo est nobilis, illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat, cuius splendor, & præfulget in supernis, & inferos penetrat. Ipsa namque est præclara illa, & eximia Stella, super hoc Mare magnum, & spaciosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio, magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, nè auertas oculos à fulgore huius sideris: si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, respice Stellam, voca Mariam. Si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si emulationis; respice Stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentẽ, respice Mariam. Si criminum immanitate turbatus: conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus: baratro incipias absorberi tristitiæ; desperationis abysso: cogita Mariam. In periculis, in angustijs, in rebus dubijs: Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab Ore, non recedat à corde: & vt impetres orationis eius suffragium: non deseras conuersationis eius exemplum.*

*Ipsam sequens, non deuias, ipsam rogans, non desperas: ipsam cogitans, non erras: ipsam tenens, non corruis: ipsa protegente, non metuis: ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia ad portũ peruenis. Et sic in temetipso experiris, quàm meritò dictum sit. Et nomen Virginis Maria. Hæc Bernar.*

Item

Item stella Maris. Quia sicut stella in mari nauigantibus rectæ viæ inditium est; sic Maria in hoc mundo tortuosè viuentibus, alijs rectam viam humilitatis, alijs castitatis, alijs bonæ operationis, alijs contemplationis, seu cuiuslibet virtutis ostendit.

Stella Maris, quia nauigantes mare mundi spaciosum, vbi sunt reptilia absque numero, & animalia pusilla cũ magnis: ipsam inter omnes stellas, idest sanctos pręcipuè cognoscunt, ad eam frequentius spiritualibus oculis respiciunt, perditam sollicitius redeunt, secundum ea iter suum dirigunt. Ipsa enim rectè viuere cupientes exemplis suis dirigit: errantes ad viam reducit, periclitantes ad portum salutis deducit.

Dicitur stella Maris. Mare, quia aquæ maris amaræ sunt. Sic Virgo Maria, in passione filij amarissima fuit: quia sicut omnes aquæ intrant in mare, sic omnes dolores fuerunt in Virgine Sanctissima.

Dicitur etiam Maria mare, propter aquarũ, idest gratiarum plenitudinem. Vnde dicta est Gratia plena. In mari enim, nec fundus, nec mensura est. Nec Maria accepit gratiam ad mensuram aliorum. Ecclef. 1. Profundum abyssi, quis mensus est?

## *De Laudibus Virginis.*

*Petrus Damia.* PEtrus Damaianus Serm. 2. de Natiuit. Virginis. *Nullus ergo humanus sermo in laude eius inuenitur idoneus, & impar est illi omne humanæ linguæ præconium.*

*Damasc.* Damascenus Serm. de Domitione Virginis. *Non hominum lingua, non mundo sublimior, Angelorum mens, sat dignis laudibus efferre potest.*

*Bernar.* Bernardus Serm. 4. Assumptionis. *Quæ iam poterit lingua, etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus, Virginem Matrem, Matrem autem, non cuiuscunque sed Dei?*

*Cyrillus.* Cyrillus Hom. 6. contra Nestorium. *Quis adeò valet eloquentia, qui Mariam plurimum laudatam Matrem, & Virginem (Stupendum miraculum) pro dignitate celebrare, & deprædicare possit?*

Di

Diuus Ioannes Chrysostomus. Homil. in hypopant. Domini, quæ latinè nondum extat. *Magnum reuera Virgo hæc, mundi miraculum est, & quidenim in rerum vniuersitate queat hac maius, aut subtilius inueniri? sola hæc cælum, & terram amplitudine superauit. Quidnam illa sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Patres, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique quippiam inter creatas res visibiles, aut inuisibiles, vna hac maior, aut excellentior inueniri potest.* Chrysost. Canisius lib. 1. c. 2

Et in sua Liturgia, deuotè, & humiliter loquens cum ipsa Virgine, ait. *Verè dignum, & iustũ est glorificare te Deiparam, & semper beatissimam, & penitus incontaminatam Matrem Dei nostri honoratiorem Cherubim, & gloriosiorem incomprahensibiliter Seraphim, quæ citra corruptionem Deũ peperisti, verè Deiparam te magnificamus. Aue gratia plena.*

Gregorius Nazianzenus lib. de Christo patiente.

*Salue puella gratiæ.*
*Aequanda nullis, Mater, & Virgo supra*
*Omnes decora Virgines, & suprema,*
*Quæ vincis omnes cęlitum ordines*
*Regina Domina generis humani bonum.*

Sancta Ecclesia. *Fælix es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, &c.*

Ioannes Damascenus Orat. 1. de Mariæ Natiuitate. *Appellat Virginem miraculum omnium miraculorum maximè nouum. Immò miraculorum abyssum, ita vt in ea veluti in abysso profundissima, multa sint miracula, quæ penetrari, & inuestigari non possint.* Et ego humiliter dico, quòd Virgo sanctissima non solùm fuit miraculum, respectu operum naturæ, sed, quod magis est, respectu, & comparatione operum gratiæ. S. Thom. par. 1. quæst. 105. dicit.

*Quòd miraculum dicitur ab admiratione, & ista admiratio prouenit videndo effectum, & ignorando causam, ita vt, quòd effectus sit manifestus, & causa occulta,* verùm est, quòd non

semper

ſemper quando cauſa alicuius effectus eſt occulta, illud dicitur miraculum,ſed illud tantum, quod totius naturæ vires excedit;multa videmus, & cauſas ignoramus:attamen,non miracula,ſed mirabilia appellamus. Etiam dico,quòd illud dicitur miraculum,quod non fit à Deo cōmuniter,& ordinariè,ita quod non ſufficit effectum eſſe ſupernaturalem,vt,verbi gratia,iuſtificatio impij, licet effectus ſit ſupernaturalis,attamen non dicitur miraculū, quia quotidie iuſtificantur peccatores. Oportet ergo ad hoc,quòd ſit miraculum,quòd cauſa ſit occulta,& quod de rarò contingat.

Et hæc eſt cauſa, quòd Beata Virgo dicitur miraculū, quia licet communis ſanctitas, curſum naturæ ſuperet, quia tamen innumerabiles in Eccleſia Sancti,omni ætate floruerunt, non potuit eorum ſanctitas rationem habere miraculi;at quoniam Virginis ſanctitas, præterquā quod fuit ſupra naturā,fuit etiam extraordinaria, immò ſine exemplo; hinc eſt, quòd miraculum, & prodigium optimo iure appellari poſſit. Itaque ſicut datur miraculum comparatione operum naturæ,quia excedit omnem ordinem naturæ: Itā Virgo Maria, comparatione operū gratiæ miraculum fuit,quia in genere ſanctitatis,fuit ſupra communem ordinem gratiæ,non tantùm in hominibus,ſed etiam in ipſis Seraphim; & ideò quando Virgo Maria aſſumpta fuit in Cœlum, admirando clamabant. *Quæ eſt iſta,quæ aſcendit de deſerto delitijs affluens*? ideſt,præter legem communem gratijs circumfluens. Dicitur etiā

Damaſ. ſecundum Damaſcenum, Maria Virgo abyſſus miraculorum, propter myſterium Incarnationis in ea operatum; quod quidem myſterium dicitur miraculum miraculorum,& abyſſus miraculorum.

Damaſ. Damaſcenus Serm.de Domitione Deiparæ,& lib.4.de fide orthod.cap.15. *Maria res creatas antecellit,ac omnibus præeſt,vtpotè rerum omnium dominatrix,ac Domina cenſenda poſtquam eius,qui condidit omnia,mater effecta eſt.*

Germa. Patria. Germanus Patriarcha Conſtantinopol. ad Ioannem Synadon Epiſcopum hoc modo ſcribit. *Verè, ac propriè veri Dei Matrem veneramur, & magni facimus, & quamuis viſibili,& inviſibili creatura ſuperiorem reputamus.*

Gre-

Gregorius magnus in lib.5.Reg.cap. 1. Appellat eam cum Isaia 21. Montem sublimem, in omnium montium vertice situm eò quia cunctis sanctorum ordinibus emi nentiorem ostendat; *Potest huius montis nomine Beatissima semper Virgo Maria Deigenitrix designari. Mons quippè fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad Conceptionem verbi pertingeret, meritorum verticem, supra omnes Angelorum Choros, vsque ad solium Deitatis erexit. Huius enim montis præcellentissimam dignitatem, Isaias vaticinans ait. Erit in nouissimis præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ super omnes sanctos refulsit.* Grego. magn.

Petrus Damianus Serm.3.de Natiuitate Mariæ. *Et quid mirum, inquit, si hæc ineffabilis Virgo, in suis laudibus modum humanæ vocis superat, cum & ipsi humani generis naturam, excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum Chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non Iudex Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus: non aliquis antiquorum: non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini, poterit comparari. Quid enim sanctitatis, aut iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit, quæ totius Diuinæ gratiæ charismate plena fuit?* Petrus Damia.

Bernardus Serm.1.de Assumptione Virginis. *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit.* *Bernar.*

Rubertus lib.5.in Cant. *Mariam iure vocari solem, quæ licet natura, non sit idem, quòd Sol verus, & æternus, ex ipso nimirum prodiens: tamen ab hoc ipso Sole honoretur, quemadmodum parentes à filijs decet honorari. Qui enim dixit, honora Patrem, & Matrem: non dubium, quin, & ipse honoret, & ab omnibus amicis suis, suam velit honorari Matrem: quia nec inter Angelos inquit, nec inter homines similem, vel primam habet, vel sequentem habitura est.* *Rubert.*

Idem lib.7.de Diuinis officij cap.25. Qua enim sui corporis parte altius, post ipsum caput suum Christum, Ecclesiæ sublimitas enitiuit, quàm singularibus huius Reginæ Angelorum meritis, cuius ex carne sine viro Chri-

stus, vt lapis de monte, sine manibus est editus?

*Method.* *Methodius Episcopus Tyri in Orat. habita, ob hypopantem Domini.*

*Canisius lib.1.c.2* Benedicta tu celeberrima, & desideratissima, tuum Dei genitrix nomen, diuinis benedictionibus, & gratijs, omni est ex parte refertum, tu fidelium fax, tu incircumscripti (si ita quidem loqui fas est) circumscriptio, tu speciosissimi floris radix, tu Creatoris Mater; tu nutrix omnia nutrientis; tu cuncta continentis, & compræhendentis compræhensio: tu illius gestatrix, qui verbo suo portat vniuersa: tu porta, per quam in carne ingressus est Deus; tu purificatis carbonibus forceps; tu præangustus illius sinus, qui sinu suo omnia complectitur; tu incompræhensibilis illius roris vellus; tu bethleemitica illa cisterna, quam velut vitæ refocillatricem Dauid desiderauit, & ex qua immortalitatis poculum, immortalibus emanauit; tu propitiatorium; tu per quam Deus, humanã naturam indutus mortalibus innotuit; tu impollutum illius indumentum, qui luce vti vestimento circumfunditur: tu Deo nullius alioquin rei indigenti, carnem, quam non habebat, mutuata es, quo nimirum hac oratione, omnipotés, id, quod esse dignatus est, homo videlicet, homo appareret. Quid hoc illustrius? Quidue sublimius? Qui cœlum, & terram implet, cuius præterea sunt omnia quæ cunque mouentur, atque subsistunt. Is tui factus est indiguus; tu enim admirabilem incarnationem, quam aliquã donon habuit, Deo mutuò dedisti: tu potentem illum corpore tanquam decenti quadam panoplia induisti, per quam quidem, ipse facilè à me caperetur, & cerneretur; Ego verò tutum, & cõmodum ad illum accessum haberem, per quam etiam ignita omnia maligni tela extinguuntur. Euge, euge Mater Dei, & Ancilla. Euge, euge, quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur. Deo namque vniuersi debemus, tibi verò etiam ille debet. Quapropter ego cum celebri Propheta, de immensa excellentia tua nos admonente, concludens dixerim. Quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius Baruch. 3.

Et alibi, Idem loquens cum Virgine. *Salue, inquit, dilecti-*

*ctionis Dei thesaure; Salue humanitatis filij flos: Salue Spiritus Sancti vmbraculum.*

Petrus Damianus Serm.1.de Natiuitate Mariæ. *Quid grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ Diuinitatis, intra sui ventris conclusit arcanum? attende Seraphim, & illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quicquid maius est, minus Virgine: solumque opificem opus istud supergredi.* Confert igitur Mariam Throno Salomonis, excellentissimè, pulcherrimèque fabricato, quo in vniuersis regnis opus præstantius non reperiretur. 3. Reg. 8. Ac tandem cum ipsa Virgine loquens summa gloria est, post Deum te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari, *in fine primi Sermonis.* *Petrus Damia.*

Apponius lib.4.in Cant. *Verè digna, quam solam beatam omnes generationes dicant: quam gloriosam inter omnes fœminas, non solùm diuersarum gentium nationes sed etiam cœlorum virtutes admirantes collaudant, per quã vitam ingressam, mortem fugatam, mundum reconciliatum gaudemus, per quam in terra maledictionis, in terra impiorum perditam terram incontinentiæ primùm sanctæ voluntatis vox conseruandæ virginitatis audita est. Terra nostra dabit fructum suum.* Appon.

Anselmus lib. de Exul. Virginis cap. 2. *Excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.* *Anselm.*

Bernardus Serm. de Natiuitate Mariæ. *Magnum est Angelo, vt minister sit Domini, sed Maria sublimius quiddam, meruit vt sit mater: fœcunditas itaque Virginis supereminens gloria est, tantòque excellentior Angelis facta munere singulari, quantò differentius præ Ministris nomen Matris accepit.* hanc inuenit gratiam, plena iam gratia, vt charitate feruida, virginitate integra, humilitate deuota, fieret nihilominus sine viri cognitione grauida; sine muliebri dolore puerpera; parum est? quod ex ea natum est, sanctum vocabitur, & est filius Dei. *Bern.*

Chrysost. in Orat. de Annunciatione Virginis. Vocat eam *animatum palatium Regis Angelorum, rationalem paradisum, alterum Cœlum, Diuinum Templum, habitaculum verbo Dei dignum, thalamum Diuinæ humanitatis, purum cubiculum ortus Christi, animatum Dei templum, cæli, terræque pariter domicilium, incomprehensibilis naturæ ampiissimum habitaculũ.* *Chrysost.*

Ca-

Effrem. Canisius li.4.c.24 Effrem. in Orat. de Laudibus. Mariæ. Appellat eam *Lucerna micantissima, vrna cœli, manna gestans, tabula scripta, legem ferens mortalibus, Arca vera, charta diuinissima, Paradisus deliciarum, & immortalitatis, signum vitæ & thronus Creatoris.*

Gregor. Nicom. Gregorius Nicomedi: in oratione de oblatione Deiparæ in templo appellat illam *portam semper clausam, animatum Cœlum, quod in se celauit Diuinitatem, inauratum candelabrum, mensam, in qua vitæ panis propositus, aureum thuribulum, Arcam sanctificationis, quæ portauit cœleste manna, noui testamenti thesaurum, vrnam inclitam, & gloriosam, Virgam sacerdotalem, quæ absque irrigatione florem produxit, sanctam terram, ac desiderabilem, ex qua orta est Iustitia, & veritas, montem vmbrosum, inquo habitare placuit verbo, Montem à quo abscissus est lapis, qui repleuit orbem; oliuam fructiferam, Thronum gloriosum, Regium vehiculum, sanctam Syon, Lectulum Salomonis Librum obsignatum, Reginam à dextris stantem, quæ nullam suscepit maculam, libero suo arbitrio Sponsam Christi, Hortum conclusum, Fontem signatum, ex quo manant fluenta purissima, animatam Dei Ciuitatem, Sanctificatum Dei tabernaculum, domum gloriosam, indissolubile templum, agnam immaculatam.*

Andr. Hieroso. Andreas Hierosolymitanus in Orat. de festo Annunciationis, & eiusdem Dormitione vocat eam *preclarissimam, ornatissimam, Diuinæ gloriæ templum, Sacrosanctum Regis palatium, Thalamum, Thesaurum, Cœlum, Domicilium Cœlo præstantius, terram virgineam, ex qua nouus Adam formatur, nouam Dei Arcam, vrnam auream, forcipem, Seraphicam prunæ mistica, spirituale speculum, Prophetarum, & Patriarcharum Decus.*

Anselm. Anselmus. De excellentia Virginis in fine cap. 9. *Quòd illa propter nos in tantam celsitudinem eleuata sit, vt eam Dominam habeat, & veneretur omnis pariter creatura, quodque omnia, quæ in cœlo sunt, Mariæ glorificatione inextimabiliter decorentur.*

Damas. Damascenus Serm. de Dormitione Virginis. *Appellat eam Cœlum verè animatum, & vitæ thesaurum, gratiæque abyssum.*

Idiota. Idiota in lib. Contempl. de Beata Virgine cap. 3. & 4.

vocat eam plusquam beatam. *Inter omnia opera æterni opificis, post operationem illam, quæ naturæ nostræ vnitus est filius tuus: speciale opus fuisti, ò beatissima Virgo Maria.*

Chrysostom. Homil. de Domini Hypopant. *In rerum tota vniuersitate, nihil maius, & præstantius extare Maria. Quæ sola, & cælo, & terra sit latior, ac sanctior, nec aliud quidpiam, inter aspectabilia, & inaspectabilia Dei opera, præclarius, & excellentius inueniri.* Chrysos.

Athanasius Serm. in Euangel. de Sanctissima Deipara. *Mariam non modò Deiparam, sed etiam Reginam, & Dominam propriè, verèque censeri*; quandoquidem Christus ex ipsa Matre Virgine natus, Deus, & Dominus, idemque Rex maneat. Athana.

Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 15. *Mariam Dominam, & omnium creaturarum dominatricem, eò quòd Mater sit conditoris.* Damas.

Petrus Damianus Serm. 1. de Natiuitate Mariæ. *Hic taceat, & contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tātæ dignitatis, & dignationis immensitatem: Dominus tecum inquit Archangelus, habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentia: habitat Deus in Virgine, habitat cum illa, cum qua vnius naturæ habet identitatem.* Petrus Damia.

Bernardus de verbis Apo. *Iure Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Diuinæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum: vt quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Bernar.

Idem Serm. 2. de Festo Pentecostes. *Beatam te dicent omnes generationes, quæ omnibus generationibus, vitam, & gloriā genuisti.*

In te enim Angeli lætitiam; iusti gratiam; peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò te respiciunt oculi totius creaturæ; quia in te, & per te, & de te, benigna manus omnipotentis, quicquid creauerat, recreauit.

Dionysius Carthus. libr. 1. in Præfat. de Laudibus Virginis pulchram, vt Lunam, electam vt Solem appellat. *Quòd sicut Luna nocti præest, & post Solem clariùs in cælo splendet, Sol verò planetas omnes multis modis excellit: Sic Illu-* Dionys. Carthus.

*ctrissimam Virginem post Solem iustitiæ Christum in militanti, ac triumphanti Ecclesia, fulgentius emicare: Sanctosque omnes, omni perfectione, sapientia, pulchritudine, & fœcunditate transcendere, quæ aduersarijs etiam potestatibus, & malignis spiritibus, sit valde terribilis.*

Damas. Damascenus in Hymnis, quibus Festum Annunciationis Mariæ celebratur. *Hanc sanctis sanctiorem, sacris Sacratiorem, & pijs magis piam, fontem itidem ad vitam, & scalam ad cælos, & diuinum thesaurum appellat; mane, inquit, nobiscum, quæ es nostra consolatio, quæ es nobis vnicum in terra solatium.*

Effrem. Effrem. *Intemerata, prorsusque pura Virgo Deipara, Regina omnium, eademque optima. sublimior cælicolis, purior solis radijs, & splendoribus: honoratior Cherubim, sanctior Seraphim, & sine comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior, Spes Patrum. gloria Prophetarum, Apostolorum præconium, & honor Martyrum, Sanctorum lætitia, Hierarcarum inaccessa, omnium princeps, omnium dux, sacratissima puella, per te reconciliati sumus Christo Deo.*

Basilius. Basilius in orat. de Annunciatione. *Non est quorumlibet, præmeritas laudes Virginis persoluere, sed eorum qui Diuina gratiæ lumine insigniter illustrati sunt.*

Origen. Origenes in epist. ad Pamachium, & Oceanum vocat Mariam. *Virginem, vnigeniti Dei, sed & dignam digni.*

Cantip. Cantipantranus lib. 2. de Apibus cap. 29. *Si cuncta corporis mei membra, & omnes guttæ sanguinis mei vertantur in linguas, &c.*

Epipha. Epiphanius de Laudibus Virginis. *De qua prædicanda, cælestis, ac terrena lingua minimè sufficit, immò verò nec Angelorum.*

Bernar. Bernardus Serm. 4. de Assumptione. *Non est quod terreat magis, quàm sermonem de virginis gloria habere.*

Basilius. Basilius. *Qui omnia illustria, & gloriosa dixerit, nusquam à veritatis scopo aberrauerit, immò dignitatis magnitudinem, nulla vnquam oratione exæquabit.*

Lauren. Iustin. Laurentius Iustin. Ser. de Assumptione. *Meritò quicquid honoris, quicquid fælicitatis habebatur in singulis, totum exuberabat in Virgine.*

Basilius. Basilius orat. de Annunciatione. *Cum vniuersa, quæ cæli am-*

*ambitu continentur, illius dignitati comparari non valeant.* Dionyſ.

Dionyſius Arichel lib. 1. in præfatione, de Laudib. Virginis. *Quid nos tantilli? quid actione puſilli? Quid ni eius laudibus refferemus? cum etiam ſi omnium noſtrorum ora vertantur in linguas, eam tamen laudare nullus ſufficit.* Arichel.

Auguſtinus Ser. 2. Aſſumptionis. *Quid dicam pauper ingenio, cum de te quicquid dixero, minor laus eſt, quam dignitas tua meretur? ſi cælum te vocem, altior es, Si Matrem gentium dicam, precedis: Si formam Dei appellem, digna exiſtis: Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te eſſe probaris.* Auguſt.

Petrus Damianus Serm. 3. de Natiuitate. *Ad eius namq; dignè efferenda praconia, non Rhetoricorum diſerta facundia, non Dialecticorum ſubtilia argumenta, non acutisſima Philoſophorum apta reperiuntur ingenia.* Petrus Damia.

Epiphanius Serm. de Laudibus Virginis. *Exili voce ſum, tardaque lingua, & minimè diſertus; vt verba facere posſim, de percelebri ſancta Deipara Maria, de qua leuiter loqui non debet humana lingua.* Epipha.

Cyrillus Homil. 6. contra Neſto. *Salue Dei genitrix Maria, eximium vniuerſi terrarum orbis decus, & ornamentum, tu lampas inextinguibilis, tu Virginitatis Corona, tu recta fidei ſceptrum, ac norma, tu templum inuiolatum, tu eius ſedes, qui nullo capitur loco, tu Virgo, tu Mater. Per te benedictus, qui venit in nomine Domini, in Euangelijs appellatur.* Cyrillus

*Salue, qua incomprahenſibilem, in ſancto virginali vtero cõprehendiſti: per te cælum exultat, per te Angeli, & Archangeli latantur, per te Damones fugantur, per te Diabolus tentator è Cælo decidit, per te prolapſum plaſma, ſiue figmentum in cælum recipitur.*

Zacharias Epiſcopus Chriſopolytanus Ser. de Aſſumptione Virginis. *Dignum, & ab omnibus modis conueniens erat, vt omnia ſubijcerentur ſub pedibus eius, qua omnium genuerat creatorem; Dignum erat, vt Domina eſſet Angelorum, qua digna fuerat eſſe mater Domini Angelorum: Dignum erat, vt Angelica puritas illi ſubderetur in cælis, cui totam ſe infuderat diuina puritas in terris; Dignum erat, vt amplius matrem ſuam honoraret, quam miniſtros, ipſe qui dixerat. Honora Patrẽ tuum, & Matrem tuam. Dignius erat, vt familiarius hanc amaret, copioſius remuneraret, qua ſingularius, atque ardentius, om* Zachar.

*ni rationali creatura ipsum dilexerat.*

S.Effrē. Canisius li.3.c.7. Sanctus Effrem orat. de Laudibus Virginis. *Aue Dei splendidissimum, & luculentissimum vas: Aue Domina Maria gratia plena: Aue in mulieribus Virgo Beatissima; Aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodijt: Aue Illustrissima lux, Mater, & Virgo, Aue qua mirificè Regem omnium peperisti: Aue per quam nobis Sol praclarissimus illuxit: Aue Domina cunctis sublimior: Aue canticum Cherubim, & hymnus Angelorum: Aue pax, gaudium, & salus mundi: Aue generis humani latitia: Aue Patrum praconium, & Prophetarum decus: Aue Martyrum pulchritudo, & corona sanctorum: Aue piorum gloria, & in solitudine degentium hymnus: Aue praclarissimum hierarcharum cœlestium ornamentum: Aue hymnigraphorum omnium oratio: Aue praestantissimum orbis terra miraculum: Aue terrigenarum omnium delectatio: Aue Paradise delitiarum, & immortalitatis: Aue lignum vita, gaudium, & voluptas: Aue vallum fidelium, & mundi salus: Aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorum liberatrix: Aue nostra periclitantium auxiliatrix: Aue progenitoris illius Adam resurrectio: Aue iocunda libertas: Aue omnium parens: Aue fons gratia: Aue refugium peccatorum,* Et multa transilio, nè tædium lectori adducā.

Io.Dã. Ioannes Damascenus orat. 1. de Natiuitatæ Mariæ. *O Deo digna filia, humana natura venustas, primigena Matris Eua correctio, mulierum ornamentum.*

Petrus Damia. Petrus Damianus Serm. de Natiuitate. *Et si multa magna facta sunt, in creaturis mundi, nil tàm excellens, tàm magnificum fecerunt opera digitorum Dei.*

Epiph. Epiphanius in vita Ieremiæ. *Cum descendit in Aegyptum cum suo infantulo, Virgo enixa Deo similis.*

Bernar. Bernardus Serm. 1. de Assumptione. *Maria præsentia, totus illustratur orbis.*

Damas. Damascenus Orat. 2. de Assumptione. *Virgo omnium encomiorum legem excedit.*

D.Bona. Diuus Bonauentura in Prologo Speculi Beatæ Mariæ Virginis. *Fateor esse meam insufficientiam, propter nimiam materia tanta incomprahensibilitatem: propter nimiam scientia mea tenuitatem: propter nimiam lingua mea ariditatem: propter nimiam vita mea indignitatem: & propter nimiam persona laudanda laudem, & laudabilitatem. Quis namque materiã*

*illam*

*illam incomprahensibilem esse dubitat? De qua Sanctus Hieronymus Epist. 10. ad Paulam, & Eustochium, ante medium: tomo nono. Quod natura non habuit, vsus nescimit, ignorauit ratio, mens non capit humana, pauet cælum, stupet terra, creatura etiam miratur omnis cælestis.* Hieron.

Hieronymus Serm. de Assumptione. *Timeo satis, & valdè pertimesco, dum, vestris cupio parere profectibus, ne fortè sicut improbus, ita & indignus laudator inueniar. Profectò cum nec sanctitas, nec facundia suppetat, vt beatam, & gloriosam Virginem laudare queam.* Hieron.

Idem. *Ad quid aquæ pauxillum mari addam? Ad quid modicum lapillum montis adijciam?*

Idem vbi supra. *Et verum fatear, quicquid humanis dici potest verbis, minus à laude cæli est: quoniam diuinis, & angelicis est excellentius prædicata, & laudata præconijs.*

Idem vbi supra. *Etsi ad hoc nemo inuenitur idoneus, votis tamen omnibus cessare non debet quilibet peccator à Laudibus.*

## *De excellentia Mariæ.*

## ADDITIO.

LOquitur ipsa de se Eccl. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam.* Ego ex ore, &c. Quia ipse dixit, & facta sunt; ex ore, quia verbo Altissimi creata sum primogenita. Ante omnẽ creaturam; idest dignior omni pura creatura. Item de excellentia suæ creationis loquitur ipsa. *Ab initio, & antè sæcula creata sum: ab initio, idest à Deo Trino, & vno. Vnde Prou. 8. vbi nos habemus.* Dominus possedit me in initio viarum suarum, dicit alia translatio, Dominus creauit me in initio viarum suarum. Vel Ab initio, idest ab æterno creata sum in præscientia Dei; vel, creata, idest præuisa creari quoddã priuilegiato modo: vel Ab initio creationis mundi creata sum, idest præfigurata creari per creationem lucis, de qua factũ est corpus solis, vt quidam dicunt. Sicut enim in illa luce data est lux mundo, tamen sub obscura, & de illa luce fa-

cta sunt luminaria, quæ maiorem lucem dederũt, vt Sol: Ita beata Virgo Maria dedit lucem mũdo, respectu prioris temporis; non tamen tantam vt Sol, idest, Christus, qui de ea natus est. Genes. 1. *Dixit Deus, fiat lux*. Hesther 8. Iudæis *noua lux oriri visa est*. Vel ab initio temporis gratiæ creata sum, ad litteram, quo ad animam; Vel ab initio, idest, tempore gratiæ, vbi omnia initiata sunt, & renouata, creata sum; & ideo dicor Aurora, quæ est terminus noctis, & initium diei, ipsa enim fuit terminus legis, & initium gratiæ: Vel antè sæcula, idest, dignior omnib. sæculis, idest omnibus hominibus, & mulieribus omniũ sæculorum: Item propter excellentiam sui status, dicit ipsa in eodem cap. Ego in altissimis habitaui, &c. Fuit excellens Maria in sua Conceptione, quia à peccato originali præseruata, quod nullus alius. Fuit excellens in sua Natiuitate, quia antè sancta quam nata; nata est enim filia gratiæ, cum omnes alij nascantur filij iræ, quod signatum est in hoc, quòd fuit filia Annæ, quod interprætatur gratia. Vnde Cant. 6. *Vna est Matris suæ. Propter hoc etiam de eius Natiuitate dicit Hesther 8. Iudæis noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium*. In ortu enim eius, noua lux orta est omni iusto, propter veritatis cognitionẽ, quę antea ignorabatur, gaudium propter carceris euasionẽ, honor propter hostis deiectionem: tripudium propter salutis recuperationem. Eius natiuitas arra fuit nostræ spiritualis natiuitatis, nostræ etiam redemptionis, quia ad hoc nata est, vt paternæ præuaricationis debitum aboleret, innocentiam repararet, districti iudicis iracundiam placaret, portam cœli aperiret, & captiuis libertatem conferret. Ideò ipsa dicit. *In me omnis gratia viæ, & veritatis*. In vita, iuxta humanam consuetudinem excellens fuit, quia virginitatem vouit, licet sterilis malediceretur in lege: Humillima fuit, licèt multi superbiant de sua virginitate: fidelis fuit, & credula, licèt, quod ei promittebatur, videretur impossibile: scilicet, quòd virgo conciperet, & pareret manens virgo in filij Dei admirabili conceptione; concepit enim virginitatis gloria permanẽte, quod nulla alia; cõcepit in vtero, idest, ex causa intrinseca, non sicut aliæ mulieres, quæ recipiunt ab extrinse-

co vndè concipiant, scilicet semen viri. Vnde de ea dici potest. *Fælix vmbilicus castitatis, quem amplexus non tetigit maritalis* concepit enim per aurem, idest, per fidem dicto rum, quia fides ex auditu. Vndè ipsa dicit Cant. 5. *Dilectus meus, idest, Deus Pater, misit manum suam, idest, filium suum, per foramen auris meæ, &c.* Et ita conceptus eius singularis, & omnes alios superexcellens. Fuit excellens in filij portatione; fuit enim sine corruptione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera; sicut dicit Bernardus. Et hoc patet ex hoc, quod in ipso suæ Conceptionis initio, quando mulieres miserabilibus affligun- *Bernar.*
tur, sicut dicit idem Bernardus *tota alacritate ascendit in Montana cum festinatione: non lento gradu, sicut mos est aliquo onere grauatorum.* Et sic patet, quòd filio Dei grauida *Bernar.*
ta fuit, non grauata. Fuit excellens in pariendi singularitate, quia sine dolore natura mirante, suū peperit Genito rem. Vnde Isa. 66. Antequam parturiret peperit, antequā veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnquā tale, aut quis vidit huic simile? Vel aliter, quia multæ aliæ pepererunt Reges, & Principes; Sed ipsa sola filium Dei. Item multæ aliæ pepererunt filios, qui postea coronabantur in Reges, sed non nascebantur Reges. Ipsa verò sola, illum quem coronauerat in vtero suo diadema te gloriosæ carnis. Vnde Cant. 3. *Egredimini filiæ Syon, & & videte Regem Salomonem, in diademate coronatum, quo coronauit eum Mater sua.* Peperit Regem coronatum; vnde Matth. 2. Vbi est qui natus est Rex Iudex Iudeorum? Ratione autem huius excellentissimæ dignitatis, comparat se ipsa Cedro, qui Rex arborum appellatur. Vndè dicit Eccl. 24. *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano.* Fuit excellēs in filij lactatione, quia sola Virgo lac habuit, & vocatur lac istud cęleste, non terrenum, vel carneum, propter suam excellentissimam dignitatem. Vndè canit Ecclesia. *Sola Virgo lactabat, vbere de cælo pleno.* Nec de eius lacte gustauit alius, quàm filius Dei. Vnde, & ipse singulariter gloriatur. Cant. 5. dicens. *Bibi vinum cum lacte meo,* quod totum fuit meum. Fuit excellens in administratione coram filio Dei; multi enim alij, & multæ aliæ, susceperunt Christum in suis domibus vno die, vel duobus, &c. Ipsa

verò in domo propria vteri virginalis, nouem mensibus. Item alij aluerunt eum cibis communibus, & fortè dederunt ei aliquod indumẽtum: ipsa verò de carne propria, ipsi, ideſt puro Deo, carnis veſtimentum, & de lacte proprio miniſtrauit alimentum: & propter hoc dicit ipsa anthonomaſticè, coram ipso miniſtraui: ideſt, ad beneplacitum eius. Vndè in iudicio poterit ei dicere filius illud Matth. 25. *Hoſpes eram, & collegiſti me* ſcilicet in vtero tuo: & cum Chriſtus non haberet vbi caput ſuum reclinaret, ſuſceptus eſt, & hoſpitatus in vtero, & in domo virginali. *Item, Nudus fui, & cooperuiſti me* veſtimento tuæ carnis virgineæ. Vndè dictum fuerat Mariæ. Quod naſcetur ex te ſanctum, &c. Lucæ 2. *Et pannis eum inuoluit.* Ecce veſtimentum. *Et reclinauit in præſepio* ecce materiale hoſpitiũ: propter hoc etiam comparatur ipſa velleri Gedeonis, quia lana ſua, ideſt carne virginea, veſtiuit Agnum Dei. Vndè filius poteſt dicere ei: *Pelle, & carnibus veſtiſti me.* Item, *Eſuriui, & dediſti mihi manducare.* Vndè aliqui dicũt, quòd acu, & colo, acquirebat, vnde ſe, & filium paſcebat. Vndè Cant. 2. dicitur, Quòd Chriſtus paſcitur inter lilia, & hæc lilia interpretatur Bernardus, Manus Beatæ Mariæ, dicens: *Manus Mariæ quædam lilia candidiſsima ſunt, Item, Sitiui, & dediſti mihi potum* ſcilicet lactis virginei, quod ego ſolus bibi. Item, *Infirmus eram, & viſitaſti me*, quod impletum eſt, quando Chriſtus Crucifigebatur, & ipſa ſtabat iuxtà Crucem, quando ſcilicet Deus Pater filiũ percutiebat pro ſalute generis humani. Iſa. 53 *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt, propter ſcelera noſtra, & liuore eius ſanati ſumus.* Item, *In carcere eram, & veniſti ad me*; quaſi incarcerebatur Chriſtus in carcere noſtræ mortalitatis, quando naſcebatur de Virgine verus homo, & ad ipſum tunc veniebat Maria, ſicut mater ad filiũ iacentem in cunabulo. Sed tunc quàm maximè fuit incarceratus, quando poſitus in ſepulchro, & tunc creditur, quòd ſemper fuerit iuxta ſepulchrum filij, quoaduſque reſurrexit. Item ratione ſuæ excellentiæ, dicitur ei Cant. 4. *Odor vnguentorum tuorum, ſuper omnia aromata.* Quaſi dicatur, Omnem gratiam vincit tua ſublimitas, omnem excellentiam ſuperat tua dignitas, ad hoc etiam

Bernar.

fa-

facit,quod de ipsa dicitur.*Terribilis,vt castrorum acies ordinata.* Cant.6. Ipsa enim tantum Dæmonibus est terribilis,quantum Angelis, & sanctis extitit venerabilis:idest, sicut tota acies Apostolorum,Prophetarum , Martyrum, Angelorum,Confessorum,& Virginum, & omnium, qui ordinatè contra Diabolum pugnauerunt. Nam quia omnium sanctorum priuilegia, habet in se congesta : Vnde dicitur Cant.6. *Omnia poma noua , & vetera seruaui tibi,Dilecte mi.*Ita terribilis est Dæmonibus,sicut vniuersa collectio omnium sanctorum,aliorum. Et Nota,quòd non solùm excellit dignitatem omnium sanctorum , sed etiã dignitates omnium cœlestium virtutum . Superior est enim Angelis gloria,quia plus meruit,scilicet, quòd Dei filius assumeret ex ea naturam humanam , qui noluit assumere Angelicam.Ad Heb.2.*Nusquam Angelos apprehẽdit,sed semen Abrahæ apprehendit.* Superior partu,quoniam Dominum Angelorum genuit. Superior honore, quia filius eam super choros Angelorum collocauit.Et ideo admirabilis etiam est ipsis Angelis. Vndè dicunt . *Quæ est ista,quæ ascendit,&c.,innixa super dilectum* cum ipsi sint sub dilecto. Superior virginitate,quia in carne fragili,quod non Angeli, vitia carnis vixit.Superior reuelatione,quia Dominus secretum suæ incarnationis prius ipsi,quàm alicui Angelorum reuelauit, excepto dumtaxàt Gabriele quia vtique tantæ inter suos inueniri potuit excellentię, vt tali nomine dignus haberetur,& nuncio.Superior cõtemplatione Dei, quia cum iam sit resuscitata, vt vere creditur , regem gloriæ in decore suo vident oculi eius; non solùm intellectuales,sed etiam corporales,quales Angeli non habent,quia intellectualibus oculis solummodò vident,vnde,& dicuntur intelligentiæ : Item quia nulli Angelorum dixit aliquando Pater, filius meus es tu , sed hoc dixit filio Mariæ in baptismo, & in transfiguratione: Item, quia nulli Angelorum subiecit Pater orbem terræ,sed filio Mariæ. Sicut dicitur in Psalmo : *Omnia subiecisti sub pedibus eius* . Nihil dimisit non subiectum eis tota vero excellentia Matris,ab excellentia filij deriuatur.

Item,ratione suæ excellentiæ, dicitur ipsa, *Pulchra vt*

*Luna. Cant. 6.* ideft, vniuerfalis Ecclefia; quia quicquid pulchritudinis habent alij fancti in parte, habet Maria in toto. Nemo enim fanctorum inuentus eft fimilis illi in gloria, quia omnes habuit in fuperlatiuo: & quot virtutes, tot habuit in fe pulchritudines; & ideò pulcherrima mulierum. Cant. 5. Et ideo dicta eft, & vocata ab Angelo gratia plena, & hoc eft proprium nomen eius, ficut Maria. Vnde Ifa. 62. Vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini, ideft, Angelus, vel filius, qui eft os Patris, prius per Angelum nominauit. Ideò etiam dicit ipfa. Eccl. 24. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis, &c.* Et bene omnis gratia, quia nulla ei defuit virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec fcientia Prophetarum, nec zelus Apoftolorum, nec patientia Martyrum, nec fobrietas Confefforum, nec innocentia, aut humilitas Virginũ, quantumcunque donum alicui fancto fit datum, tantæ Virgini non credimus effe negatum. Bernardus.

Si verò quæratur, Vnde ei tanta excellentia, poteft refponderi, vtique ex hoc, quòd Dominus fecit ei magna, qui poteft; magna in terris, exaltans eam fuper omnes homines: magna in cœlis, exaltans eam fuper omnes Angelos: magna in infernis, fubijciens ei vniuerfas tenebrarum poteftates. Item fuit excellens, quia fuit prætiofa. Prou. *Procul, & de vltimis finibus prætium.* & Parab. 8. *Prætiofior eft cunctis opibus.* Item Sapien. 7. Nec comparaui illi lapidem prætiofum, ideft, aliquem fanctum, quoniam *omne aurum, in comparatione eius, arena eft exigua*: Ideft, omnis fanctus refpectu Mariæ, arena eft refpectu auri. *Et tanquam lutum æftimabitur Argentum in confpectu eius*, ideft, mundi fapientes, & eloquentes, refpectu fapientię, & eloquentiæ eius. De ea poteft illud Iob. 28. Nefcit homo prætium, quia non eft prætium, quod poffit ei comparari, quia prætiofior eft cunctis opibus.

1 Hanc ab æterno prælegit, & prædeftinauit, vt effet filij fui Mater.

2 Oraculis, & figuris præfignauit, prædixitque femen illius ferpentis caput contriturum effe.

3 Ab originalis maculæ contagio, vnice, ac mirifice præferuauit.

4 Ab

4 Ab omni labe mundam semper custodiuit.
5 Spiritu Sancto, & virginitatis gloria permanente fœcundauit.
6 Felicem partum sine dolore contulit.
7 Nutricem filij sui, quem castis vberibus lactauit, esse voluit.
8 Immunem illam à corruptione, & putore fecit.
9 Cum corpore, & Anima, in cœlum assumpsit.
10 Super omnes cœlestium spiritum ordines in cœlis exaltauit, & in supremo gloriæ solio, sublimiter collocauit.

Theofilatus super illa verba. Quia fecit mihi magna, qui potens est, ait, *Verè magna, & mira, & multa Deus opera tus est in Maria: cùm eam à peccatis præseruauit, cùm eam sanctificauit, cùm filium Dei ex ea nasci voluit, & humanum genus per ipsam reparauit, cum Virgo peperit, Virgo permansit.* *Theof.*

Sancta Ecclesia de Virgine cantat. *Regali ex progenie Maria exorta refulget.* *Ecclesia.*

## *De Nobilitate Virginis Mariæ.*

PEtrus Damianus Serm. 3. de Mariæ Natiuitate. *Beata verò Maria, licet generosa sit* Patrum *stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissimæ nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem omnem humani stemmatis excedit nobilitatem, Clara pro Auorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis: filia siquidem regum, sed Mater Regis Regum.* Petrus Damia.

Irenæus lib. 3. contra Hære. cap. 21. *Filius Dei Dominus noster, existens verbum Patris, & filius hominis, quoniam ex Maria, quæ ex hominibus habebat genus, quæ & ipsa erat homo, habuit secundum hominem generationem, factus est filius hominis.* Christo igitur, eiusque gloriæ detrahunt, qui Matris generi præstantissimo, & natalibus laudatissimis detrahunt, cum in illa omnes, vt ita dicam, nobilitates concurrant, quæ splendorem generis ipsi filio poterat conciliare. *Irenæus*

Euseb. Eusebius Emisse. Homil. in Euang. de Natiu. Virginis. *Sicut meminimus hanc Virginem nobilissimam haeredem, quae patribus careret, suis parentibus in haereditatem vnicè successisse, nec sine haereditate esse potuisse, cui tàm honesti, nobilesque parentes obtigissent.*

Germa. Patria. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus super illa verba; Audi filia, & vide. *O Virgo, illustris proles, ex inclytis hominibus, Ioachim, & Anna, in lucem prodijsti.*

Bernar. Bernardus Serm. Signum Magnum. *Maria ex Regibus orta, ex semine Abrahae, ex generosa stirpe Dauid.*

Epiph. Epiphanius. de Laudibus Virginis. *Matre Domini nil nobilius.*

D. Bona. D. Bonauentura lect. 16. Speculi. *O verè mirabilis, & inaudita nobilitas: O verè nobilis de Virgine Natiuitas. Nobilitas fuit nascentis in virginitate parentis: & Nobilitas parientis in Diuinitate nascentis.*

## ADDITIO.

DEscendit Virgo de semine Patriarchali; scilicet à quatuordecim Patriarchis, quorum primus fuit Abraam. Matt. 1.

Descẽdit etiam Virgo benedicta à quatuordecim Ducibus, & à quatuordecim Regib. Matt. vt supra. Ideò in eius Natiuitate Ecclesia canit. *Regali ex progenie Maria exorta refulget.*

Descendit etiam ex semine Prophetali, maximè ex Dauid, qui fuit eximius Prophetarum. Et ideò Ecclesia. *Natiuitas gloriosae Virginis Mariae ex semine Abrahae, orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.*

Descendit etiam de semine Sacerdotali, ex Tribu Leui; quia solùm tribus Regia, scilicet Iuda; & Sacerdotalis, scilicet Leuitica, iungebant simul matrimonia. Vnde Beata Virgo, etiam descendit de semine Aaron Summi Sacerdotis: quia de stirpe eius fuit Anna Mater eius, vt Damas. inquit Damasc. lib. 4.

Barthol. Pisanus Vnde, vt dicit Bartholomaeus Pisanus in suo Mariali, fructu 4. *Beata Virgo orta est primo de multis patribus veteris*

*ris testamenti: maximè à decimonono, incipiendo ab Adam, vsque ad Thare. Secundò de Patriarchis: tertiò de Principibus, Quartò de Iudicibus. Quintò de Regibus: Sextò de Ducibus: Septimò de Prophetis: Octauò de Doctoribus: Nonò de viris strenuis & fortibus: Decimò, de Sacerdotibus, & Summis Pontificibus; Vndecimò de populi Rectoribus: Duodecimò de Cultoribus Dei, & iustis Parentibus*, vt ipse ibi latius declarat: Et ideò dicere non immeritò possumus Beatæ Virgini, illud Virgilij in primo Aeneidos. *Quæ te tàm læta tulerunt sæcula: quæ tanti talem genuere parentes*. Ideò apparet quanta sit ipsius Virginis Nobilitas. Vndè Ambrosius lib. II. de Virginitate, ait. *Quid nobilius Dei Matre?* quasi dicat, nihil in rebus creatis. *Omnes enim præclaritates: ingenuitates, dignitates, & nobilitates, quæ possent esse in aliquo indiuiduo humano, posuit Deus in hac egregia puella, quæ omnes Principes, Duces, Reges, & Imperatores, & quoscunque nobilissimos viros, & fœminas nobilitate transcendit*. Et quia ergo beata Virgo de stirpe regali progenita est, regiam habuit dignitatem secundum carnem: nam filia quæ de regali progenie nascitur, regalis dicitur; quia verò Deo desponsata fuit, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium: clarum est, quòd omnes creaturas nobilitate transcendit. Nam fœminis clarissimam dignitatem Mariti tribuunt. l. Fęminę. ff. de Senato: Fęminæ enim corruscant radijs maritorum. §. Hoc itaque in Aut. de consuetu. Vnigenitus etiam Dei filius, qui ab ęterno decreuerat ex ea nasci, & in eius vtero habitare, illam omni nobilitate decorauit, & clarificauit, nam parentes efficiuntur nobiliores per filios nobiles vt ait Glosa in §. Generaliter in Aut. de Dignitate. Et Matres dignificantur dignitatibus filiorum secundum Bart. l. 1. ff. de Sena. Ideo de ipsa Domini Matre dici potest illud Apoc. 21. Claritas Dei illuminauit eam. Nos quoque dicere debemus illud 2. Esdræ 8. *Benedictus Deus patrum nostrorum, qui dedit voluntatem in cor Regis:* scilicet, filij sui, clarificare domum suam, idest, Matrem benedictam. Ambros.

De

## De Amore Virginis erga Genus humanum.

*Pater æternus.* PAter æternus ita dilexit mundum, vt filium suũ vnigenitum daret. Ita de beata Virgine possumus dicere, quòd ita dilexit mundum, vt filium suum dedit pro nostra redemptione.

*Euang. Lucas.* Euangelista Lucas, refferendo Circumcisionem Christi, ita imperfectè narrat, vt necesse sit inuestigare multa in ea. Ponit tempus *postquam consummati sunt dies octo*. Ponit tamen quod impositum fuit ipsi filio suo: *Et vocatum est, &c.* Sed de Ministro Circumcisionis non facit mentionem, ita quòd Doctores inter se discrepant, quis fuerit Minister.

*Hieron.* Hieronymus lib. de vera Circuncisione, dicit. *Christus octaua die circumciditur à Matre, vtique quasi homo, qui promißus fuerat ipsi Abrahæ.*

*D. Bern.* Sanctus Bernardus. Tractatu de Planctu Virginis. *Virgo Christum genuit, lactauit, octaua die circumcidit.*

Ita vt secundùm Hieronymum, & Bernardum. Virgo Maria fuit Ministra Circumcisionis. Duo dubia habeo in isto facto. Primum ex parte facti, Aliud ex parte Euangelistæ. Ex parte facti, quòmodo fuit possibile, quòd beata Virgo fuerit Ministra Circumcisionis: forsitan non erant ibi Sacerdotes? non erat ibi Ioseph? Qua de causa non vocauit Zachariam, siue alium; & non ipsa effundere sanguinem proprij filij? Ipsa vult effundere sanguinem filij sui, vt cognoscamus quanto amore prosequebatur mundum, quia sanguis suus purissimus sublimatus ad tantam dignitatem, ita vt dicatur sanguis Dei: & vna gutta sit valoris summi, quem ipsa liberaliter effudit, ipsa liberaliter offert Patri æterno, ipsa dat pro peccatoribus. Videte amorem, & charitatem Virginis.

Aliud dubium est ex parte Euangelistæ. Qua de causa Euangelista non fecit mentionem, quòd Virgo circumciderit filium suum, stante quòd Virgo circumciderit filiũ? Ego credo, quòd animus Euangelistæ fuit suspensus in consi-

confideratione huius facti, & animus suspensus detinuit plumam; & ideo nihil dixit, siue scripsit.

Sicut excellens Musicus, cantando Mottetum; si peruenerit ad notam altissimam, vbi vox sua peruenire non potest, suspendit vocem, cantans principium, & finem, relinquens medium. Ità Euangelista, incepit tractare mysterium Circumcisionis, dixit principium. *Postquam consummati sunt dies octo.* Peruenit ad medium, vbi scribere debebat, quòd Virgo accepit gladium, & effudit sanguinē, offerens illum Patri: Et quia mysterium altissimum est, suspendit notam, & cantauit finem motetti. *Et vocatum est nomen eius, &c.*

Et in rei veritate. Quis potest declarare generositatem Virginis, dando sanguinem filij, pro redemptione ingrati hominis? &c. Sanguinem filij, pro rebelle? &c.

Sed dicet aliquis. Hoc idem non scripsit Ioannes de Patre æterno, non dixit: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: qua de causa Lucas non dixit idem de Virgine Sanctissima? Notate, Ego confiteor, quòd amor Patris erga filium; & amor Matris erga filium, non sunt comparabiles. Quia amor Patris erga filium, in immensum excedit amorem Matris, sed in vna re Pater permisit quòd amor Matris superaret amorem suum: Quia si Pater, & Mater dederunt filium pro nostra Redemptione, si Pater, & Mater dederunt sanguinē filij pro nostra salute; Ipsa Virgo proprijs manibus effudit illum, proprijs manibus obtulit illum sanctissimum sanguinem. Et hac de causa Lucas plenus stupore, & extasi, admirans factum, non audet scribere: ponit principium Circumcisionis, idest tempus: ponit finem, idest nomen: & tacet medium, vt nimis altum.

# ADDITIO.

## *Virgo Maria amauit Genus humanum toto corde.*

INtantum cor Virginis amauit Genus humanum, quòd anima illius vulnerata fuit ob iniquitates nostras, & attrita fuit suo modo, propter scelera nostra. Dolores siquidem nostros, & filij,& languores,& vnigeniti, tunc ipsa portauit in intimis cordis visceribus; nam tunc fuit omnis plaga tristitia cordis eius. Charitate autem eximia, qua vulnerabatur, vnigenitum suum dedit pro sceleribus nostris, & fructum vteri sui pro peccatis animarum nostrarum. Tunc adimpletū est illud, quod de prima Muliere prædixerat Deus in figura Mariæ, quasi loquens de secundo Adam Gen.2. Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Nolebat siquidem Deus Pater (si licet ita loqui) solius filij morte saluari Genus humanum, & Diabolum condemnari; sed disposuerat in manu fęminę, tradere Sisaram Iudicum.4. Et quòd vna Mulier hebrea confusionē faceret in domo Nabuchodonosor Iudith.14. Quod autem prædixerat Isaias. 43. in persona Christi. Torcular calcaui solus, & de gentibus non ęst vir mecū: sic intelligendum est,& securè potest sic exponi. Verum est Domine, quòd non est vir tecum, sed vna Mulier astabat tibi Crucifixo, quæ quascunque plagas, quæcunque vulnera, quoscunque dolores sentis,& suscipis in tuo corpore, compatiendo suscipit in visceribus cordis sui:& sicut dira lancea perforat latus tuum, sic eius animam pertranseunt dolorum tuorum gladij vniuersi. Sic igitur patet, quantum hæc Mulier amauerit Genus humanū, quia cooperata sit ad salutem mundi. Nam ponente filio animam pro salute mundi, Mater etsi non posuit pro mundo animam, exposuit tamen,& quod potuit fecit. Nec ipsa defuit martyrio corporali, sed martyrium corporale defuit illi.

De

## *De Corpore amauit Genus humanum Maria.*

DE terra corporis eius, creauit Altissimus medicinam carnis, & animæ nostræ, scilicet Christum hominem, *qui languores nostros tulit in suo corpore super lignum, & dolores nostros ipse portauit.* Eccl. 38. Item de corporis eius substantia virginali, summus assumpsit Pontifex hostiam suæ carnis, quam in Arca Crucis pro mundi salute, eleuatis in Cruce manibus, sacrificium obtulit vespertinum, cuius suauissimus odor deliniuit iracundiam Patris. Pascimur etiam, & potamur carne eius, & sanguine in filij Sacramento: quia caro Christi, & caro Mariæ, sicut caro Matris, & filij vna caro est. Genes. 2. Erunt duo in carne vna, Christus scilicet, & Maria: propter hæc, & multa alia prædixerat. Tobias ciuitati Sanctæ Ierusalem, sub figura Mariæ: quasi loquens de fidelibus vniuersis, *terram tuam, id est, corpus virgineum, in sanctificatione habebunt, & nomen magnum inuocabunt in te; maledicti erunt, qui contempserint te: & condemnabuntur, qui blasphemauerint te. Et beati omnes qui dilexerint te.*

## *Auditu amauit, &c.*

AB Auditu Virginis initium sumpsit reparatio nostra; vt intraret remedium, vnde morbus irrepserat; ideo assentit Angelo dicenti, Aue gratia plena. Per auditum etiam Mariæ, nostro auditu gaudium, & lętitia promittuntur Item per Mariam exaudit Dominus pauperes spiritu. Vndè dicimus Christo. Pręparationem cordis eorum, idest, humilium, audiuit auris tua; idest, beata Virgo, quia ea mediante pauperes exaudis, sicut homo audit mediante aure sua.

## *Oculis amauit Genus humanum.*

OCuli Mariæ columbini,& misericordes per abundantiam lachrymarum fuerant filio patiente,vt sic quasi quadruplici irriguo,quod manauit de Christi corpore, videlicet sudoris,& fletus,aquæ,& sanguinis, adiunctis lachrymis Beatæ Virginis, quasi quinto loco, tolleretur squaliditas animarum.Isti etiam oculi respiciunt pauperes spiritu,& sunt illis velut flamma ignis Apoc.1. Illuminans,& calefaciens,exterrens, & exurens: Hæc enim quatuor facit flamma, illuminat enim Gloriosa Virgo suos amatores ad cognitionem veri, & eos inflammat ad dilectionem boni,aduersarios eorum exterret ab eis dura comminatione, & incorreptos exurit geheonali conflagratione.Item,Oculi Domini super iustos,Oculi Dominæ super peccatores,& iustos; sicut oculi bonæ Matris super puerum ne cadat; vel si ceciderit, vt eum releuet.

## *Labijs amauit Genus humanum Maria.*

DE ea,dicitur in Psalmo. *Diffusa est gratia in labijs tuis,&c.* Quod sic exponitur,gratia collectiue,idest,vniuersitas gratiarum diffusa est; non solùm fusa per te, sed diffusa, idest toti mundo abundanter distributa per te:Propte pterea benedixit te Deus;non sinistra, quæ sunt temporalia,sed dextera, qua dantur æterna. Vnde sequitur,in æternum,idest benedictione ducente ad æternitatem.

De

*De Ore, &c.*

OS Virgineũ, cuius odor comparabilis est odori malorum, (nam præcibus suis aromata spirã tibus) attrahit homines ad cultum filij, sicut malorum odor gustum allicit ad edendum, pro nobis allegat, & bonum loquetur in conspectu Dei, quoniam nostra est Aduocata.

*Dentibus.*

DEntes eius eburnei, masticarunt, vt piè creditur paruulo filio, qui datus est nobis, cibum suum, prout est mos Nutricis; Sensus autem eius, & studiositas, quæ duo significantur in dentibus, sibi ipsi masticarunt, attriuerunt, ruminauerunt, & animæ suæ incorporauerunt, veluti virentes herbas diuinarum sententias scripturarum. Nobis etiam ostendit multa ambigua Diuinæ sapientiæ studentibus, in verbis, & gestis ipsius.

*Lingua, &c.*

LIngua eius erat calamus velociter scribentis, scilicet, Spiritus Sancti, ipso scriba mouente calamum, eructauit illud verbum bonum mellifluũ, & suaue. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi, &c. In hoc autem verbo intantum exhilarauit de salute nostra Regem cœli sollicitum, quòd quasi factus immemor iniuriæ primorum parentum, à Sede Regali statim descenderet, velut deposito diademate gloriæ, & cęlos dirumpens exiliret eodem momento de sinu paterno, in Vterum Virginalem. Vociferans illud Parab. 8. Deliciæ meæ esse cum filijs hominum.

## Brachijs.

IN Brachijs eius, & humeris, translatus est filius in Aegyptum,& reuersus in terram Israel. In quo significatum est,quòd per ipsam habituri essent Deum, qui prius Idolis seruiebant, & ex dono eius tandē in regno Israel conspecturi essent Regem in suo decore oculi beatorum, in quem desiderant Angeli prospicere.

## Manibus.

MAnus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Nobis membra nutrierunt Vnigeniti Dei lacte, &c. Tornatiles autem describuntur manus istæ,nam sicut ars tornaturæ promptior est alijs artibus celeriter operando:sic Maria velocior cæteris sanctis omnibus, miseris subueniendo ; vt dicere de ipsis miseris videatur cū filio illud Isaiæ 65. Antequam clament ad me, exaudiā eos.Dicuntur hæ manus aureæ.In auro charitas notatur, nam ex mera charitate omnino indignis misereri, & benefacere comprobatur ; dicuntur etiam plenæ hyacinthis,nam quantum in se est,dat omnibus affluenter,cum sit summè diues, summè etiam liberalis. Hyacinthi sunt lapides coloris ætherei,quia quicquid boni facit, cœlesti refulget intentione, & de fonte procedit æternæ sapiētiæ:Habet etiam hyacinthus gratiam impetrandi, nam quicquid placet ei dare, facillimè orando impetrat ab vnigenito suo ; qui non solum dat ei secundum quod petit:sed etiam ipsam incitat ad petendum. Sicut in figura dixit Salomon 3.Reg.2.Matri suæ. *Pete Mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuam.* Hoc idem legitur sub figura ista dixisse. Assuerum,qui Christum designat: Estherque figurat Mariam. Esther.7. *Quæ est petitio tua Hester, & quid vis fieri, etiam si dimidiam regni mei partem petieris, impetrabis.* Ad quem illa respondit, *Si inueni gratiā*

*in oculis tuis, da mihi populum meum, pro quo obsecro.* Ecce quomodo postulat Maria pro seruis suis.

## *De Vberibus.*

SAcris Vberibus ministrauit lac Dei filio; quo pastus est ipse solus, nec puer alius inde bibit. Vnde ipse gloriatur, dicens. Cant. 5. *Bibi vinum meum, cũ lacte meo virginali,* quod totum fuit meum: ex hoc autem glorioso lacte nutritus est, & coagulatus ille sanguis, ex cuius effusione, nostræ redẽptionis est prætium persolutum; & in hoc sanguine continetur vita fidelium animarum, propterea sanguis iste dominicus bibitur in Altari.

## *Ventre.*

VEnter eius eburneus, distinctus sapphiris, quẽ creator suus sibi elegerat in domum. *Vnde, qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; ibi propterea decorem induit, & stola candida se cooperuit, idest, mundissima humanitate, qua mediante nos hospitamur in cœlo.

## *Pedibus.*

PEdes Beatę Virginis, dici possunt charitatiui affectus, quibus suos visitat amatores: de charitate Virginis non est immorandum.

## *Gressibus.*

GResfus eius pulchri in calceamentis, idest, domesticos suos inuisere, & concomitari; & eorum necessitatibus semper esse præsto, nunquàm cessant. Vnde dicit sibi seruiẽti. Isai. 44 *Seruus meus es tu, cum transieris per aquas, tecũ ero,* & appellat aquas tribulationes: & flumina tentationum, & tribulationum, non operiẽt te. Hoc est etiam

quod dicit Eccl. 24. *In fluctibus maris ambulaui cum amicis meis, tanquam nauis, vt ipsos eriperem à naufragio peccatorũ, & ereptos deducerem in portum voluntatis eorum. Et in omni terra steti*, idest, inuocantibus me semper præsto fui, nam in omni loco vbique terrarum, Mater misericordiæ refugium est miserorum.

## *Puritas Mariæ.*

AVgustinus lib. de Natura, & Gratia cap. 36. Loquendo de Beata Virgine, inquit. *Scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendũ omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuiße peccatum*: hac ergo Virgine excepta, si omnes illos sanctos, & sanctas, cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare; vtrum essent sine peccato, vna voce clamassent. Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Augusl.

Cyprianus de Natiuitate Christi de Virgine loquens, dicit. *Vas illud electionis, à cæteris plurimum differebat, quibus natura communicabat, non culpa, neque lex carnis in ea, quemadmodum in aliJs, legem mentis infestabat, sicut, & rebellio nulla quietem Mariæ spiritus affligebat.* Cypria.

Hieronymus lib. 1. contra Pelag. *Omnes sancti, Mariæ Sanctitate sunt inferiores, cum hæc vna sit, cuius clarum lumẽ, aliarum sanctarum mulierum, velut siderum igniculos abscondat.* Et in cap. 10. Eccl. *Sanctis quidem omnibus à peccato liberior nata, ac tandem demum puritatis vt Mater Domini eße mereretur.* Hieron.

Theodoretus lib. 3. in Cant. super illa verba. *Vnica est columba mea, &c. Hanc vnam, & electam, perfectamque columbam esse Mariam, quæ puritate quidem Cherubim, & Seraphim antecellit.* Theodo.

Procul Constantinopol. Ser. in Natiuitate Deiparæ. *Vocat Mariam, mundisſimum cœlestis pluuiæ vellus, ex quo Pastore ouis induit.* Procul.

Sophronius Epist. in Sexta Synodo prælecta. *Mariam non solùm quæ Dei sunt sapuiße, sed ab omni etiam contagione* Sophro.

*corporis, animæ simul, & intellectus, liberam fuisse, ac propterea sanctam, præclaram, & incontaminatam appellat, cuius virginali sanguine, Deus homo factus, &c.*

*Aretas.* Aretas in 12. Apoc. Vocat eam *puram, & à terrenis rebus liberam, ac alienam, quæ licet in terris corpore versaretur, tamen in cælo, & ipsis æqualis Angelis animo esse videretur.*

*Bernar.* Bernardus. Epist. 174. Ad Cano. Lugdu. Vocat eam sanctam, antequam nata fuerit, & quod vita eius, ab omni deinceps peccato immunis fuit, quod nemini alteri, in natis quidem mulierum, creditur esse donatum.
*Decuit nimirum Reginam Virginum singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato, ducere vitam, quæ dum peccati, mortisque pararet Redemptorem, munus vitæ, & iustitiæ omnibus obtineret.*

Et Serm. 4. de Assumptione Mariæ. *Quæ etenim vel Angelica puritas, virginitati illi audeat comparari: quæ digna fuit, Spiritus Sancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei?*

Et Ser. 20. de Assumptione Mariæ. *Absit, vt proprij inquinamenti, domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea, prom- de scopa Lazari quæreretur.*

*Matth. Philad.* Matthæus Philadelphiensis in lib. præcationum. Vocat illam *à peccati contagione immunem, ab omnique leuissimarum culparum puram, iustam, ac sinceram, in qua non modò nulla, sed nè suspicio quidem potuerit subsistere, quæque animũ ab omni rerum humanarum cupiditate vacuum habuerit, verecundia, & temperantia, vita perpetua, niveis moribus, humilitate pariter, ac puritate, cæterarumque virtutum laude cum primis decorata.*

Anselmus lib. de excell. Virg. c. 3. Nulli dubium, inquit *castissimum corpus, & sanctissimam animam eius, funditùs ab omni fuisse macula peccati, iugi Angelorum custodia protecta, vtpotè aulam, quam suus, & omnium creator Deus, corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in sua persona vnitate, ineffabili fuerat operatione suscepturus.*

*D. Tho.* Sanctus Thomas. Opusculo 60. *Beata Virgo nullum peccatum actuale, siuè mortale, siuè veniale commisit, sed vitam totam à peccato immunem seruauit.*

*Albert. magnus* Albertus Magnus in cap. 1. Lucæ. *Sanctissima est caro*

Bea-

*Beata Virginis, quæ nunquam admisit aliquid sanctitati contrarium. Omnes alij Sancti admiserunt.* Riccar. Victor.

Riccardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele capit. 31. *In cæteris sanctis magnificum, videtur, quòd à vitijs non possunt expugnari, in Virgine Maria mirum videtur, quòd à vitijs non potest ipsa, vel in modico impugnari.* Cæteris sanctis in communi præcipitur, vt in mortali corpore, peccata non regnent. Soli isti singulariter datur, vt mortale corpus eius non inhabitent. Ac rursus.

*Quod de exterminio peccati in beata Virgine factum creditur, futurum in omnibus sanctis speratur: futurum, inquam, sed non corpore eorum adhuc mortali, sed in corpore eorum iam facto immortale.*

Et lib. 1. de Emmanuele. *Nemo tam sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum, præter Mariam.*

Fulgentius Serm. de Laudib. Mariæ. *Facta est Maria restauratio fœminarum, quæ per ipsam, à ruina primæ maledictionis probantur sublatæ.* Fulgen.

Iacobus in sua Liturgia. *Hæc est templum sanctificatum, Paradisus spiritualis.* Iacobus.

Psellus Cant. 6. *Puritate profectò Cherubim, & Seraphim antecellit.* Psellus.

Ambrosius lib. 2. de Virgine. *Talis fuit Maria, vt eius vita, omnium disciplina sit.* Ambro.

Item. *Quid splendidius ea, quam splendor elegit?*

Hilarius. *O Virgo benedicta super omnes fœminas, quæ Angelos vincis puritate, & omnes sanctos superas pietate.* Hilar.

Petrus Damianus. *O Sancta, & sanctis sanctior, & totius sanctitatis sanctissime Thesaure.* Petrus Damia.

Riccardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele. *Tota pulchra meritò, quia pulchra facie, pulchra mente, pulchra corpore, quæ etiam principibus tenebrarum terribilis fuit, deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis, stupebant immunem à peccatis, nemo enim tam sanctus, qui maculam non habuerit, & despectum, præter Mariam.* Riccar. Victor.

Et rursus, *Videtur Beata Virgo Maria non solum in omni gratia consummata, verum etiam in omni bono, & dono, quod acceperat, confirmata.*

Chrysostomus supra cap. 1. Matt. loquendo de Sancto Chrysos.

Ioseph, dicit. *Quòd Ioseph plus credidit castitati, quàm vtero intumescenti, plus gratiæ, quàm naturæ, conceptionem vidit, sed fornicationem non extimauit: possibilius credebat mulierem sine viro concipere, quàm Mariam posse peccare.*

Bernar. Bernardus Serm. 2. in Assumptione Beatæ Mariæ, post medium.

*Proprium delictum Maria non habuit, & ab innocentissimo corde eius etiam pænitentia longè fuit. Vnde ergo cor Mariæ pænitere debuit, cum nunquam dignum aliquid pænitentia admisit? Ideòque mundissimum cor eius, non fuit sentina diaboli, non fuit sepulchrum vitij, immò fuit hortus, & paradisus spiritus sancti. Iuxtà illud Canticorum.* Hortus conclusus, &c.

Idem vbi supra. *Puto, quòd copiosior gratia sanctificationis in ipsam descenderit, quæ non solùm Ortum eius sanctificauit, sed etiam vitam deinceps ab omni peccato custodierit immunem.*

## ADDITIO.

### *De Puritate Virginis.*

Anselm. TAnta fuit Mariæ puritas, quòd portare meruit Regem Angelorum; & tanta puritate nitebat, *quanta sub Deo nequit intelligi, ait Anselm.* Alioquin non intrasset in eam illa sapientia, quæ non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore subdito peccatis. Propter purissimam enim puritatem eius, comparatur ipsa Soli, cuius radium, nec aqua emollit, nec fetor corrumpit, nec ignis comburit, nec gladius scindit, nec vitrum obsistit. Ratione etiã claritatis, quia Sol clarior luminaribus vniuersis. Vnde Sol dicitur, quasi solus lucens, idest, præ cæteris luminaribus cœli: Solis ergo claritas, Mariæ puritas. Tantò enim res est clarior, quantò purior; tantò purior, quantò purgatior, & à sordibus mundior. Vel solis radius signat in Virgine purissimum visionis radium, qui mentem eius, in suis contemplationibus ineffabiliter illustrabat: secundum hoc, Sol dicitur oculus cœli, Cœlum, Ecclesia, san-

ctis

ctis vt cœlum stellis illustrata. Huius cœli oculus est Maria, ratione puritatis suæ: quia sicut oculus totũ corpus, sic Maria totam illustrat Ecclesiam, quæ est corpus filij sui, sanctorum radijs exemplorum. Vnde canitur de ea; Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. Sed aduertendum est, quòd Spiritus Sanctus in secunda sanctificatione, cum ex eius immaculatis sanguinibus corpus filij Dei formatum fuit, contulit illi non posse peccare, vt ait D. Bonauentura in 3. Dist. 3. art. 2. q. 3. & Sanctus Thom. in 3. parte summæ q. 27. art. 3. Si enim post Conceptionẽ filij Dei potuisset peccare, plura inconuenientia sequerentur. Primò redundaret in contumeliam prolis, quia eius mater, esset peccatrix, & serua Diaboli, & iniquitatis. Secundò esset in detrimentum matris, quia sic damnari potuisset. Tertiò esset in damnum humani generis, & in contemptum totius diuini intenti: quia incarnationis opus, suspectum non immeritò reddi posset. Vnde omninò asserendum est, quòd in Conceptione filij Dei, taliter extitit confirmata, quòd voluntas eius non potuit postea conuerti ad malum: non tamen per liberi arbitrij ablationem, nec per alicuius potentiæ amissionẽ; sed propter liberi arbitrij per gratiam completionem, & confortationem, & defectus ablationem: & hoc ex singulari indulto, ipsi beatæ Virgini collato, & confirmantur prædicta per sententiam Sancti Bonauenturæ, vbi supra: vbi ait. *Dignior fuit Beata Virgo ex hoc, quòd Mater Dei effecta est, quàm sit aliquis Angelus in cælo*. Si ergo Angeli in gratia sunt confirmati, multò magis Mater Dei. Hæc ille.

D. Bona.
D. Tho.

Ad probandum autem Beatæ Virginis puritatem, adduci potest illud Prouerb. 25. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum*. Argentum fuit vterque parens Beatæ Virginis, de cuius semine propagata est Beata Virgo; ablata enim rubigine, & infectione à semine illo, quo debebat ipsa Virgo concipi; Egressa est Mater Dei tanquam vas purissimum. Item, vbi maior est charitas, ibi maior est puritas. *Charitas de corde puro 1. ad Timoth. 1.* Sed Charitas in beata Virgine fuit in summo (intellige, non in comparatione ad charitatem animæ Christi, sed respectu aliarum creaturarum,) ergo & puritas, & Petrus

D.Pet. trus etiam dicit, vt habetur Act.15. *Fide purificans corda eorum*: & loquitur de fide formata per charitatem, sed Beata Virgo habuit fidem talem in summo; ergo & puritatem.

Possumus autem dicere, quòd eius puritas fuit perfecta, impermixta, & continua. Fuit autem perfecta, quia cum triplex sit puritas, scilicet, humana, Angelica, & Diuina; ipsa puritate puritatem Diuinam in vtero nouem mensibus portauit; & puritatem Angelicam transcendit, & omnem puritatem humanam vniuersaliter superauit. Fuit quoque eius puritas impermixta, non enim habuit admixtionem originalis peccati, quia fuit à filio Dei preseruata: nec mortalis actualis, quia fuit à Patris potentia confirmata: nec venialis, quia fuit à Spiritu Diuino consecrata. Vndè dicere potest illud, Iudit.13. *Viuit Dominus, quia custodiuit me Angelus, & hinc euntem: & ibi commorantem, & huc reuertentem non permisit me, dominus Ancillam suā coinquinari*. Custodiuit enim eam Dominus in mundum euntem, quia in originali fetore, & putredine, labi non permisit. Et in mundo commorantem, quia ipsam à mortali conseruauit: & ad patriam reuertentem, quia sine macula venialis peccati, ipsam de mundo ad cœlestia euocauit. Item corpus Christi de purissimis sanguinibus Virginis formatum fuit: ergo ipsa purissima fuit.

Item, Alexander de Ales in 3. parte summæ quæst.5. Alex. Alens. art.17. in corpore quæstionis. & articulo 19. etiam in corpore quæstione. *Beata Virgo, etiam in corpore Matris suæ, habuit puritatem maximam, quæ excedebat puritatem Adæ, quam habuit ante peccatum.*

Item excessit puritatem Angelorum, quia illi crescere non possunt in merito, nec decrescere in puritate. Beata autem Virgo potuit proficere in merito, & nunquam defecit, sed vsque ad vltimum puritatis gradum possibilem creaturæ non vnitæ Deo peruenit. Vnde omnem puritatem rationalis creaturæ post filium excessit.

Præ-

## Præsentatio Virginis Mariæ.

EVodius Episcopus Antiochensis in epist. ad Antiochenos. *Maria tremula, quum esset in templo, est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos vndecim, deinde vero Sacerdotum manibus, Iosepho ad custodiam esse traditam, apud quem, quum mẽses exegisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuntium.* Euodius

Gregorius Cedrenus in Compend Histo. *Ioachinus, inquit, octogenarius decessit. Anna verò annos nata octoginta vitam finiuit; ab his in templum deducta Dei genitrix, anno ætatis suæ tertio, vndecim annos nata parentes amisit, neque verò vnquam à templo discedebat, sed si qua re opus haberet, ad solam Elisabetham ibat cognatam, & templo vicinam.* Gregor. Cedren.

Germanus Patriarcha. *Mariam ex Anna sterili matre natam, & post annos tres in templum adductam, Deoque sanctè dicatam esse, quæ illic ad secundam vsque ætatem mansèrit.* Germa. Patria.

Simeon Methaphrast. De ortu & educatione Deiparæ. *Cum iam creuisset puella, & non amplius opus haberet fugere mamillam, Mater eam Deo tradidit, & promissum impleuit, & ad templum adduxit: Sacerdotes autem interim quidem ad similitudinem Samuelis, inter sanctos educabant puellam.* Simeon methap.

Andreas Cretensis Serm. de Dormitione Deiparæ. *Itaque Mariam non solùm ex sterili Matre fœliciter natam, sed & puellam in templum adductam, Deoque dicatam, pulchrum munus extitisse, quæ in templi, non communi cibo, sustentaretur.* Andr. Cretens.

Gregorius Nicomediensis Homil. de oblatoine Virginis in templo. *Mariam cum tertium ætatis annum ageret, à parentibus in templum abductam, & à Deo simul oblatam, in templi penetralibus, ad secundam ætatem vsque perseuerasse, Diuino nempe consilio puellam mirabiliter gubernante, vt illa non temerè ad opus Dei maximum inde ab initio destinari, ac singulari studio, præter illius ætatis consuetudinem præparari videretur.* Gregor. Nicom.

Dio-

Dionys. Carthus. Dionysius Carthusianus lib. 1. de Præconio, & dignitate Mariæ art. 11. *Decentissimum fuit, vt praelecta conciperet Dominum templi, in ipso templo consecraretur, obsequereturque Domino, & suam infantiam in exercitijs expenderet sacris, atque ibidem instrueretur litteris sanctis.*

Gregor. Nissen. Gregorius Nissenus testatur locum Virginibus in templo Hierosolymitano proprium, & iuxtà legem attributum fuisse, id scilicet interuallum, quod inter templum, & Altare intercedebat, *ibi Mariam Deiparam, Samuelis exemplo in sacris educatam asserit.*

Orige. Origenes tract. 26. in Matth. *Maria etiam postquam genuit Saluatorem, suam stationem, ac precationem eodem loco cum Virginibus peregisse: quod factum cum ab alijs reprehenderetur, à Zacharia Ioannis Baptistæ Patre defensum fuisse.*

Cyrillus Cyrillus lib. aduersus Anthropomor. *cap. 27. Docet inter Altare, & templum, spacium fuisse intermedium Virginibus dicatum, & Mariæ quoque concessum.*

Theof. Theofil. in Enarrat. 23. cap. Matth. *Ità narratio nobis tradita, quòd locus quidam in templo fuerit, in quo stabant Virgines, & faciens mentionem Deiparæ, quæ post partum, etiam suum illic cum Virginibus habuerit locum.*

Cedren. Cedrenus in Compendio Historiarum. *Erat in templo secretus locus, Aræ vicinus, vbi solæ Virgines stare solebant.*

Gregor. Gregorius Nicomediensis Homil. de Oblat. Virg. in templo affirmat, *Mariam in templo libenter mansisse, immò etiam ab Angelo Sancto nutritam fuisse, qui frequenter inusitatam speciem præseferens, puellam inuiserit.*

*Idem Gregorius. Apertissimè vult, quòd ab Angelo nutriebatur, & nè videatur eius opinio erronea, aut suspecta, subiungit. Tu autem ò homo, inquit: admirabilem, & nouam in templo viuendi rationem audiens Virginis, noli de eo dubitare, noli existimare ratione ea, quæ capere non potest cogitatio, vides ipsum Dei verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero: Et contendes fuerit nè alimentum, quo nempè Maria vesceretur, materiale, an expers materiæ, vides paterno consilio Spiritus in ea adumbrationem, & de mysterio Angelorum dubitas? Nihil est dubij ex his, quæ sunt castissimæ Virginis, ex eius magnalibus nihil est, quod non sit conueniens: omnia à veritate ipsa sunt confirmata. Oportebat enim Diuinum tabernaculum augeri talibus ascensionibus*

*nibus. Oportebat Agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis exatiari.*

Bonauentura Meditat. cap. 3. *Virgo de manu Angeli escā capere solebat.*

# ADDITIO.

Legitur in Libro de Infantia Saluatoris. *Quòd Maria erat in admiratione omni populo Israel: quæ cum trium esset annorum, tàm maturo gressu ambulabat, tàmque perfectissimè loquebatur in Dei laudibus, vt omnes stupore, & admiratione ei subiacerent, quia non infantula putabatur esse, sed vt magna quasi triginta annorum; ità orationi instabat, & etiam facies eius, vt nix resplēdebat, sic, vt vix aliquis in eius vultum intendere posset. Hæc ibi.* D.Bona. Vbi etiam scriptum est. *Virgo Maria tertio anno, cum ablactata esset, abierunt cum ea Ioachim Pater eius, simul & Anna vxor eius ad templum Domini, hostias Deo oblaturi, quæ cum ante fores templi posita esset, quindecim gradus templi ità velociter ascendit, vt penitùs retrorsum non asp iceret, nec vt solitum est, parentes requireret, vnde eius parentes pariter ambo obstupuerunt, & templi Pontifices mirati sunt.*

Hieronymus in quodam Epistola ad Heliodorum. *Beata Virgo etiam in pueritia, & adolescentia sua, quando in Templo morabatur cum aliis puellis suis coæuis, vitam suam valde ordinatam ducebat: Nam à mane, vsque ad Tertiam, orationibus insistebat: à Tertia verò, vsque ad Nonam, operi manuum intendebat: à Nona verò, adhuc orationem suam incipiebat, à qua non recedebat, quosque illi Angelus appareret, de cuius manu escam accipere solebat*; & sic semper melius in Dei amore proficiebat. Hieron. Sanctus Ambrosius lib. de Virginibus ad Marcellinam Sororem lib. 2. Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum, & post pauca. Anbro.

*Quin etiam tùm sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cum tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Erat corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in certo diuitiarū*

*sed*

*sed in prece pauperis spem reponens, intenta operi, verecundâ sermone, arbitrum mentis solita, non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle, omnibus assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem, nil toruum in oculis, nihil in verbis procax nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis: Hæc omnia Diuus Ambrosius, vbi supra.*

## *De Paupertate Virginis Mariæ.*

*Tosta. in Leuit. 12 q. 29.*

PAupertas Virginis, habetur ex hoc; quòd quando obtulit Iesum in templum, solùm par turturum obtulit, vt habetur Luc. 2. Hoc autem factum dicitur à Doctoribus Sanctis, quia Domina nostra erat pauper, & non habebat vnde offerret Agnũ anniculum: sed hoc non valde videtur stare, nam etsi beata Virgo propter paupertatem fecerat, non quidem est dicendum, quod fecerat pro paupertate, tanquam ad istã oblationem impotens esset; sed fecit propter paupertatem, idest vt demonstraret, se diligere paupertatem: ipsa namque Domina nostra Spiritu Sãcto plena, præcognouerat filium suum Saluatorem nostrũ in paupertate victurum, & eam prædicaturum; ideò ipsa voluit Spiritu Sancto admonita, demonstrare paupertatem in oblatione Saluatoris nostri: quia certum est quòd poterat offerre Agnum anniculum, quia dederat quinque siclos in redemptionem, pro Saluatore nostro, sicut pro alijs primo genitis dabatur. Vt habetur. Numeri 4. Nam aliter cum fuisset præsentatus in templo, non restituissent eum Sacerdotes illi, restituerunt tamẽ. Ergo videtur, quòd quinque Siclos dedit, sed quinque sicli magnum valorem continent, ergo poterat quoque offerre Agnum anniculum; non obtulit tamen, vt paupertatem demonstraret in oblatione sua.

Et si quis dicat, quòd Virgo erat diues, eo quia habuerat munera Magorum, &c. quæ munera erant prætiosa, & Matt. 2. dicit. *Apertis thesauris suis, obtulerũt ei Aurũ, &c.*

To-

Tostatus in cap.2.Matt.quæst.47.Mouet hanc quæstioné, & Respondet.*Quòd Aliqui dicunt: quòd Domina nostra, & Ioseph erant pauperes,& expenderunt hoc in sustentationẽ suã*, sed non est verum.Quia quando Christus erat vir, erant parentes sui valde pauperes, & de labore manuum suarum viuētes: VndèIoseph erat Faber lignarius. Et Christus dixit, Vulpes foueas habent,&c.

Dici potest vno de duobus modis. Primo modo, quòd isti Reges obtulerunt Christo,valde magna munera; Domina tamen nostra edocta per Spiritum Sanctum, vt ostenderet summam virtutem filij sui, tamquàm despiciēs omnia terrena,noluit accipere totas illas oblationes, sed modicum de singulis; & illud in breui tempore poterat consumi, ità vt non ditarentur parentes Christi.

Secundò modo potest dici. quòd accepit Virgo totas oblationes Regum,& tamen sciens, quòd filius suus non venerat ditari in terra,sed potius, vt pro nobis se pauperem faceret,& vt doceret nos gratis erogare quæ haberemus, & anhelare ad perfectionem, negligendo pecuniam,iuxta illud. Nolite possidere pecuniam. Luc. 18.Et Nolite thesaurizare in terra Luc.7.Retentis ergo quibusdam paucissimis, ad subleuandam necessitatem aliquorũ Pauperum,cætera in breui pauperibus distribuit, & ista positio verior est,& probatur; quia Mulier cum purificaretur,defferebat Agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem pro peccato Leuit. 12. Et ibi dicitur, *quòd si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre Agnum, anniculum: sumet duos turtures,aut pullos columbæ.* Et sic non poterat offerre Agnum,& tamen Domina nostra obtulit par turturum,& non Agnum. Vt patet Luc.2.Ergo erat pauperrima.Et sic post oblationem Magorum,vsque ad diem quadragesimum, quo Christus in templo oblatus est, iam Virgo omnia expenderat,ità vt pauperrima possit dici,Et si quis dicat, cur Euangelista non expressit hoc, quia istud erat magna eruditio moralis? Respondeo, quod Euangelistæ Spiritu Sancto moti, multa alia de maximis omiserunt. Et si quis melius vult scire veritatem huius dubij, loquatur cum ipso Euangelista Luca.

Orig. Origen. Homil. 8. in Leuit. *Expendit Mariæ paupertatem vt quæ cùm Agnum offerre non posset, obtulerit par turturum, aut duos pullos columbarum.*

## ADDITIO.

### *De Paupertate Mariæ.*

DE Virgine, litteraliter potest intelligi Illud Prouerbiorum, in fine. Manum suam misit ad fortia, & digiti eius appræhenderunt fusum. Et quòd pauperrima fuit, patet ex hoc, quòd in propria Ciuitate, id est, Bethleem; quæ ex Patre suo Dauid, sibi quasi iure hæreditario debebatur, Dei filium paritura, hospitium non inuenit; & ideo in Stabulum secessit, & ibi peperit Saluatorem. Item filio nato, non habuit pelles, quibus eum in media hyeme operiret, sed inuoluit eum panniculis. Item, non potuit ponere in lecto, sed reclinauit eum in præsepio. In hac autem tanta paupertate largissima erat, quæ licet fusum appræhenderit, vt victum quæreret, tamen manū suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperē, non sollicita de crastino. Credendum est ei, quòd illi beati Reges, qui filium eius cœli Regem, & Dominum cognouerunt, non modicum, sed magnum quid, ei obtulerunt largè. Vnde dicitur Matt. 2. *Et apertis thesauris, obtulerunt ei munera, Aurum, &c.* non munus vnicum; quid autem de tantis muneribus fecerit Maria, quæ circa seipsā sumptuosa fuisse non creditur; Vtique manum suam aperuit inopi, & omnia in vsus expendisse creditur egenorum, maximum enim paupertatis eius extitit argumentum, quòd filium suum ad templum deferens, vnum solū agnum anniculum non habebat vndè emeret, cùm tamē in terra Sancta multi agni Inueniantur, & pro modico prætio habeantur. Quis enim dubitat, si Agnum habere potuisset, quin iuxta præceptum legis Leuit. 12. ipsum cum filio deuotissimè obtulisset? Legitur enim ibi sic. *Cum expleti fuerint dies purgationis eius, pro filio, vel pro filia,*

*lia, deferet Agnum anniculum in holocaustum*. Compatiens autem Deus paupertati Matris suæ, & eam præuidens: subintulit paulò post. *Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre Agnum, sumet duos turtures, vel duos pullos columbæ*. Item fortè propter paupertatẽ suam voluit Deus, quòd despounsaretur Fabro, qui de artificio suo sustentaret eam. Item cum Christus dicat, *Ego egenus sum, & pauper*, & 2. Ad Corint. 8. *Propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia diuites essetis*. Patet, quòd Mater nō fuit diues, sed pauper, vt filio assimilaretur. Similiter cum ipse dicat. Matt. 8. Filius hominis non habet vbi reclinet caput suum.

Item, cum aliæ Sanctæ Mulieres sequentes Dominũ, ministrarent ei de facultatibus suis, vt dicitur Luc. 8. Patet, quòd Mater nostra non habebat vnde ministraret ei, quæ & ei libentiùs impenderet, & ille amplius eius ministerium acceptaret. Constat autem, quòd pauper fuit spiritu, idest voluntate, non necessitate, cum filius eius, cuius est terra, & plenitudo eius: nihil vellet ei negare, sicut apparuit, quando ad nutum eius aquam mutauit in vinum. Ioan. 2. Meritò autem paupertatis lucrata est regnum cœlorum, quia dicitur Lucæ 6. *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*: Et Nota, quòd vnum martyrij genus est voluntaria paupertas: quid enim mirabilius? & quod martyrium grauius, quàm inter epulas esurire, & inter pocula sitire, inter vestes algere, paupertate premi inter diuitias, quas ostendit mundus; offert malignus, desiderat noster appetitus? Mirabile est ignem tangere, & non vri; spinas colligere, & non pungi; lapides transire, & non lædi; sunt enim diuitiæ, ignis, spinæ, & lapides.

Item, quia fuit amatrix paupertatis, etiam in lege vbi temporalia promittebantur, dicitur de ea Apoc. 12. *Quòd habebat Lunam sub pedibus eius*, idest, omnem gloriam mundi, & omnia mutabilia sub affectibus; ideo dicitur Mater pulchræ dilectionis. Eccl. 24. Quia in nulla parte fuit in ea amor terrenitatis, quæ sordidat animam, & obscurat, Sed Deum amauit ante omnia, & nihil cum ipso, & est hæc pulchra dilectio; quam ipsa emisit in lucem, sicut Mater filium, quem gestabat in vtero, emittit in lu-

cem in partu, & ideò dicitur Mater pulchræ dilectionis. Ideò dictũ est de ea. Isa. 11. *Egredietur virga de radice Iesse*, Iesse, quia Pater Dauid. Et ideò caput regni potest significare populum Iudæorum. Radix illius populi erant tẽporalia, quia pro terrenis seruiebant, & in eis radicati erãt, & fundati. Isa. 1. *Si volueris, & audieritis me, bona terræ comedetis*. Ab hac radice egressa est B. Virgo per contemptum temporalium. Item, Saluator noster Lucæ 6. dicit *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei*, & Matt. 5. Ostẽdens de quibus pauperibus principaliter loquebatur, inquit. *Beati pauperes spiritu, quia vestrum est regnum cælorum.* Vbi Glossa ait, *pauperes spiritu, sunt humiles corde*. Beata Virgo habuit supremam humilitatem, præter Christum, Ergo supremam paupertatem.

## *De Virtutibus Mariæ Virginis.*

*Cedren.* Cedrenus in Compen. Histo. *Mariam adhuc viuo Patre, in Hebraicis litteris instructam, & anno ætatis vndecimo, suis parentibus orbatam fuisse*, & omnes Patres conueniunt, quòd Virgo in Diuina lege, propheticisque scriptis probè versata fuerit, sicut diuinum carmen eius, quòd in Zachariæ domo postea decantauit, patefecit.

*Damas.* Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. *Maria in templum adducta, & oblata, non secus, quam oliuam frugiferam se præstitit, quæ in domo Dei plantata, diuinoque spiritu inpinguata, fructus pulcherrimos protulit, adeoque virtutum omniũ domicilium effecta est. Mentem igitur ab omni sæculari cura, & à carnis concupiscentia reuocauit, animam cum carne Virginem puram, illibatamque conseruans, prout eam decebat, quæ deum ipsum in vtero gestatura esset. Hic enim cum sanctus sit, & impollutus, non nisi in sanctis, & impollutis requiescere solet: ad hunc itaque modum illa castimoniam, & sanctimoniam omnem exercens, breui tantopere profecit, vt sanctum, admirabile, summoque numine dignum templum efficeretur.*

*Gregor. Nicom.* Gregorius Nicomediensis in orat. de Maria, in templo oblata.

*Erant, inquit, Mariæ mores incomparabiles, & agendæ vitæ*

*ratio composita virtutibus,[quamobrem spiritus dona, ætate in dies procedente illi crescebant; & cum Angelis versabatur, nec erat expers diuinarum reuelationum.*

Sabellicus lib.2.cap.4.& 9.& lib.3.capitul.4.exempl. *Maria Virgo à prima luce, ad tertiam diei horam, rebus diuinis peculiarem operam dabat: inde ad meridiem puellare aliquod opus obiret, sæpè & lanificio vacaret, mox autem à cibo qui parcissimus illi fuit, reliquam diei partem, Scripturæ Sacræ lectioni sedulò impenderet, ita vt cum ritè sanctèque cœlestia curaret, humana tamen non despiceret, vtrumque munus Marthæ, & Magdalenæ complexa.* *Sabell.*

Idem dicit. *Vt, à morte filij nunquàm temere, ab vllo visa fit, quæ aut orationi intenta esset, aut diuina legeret.*

Sancta Brigitta lib.1.Reuelat.cap.10. & lib.3.capit.8. *Maria Virgo ab infantia, Spiritu Sancto plena fuit, qui cum ætatis progressu, magis, ac magis in illa se prodidit, sic corpus eius, & animam imbuens, vt nullum in illa locum, vel minimi peccati labes haberet.* *Brigitta*

Galatinus lib.7.de Arcanis Cathol.verit.cap. 5. *Omnia Virginis membra, à vertice capitis, ad vnguens vsque pedum, omnesque sensus eius, & cogitationes, animæ imperio absque omni repugnantia obtemperasse: vsque adeò quidem, vt oculi eius nihil inhonesti, nihil illiciti, vnquàm expresserint: sed semper nisi Deum oraret, humi defixos tenuerit, atque inter cæteras perfectiones, eo spiritu prophetiæ donata est, vt si fortè aliquid inconcessum, seu illicitum, vel auditura, vel visura esset, illicò eius aures, & oculi clauderentur, ita vt non nisi voluntati diuinæ deseruire viderentur.* *Galat.*

Ambrosius lib.2.de Virg.dicit. *Quòd dormiente illa, Mariæ vigilabat animus.* *Ambros.*

Rubertus lib.7.Cant.dicit. *Quòd illa verba, Ego dormio, & cor meum vigilat: etiam ad hanc Virginem pertinent.* *Rubert.*

Dionysius Carthusianus lib. 2. de Laudibus Virginis. *Nulla vnquàm inordinata affectio, distractio, fragilitas, mentem Virginis à contemplationis lumine reuocauit, nec occupatio vlla exterior.* *Dionys.*

Petrus Damianus Orat.1.Natiuit. Virginis. *Vita acti-*

*ua, & contemplatiua matrem Virginem propensiori diligentia, adeò, vt nec actio contemplationem minueret, nec actionem contemplatio desereret.*

D. Bern. Dionysius Carthus. vbi supra, dicit. *Quòd Virgo, etiam tempore somnij, vigili corde fuit Deo coniuncta.*

D. Bernardinus de Senis. tomo 1. Serm. 63. art. capit. 3. *Ad tantam contemplationem subleuata est Virgo, vt perfectius in ventre Matris contemplaretur Deum, quàm vnquàm fuit contemplatus aliquis in perfecta ætate, magisque contemplatione Dei excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando.*

Ambros. Ambrosius lib. 2. De Virginitate. *Mariæ vitam, virtutis formam omniumque disciplinam appellat, in qua secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, mirabiliter fulserint: Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente, quæ nulli doli ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens, intenta, operi, verecundi sermone, arbitrium mentis, solita, non hominem, sed Deum quærere, nullum lædere, benè velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissentit à propinquis? quando fastidiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu verecundum, non gressus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis, in ea erat ciborum parsimonia, officiorum redundantia, dies ieiunio congeminati, & quod victum obuium ad necessitatem, non ad voluptatem ceperit, omniaque demum virtutis impleuerit officia, vt non ita disceret, quam doceret, & talis Maria fuit, vt vnius vita omnium sit disciplina.*

Chrysos. Chrysostomus Homil. 4. in Matt. *Erat virgo per cuncta mirabilis, cuius animam decebat ab omni esse tumultu cogitationum immunem, quæ tanti electa est ministra mysterij.*

Et Homil. in Domini hypopant. *Beata Maria, vltra omnem humanæ naturæ modum, modestiam, ac temperantiam excoluit, ac ob id, vniuersorũ Dominum in vtero gestare promeruit,*

*quòd si quæ Virgo aliqua maiore modestia, vel ampliore puritate, aut maturitate, præter hanc, ornata extitisset, illam sibi Dominus præ hac ipsa omnino in habitaculum elegisset.*

Basilius. Basilius Magnus in Orat. De humana Christi generatione. *Nihil illi æquale, nullamque puritatem inter homines vspiam aptiorem reperiri potuisse testetur.*

Hierony. Hieronymus ad Eustochium. De custodia virginitatis. *Propone tibi Beatam Mariam, quæ tanta extitit puritatis, vt Domini esse mereretur, ad quam cum Angelus Gabriel in viri speciem descendisset, dicens. Aue gratia plena, Dominus tecum, consternata, & perterrita, respondere nō potuit, nunquàm enim à viro fuerat salutata.*

Niceph. Nicephorus lib. 2. Ecclesiasticæ Historiæ capitulo 23. *Erat Maria in rebus omnibus honesta, & grauis: pauca admodum ea quæ necessaria loquens, ad audiendum facilis, & perquàm affabilis, honorem suum, & venerationem omnibus exhibens. Statura mediocri, decenti dicendi libertate aduersus omnes homines vsa est, sine risu, sine perturbatione, & sine iracundia maximè fuit colore referente frumentum: capillo flauo, oculis acribus, subflauas, & tanquam oleæ colore pupillas in eis habens. supercilia ei erant inflexa, & decenter nigra, nasus longior, labia florida, & verborum suauitate plena, facies non rotunda, & acuta, sed aliquantò longior, manus simul & digiti longiores, erat denique fastus omnis expers, simplex, minimèque vultum figens, nihil mollitiei secum trahens, sed humilitatē præcellentem colens.*

Epiph. Epiphanius presyter Constantinopolit. *Maria Dei genitrix, didicit hæbraicas litteras adhuc Patre eius Ioachim viuente: erat docilis, amans doctrinam, & circa sacram scripturā perseuerabat: opus verò manuum eius, erat lanæ, lini, & serici, Mos eius erat modica loquelæ, expedita obedientiæ, mundæ conuersationis, sine audacia, sine risu, sine turbatione, sine ira, benignè salutans, eloquentiam eius homines mirabantur, fuscos habebat oculos, rectos aspectu, nigra supercilia, mediocrem nasum vultus eius longus, longæ manus, longi digiti, mediocris staturæ, perseuerans in orationibus, ferens pannum proprij coloris, lectioni, ieiunijs, & labori manuum, & omni bonæ, virtuosæque operationi se dederat.*

Rubert. Rubertus lib.5.dicit. Eandem esse Virginem, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias,& cap.5. lib.4. *Tu, inquit, virtutum operatrix, ac totius sanctæ magistra religionis, qualem nunquam oculus vidit, qualis ab initio quando Eua facta est, non fuit, nec est, nec erit, in cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suauitatis, in omni flore, & fructu honoris, & honestatis.*

Cardin. Cusanus Cardinalis Cusanus lib.4. super illa verba. Maria optimam partem elegit. *Inter omnes homines, inquit, Maria tàm in actiua, quàm in contemplatiua vita, optimam partem habuit, ipsa enim sanctissima fuit, quia tabernaculum Altissimo sanctificatum.*

Dionys. Carthus. Dionysius Carthus. lib.1.2.& 3.de præconio,& dignitate Mariæ. *Ab initio sui conceptus, maximis Dei donis exundasse, quæ nullum verbum illicitum dixerit, nullum indecentem habuerit motum, nullum impudicum summulum senserit, ab omni inordinatæ passionis affectu semper immunis, sensualitate illius rationi nunquàm, vel leuiter aduersante, hanc vnam ad originalis perfectionem iustitiæ peruenisse, quæ non modo trium Theologicarum, sed etiam duodecim moralium virtutum cathenam pulcherrimam absoluerit, studijs interim, & exercitijs contemplatiuæ vitæ, cum primis intenta, quæ & sapientissimum Adam in statu innocentiæ versantem, omni virtutum, ac donorũ copia, & perfectione longè superarit, & medio interim modo, inter beatorum, & viatorum vitam incesserit.*

Lauren. Iustin. Laurentius Iustin. Ser. in Natiuitate Mariæ Virginis. *Decebat, vt immaculata esset mente, & corpore, sancta, plena gratiæ, meritis locuplex, virtutum vniuersarum varietate decorata, quæ de cælo suscepit verbum fide concepit filium, conuersatione illustrauit mundum, manna pauit turbam fideliũ, obumbrante Spiritu Sancto, circumdedit virum; & ex se nobis protulit hominem cum honore Virginitatis; cum integritate carnis, & fœcunditate prolis.*

Bernar. Bernardus Serm. de Beata Maria. *Pater exhibuit potentiam, filius sapientiam, Spiritus Sanctus omnium virtutum gratiam.*

D. Tho. Sanctus Thomas. *Ipsa enim omnia opera virtutum exercuit. Opusc.4. De Salutatione Angelica.*

Tostatus Paradox. 1. cap. 22. *Fuit Virgo Domina nostra vas omnis virtutis contentiuum, quippe in qua tam Theologicæ, quàm morales virtutes, perfectius fuere, quàm in cæteris creaturis*, sic enim de ea dicit Hieronymus; *cæteris per partes, Mariæ verò tota plenitudo gratiæ se diffudit*, nec immeritò, quia excellentius ornari thalamum aduenientis redẽptoris decebat, quàm cuiuslibet creaturę, quæ adornatio consistit in plenitudine gratiarum, & omnimoda repletione virtutũ: ita vt de ea aptisſimè prædicetur id, quod habetur Eccl. 50. *Tu es vas Argenti, solidum, ornatum omni lapide pretioso*, lapides autem prætiosos virtutes nominari, non est apud sacram scripturam nouiter inductum. *Tostatus* *Hieron.*

## ADDITIO.

### *De virtutibus Virginis Mariæ. Et Primo De Fide.*

FIdes Mariæ notatur. Luc. 1. vbi dicit ei Elisabeth. *Beata quæ credidisti, quoniam perficientur, &c.* Cum enim paulò post dixisset Maria. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ostendit & Angeli implendam promissionem, & suã se non transgressuram professionem; quæ enim virginitatem vouerat, & parituram se docente Angelo nouerat, mirabili fide, & votum suum implendum credidit, & diuinæ ordinationi se subduxit: maxima autem magnanimitas fidei fuit, quòd in se posse fieri, & credidit, & sperauit, quod nunquàm auditum fuerat, nec in cœlo, nec in terra. Item Maria credula verbis Angeli, fide concepit Saluatorem, & ideo per aurem dicitur concepisse; Vnde dixit ei Elisabeth. *Beata quæ credidisti, quoniam perficiẽtur.* Item, si Abraham in tantum commendatur ab Apostolo Roman. 4. *Quod contra spem naturæ, in spem gratiæ credidit*, scilicet, quod senex posset de Sarra sene, & sterili, filium generare; quanto magis commendanda est Maria, quæ primo verbo Angeli credidit, quòd filium posset gene-

rare, fine semine viri, & parere manens Virgo, non solum hominem, sed filium Dei?

## *De Spe Mariæ.*

SPes Mariæ, notatur in responsione sua ad Angelũ; Vbi dixit. Ecce Ancilla Domini, fiat, &c. Nisi enim veraciter credidisset, firmiter sperasset, & feruenter desiderasset posse fieri, & futurum esse, quod Angelus promittebat; nequaquam respondisset, Fiat mihi, &c. Ideò visa est dixisse Domino, in verbo tuo speraui, quod per Angelum mandaueras mihi.

## *De Charitate Mariæ.*

DIlexit Maria Dominum: sicut omnes scripturę canonicæ prædicant ipsum diligendum: & charitas eius, charitatis omnium sanctorum forma est, & exemplar. Et Nota, quòd dilectio dicitur, quasi duos ligans; diligentem videlicet rei, quam diligit, idest, amantem amato; est enim amor amantis, & amati, quasi quædam vnio, potissimùm in bonis, & naturaliter illud, quod amatur, in sui naturam, suum conuertit amatorem; & hoc patet in Saluatore, nam dilectio, quam habuit ad Genus humanum, fecit colligare, & vnire sibi naturam humanam, quando Verbum caro factum est.

Tanta etiam fuit charitas Mariæ ad nos, quòd, ex quo filium concepit, ipsum pro salute mũdi pati desiderauit, sicut videtur velle Ambrosius. Vnde securè dici potest, & credi, quod sicut dicitur de Patre Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum daret pro mundo.* Sic & de illa dici potest: Sic Maria dilexit mundum, idest, peccatores; vt filium suum vnigenitum daret, pro salute mundi. Ideò etiam dicit Isai. 9. *Filius datus est nobis,* scilicet, à Patre, à Matre, à seipso, à Spiritu Sancto. Si enim Abraham intantùm fuit obediens, & voluntatem suam intantum confor-

*Ambro.*

manit

mauit Diuinæ volūtati, vt filium suum vnigenitum, quē diligebat, voluerit immolari: Genes. 22. Nec tamen pro mundi salute; quid credendum existimas de Maria Virgine? Propter hoc etiam de Matre prędixerat filius Luc. 10. *Maria optimam partem elegit, scilicet, conformare se per omnia Diuinæ voluntati.*

## Dilexit Maria Dominum.

EX toto corde, quia cor illius, ad vllius rei dilectionem, non fuit inclinatum amplius, quàm Dei; nec delectata in aliqua specie mundi amplius, quàm in Deo, omne bonum sibi existimans esse in Deo, vt pro his omnibus diligeret solum Deum. Ex tota anima, omnes affectiones animæ ad Deum retorquēs: Ex tota mente, omnem rationem humanam, in diuinis rebus occupans, ex tota virtute in his iugiter perseuerans; & ita nihil remansit in ea, quod non subijceretur dilectioni Diuinæ: Ex toto corde, idest, intellectu: Ex tota anima, idest, ex tota voluntate; vt omnis voluntas tua, subdita sit voluntati Diuinæ: Ex tota mente, idest, tota memoria. Augustinus. *Ex toto corde, idest, toto intellectu, sine errore; ex tota anima, idest, tota voluntate, sine contrarietate: ex tota mente, idest memoria, sine difficultate, & sine obliuione: Ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, idest super omnia.* Ex toto corde, idest sapienter: Ex tota anima, idest dulciter, & fortiter: Ex tota mente, idest memoriter. *August.*

Dilexit Maria fortiter Patrem, cui attribuitur potentia: Sapienter filium, cui Sapientia attribuitur; dulciter Spiritum Sanctum, cui attribuitur bonitas. Dilexit sapienter, idest discretè, quia rationabile fuit obsequium eius; sciebat enim Virgo prudens, quòd honor regis, iudicium diligit, idest discretionem, & quòd quicquid offertur sacrificij, sale est condiendum. Leuit. 2.

Dilexit dulciter, quia dulcedo generabatur in ea, ex triplici recordatione; Misericordiæ, Gratiæ, & Gloriæ. Misericordiæ, quia præseruauerat à peccato originali; Gra-

Gratiæ quia ipsam impleuerat ad omnem virtutem, & omne opus bonum; Gloriæ, quæ sperabat se remuneran dam supra meritum.

Dilexit dulciter, quia quodammodo dulcis visa est ei angustia passionis filij sui, (licet ei mente compassa sit) ob desiderium salutis generis humani: Vnde dulce lignũ, dulce clauos, non solùm Christo patienti, sed & Matri compatienti; quia per amaritudinem tormenti, sciebant genus humanum rediturum ad dulcedinem Paradisi.

Dilexit fortiter, quia pro eo sustinuit patientissimè tot aduersitates, & nunquàm recedit ab amore eius. In ea verificatum fuit illud Prouer. 17. *Omni tempore, idest, tàm in aduersis, quàm in prosperis, diligit qui amicus est:* qui enim Christum non diligit in aduersis, sicut in prosperis, amicus non est. Fuit dilectio Virginis erga filium, fortis sicut mors, & si fieri posset, secundum beneplacitum Diuinæ voluntatis, mori pro eo, & cum eo desiderauit, vnde dicebat cum Dauid 2.Reg. 18. *Quis mihi det, vt pro te moriar fili mi Iesu?*

Charitas Mariæ ad Christum fuit inseparabilis, tanquàm Sponsæ, ad Sponsum; dilectæ, ad dilectum, Matris, ad vnigenitũ. De hac inseparabilitate, dicit ipsa Cant. 3. *Tenui eum, nec dimittam.* Item Cant. 8. *Dura vt infernus æmulatio:* idest, dilectio eius, quia sicut Infernus, quem semel recipit, nunquàm dimittit; sic eius charitas nunquàm excidit, nunquàm dilectum dimisit; Vnde & potuit verè dicere filio illud Hiere. 31. *In charitate perpetua dilexi te.* Et illud 2.Reg. 1. Sicut Mater vnicum amat filium, ita te diligebam. Si ergo in tantùm dilexit Regem suum, miles Regis; quantùm putas dilexisse filium Regem, Genitricẽ Regis? vtique multò ampliùs.

Fuit insuperabilis, quod pertinet ad diligere fortiter Cant. 8. *Fortis est vt mors dilectio, dura vt Infernus æmulatio.* Et licèt ista auctoritas intelligatur de Christo, potest etiam intelligi de Virgine Sanctissima. Charitas Mariæ fortis fuit, vt mors, immò fortior morte; quia filium intãtùm dilexit, & humani generis redemptionem intantùm optauit; quòd mori pro filio, vel pro mundi salute, cum filio desiderauit. Dura etiam, vt Infernus fuit æmulatio,

idest

idest dilectio eius, quia constantiam eius nulla fregit violentia persecutionum.

Fuit insatiabilis, quia Charitas eius erat ille ignis, de quo dicitur Prou. 30. *Ignis verò nunquàm dicit, sufficit non satiabatur in amando filium.*

Fuit singularis, quia extra Deum nihil quæsiuit; dicés. *Vnam petij à Domino, hanc requiram*, &c. Nihil aliud diligebat, nisi filium suum.

Fuit perseuerans, *quia charitas eius nunquàm excidit*, quod de perfecta charitate intelligitur. Vnde, & dicit filio. Here. 31. *In charitate perpetua dilexi te.* Ad perseuerantiam charitatis inuitat Christus omnes fideles. Ioan. 15. *Manete in dilectione mea.* Item Matt. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, saluus erit.* inchoantibus enim præmium promittitur, sed perseuerantibus datur.

Fuit feruens Cant. 5. *Anima mea liquefata est*, idest, *per incendium charitatis*: Gregorius. *Vulnerata charitate ego sum.* Gregor.
Et Nota, quòd ignis charitatis suauiter ardet, sed non lædit; accendit, sed non consumit.

Dilexit Maria filium suum naturaliter, plusquàm alia mater posset diligere filium suum; solet enim dici, quòd puer naturaliter plus diligitur ab illo parente, cuius semen superabundauit in conceptu eius, quàm ab alio: ideò naturaliter plus dilexit Maria filium suum, quàm aliqua alia mulier, quia totam carnis suæ materiam, à carne materna traxit Christus. Vnde Mariæ dictum est. Lucæ 1. *Ecce concipies in vtero*, idest ex causa intrinseca, non sicut aliæ mulieres, quæ recipiunt ab extrinseco, idest semen viri: hoc idem figuratum est, per hoc pronomen te, vbi sequitur: Quod nascetur ex te sanctum, idest ex te sola, non ex te, & Ioseph; non ex te, & viro.

Carnaliter, idest, ex toto corde, vt supra. Quia carnem Christi tanta deuotione, tanto studio fouit, & nutriuit, vt ad amorem carnis eius, ab amore propriæ carnis, immò omnis carnis suspensa, necessitatibus vagiétis, esurientis, lactentis, crescentis, & huiusmodi, omnes cordis sui affectiones substerneret, esurientem lacte virgineo, & sitientem potauit, infirmum per infantiam, & iacentem non solum visitauit, sed etiam fouendo, liniendo, gestando fre-

quentauit, cæteraq; omnia ei humanitatis obsequia exhibuit. Vnde Maria potuit dicere. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Benè autem languere se dicit Maria, quia quantò se ad amorem sponsi accendit, tantò ab amore temporalium languescit; Sicut solet mos esse languentium, vt illa fastidiant, quibus agitur vita communis; nec infirmari, sed languere se dicit, vt notetur desiderium perseuerans, quia languor dicitur quasi longus angor: nec debet sanari talis languor, donec introducatur anima in thalamum sponsi, quod verè constat de Virgine gloriosa: Ideò super illud, Amore lágueo:
Gregor. dicit Gregorius, *Malè sanata est anima, quæ vulnere charitatis non languet.*

Spiritualiter, quod ex tota anima, & qui adhęret Deo, vnus spiritus est cum eo, vnitate amoris, & gratiæ. Vnde Luc. 2. Dixit ei Simeon. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris*, tuam ipsius, vnam Matris, & filij animam insinuauit, Hæc enim vnio, quæ fit per amorem, spiritualis est; quia amor ignis est, qui materiam sibi cohærentem ignit, & in sui naturam conuertit. Et quia Maria intimior omni creatura, Deo per amorem adhæsit, dicēs illi.: Adhæsit anima mea post te. Ideò spiritualior omni creatura effecta est.

Viriliter, idest, ex tota virtute, & hoc pręcipuè in morte filij, quia mentem eius tanta vis amoris accenderat, vt fugientibus discipulis, oblita sexus fragilis, ipsa cum lacrymis, & astans cruci, & condolens morienti, animam suam pro filio suo, & si non posuit, exposuit tamen. Quis enim sani capitis dicat, ipsam talem Matrem, à tali filio tàm dilectam, minus dilexisse filium suum vnigenitum, & talem filium, quam Dauid Absalonem patricidam; qui dicebat 2. Reg. 18. *Quis mihi det, vt pro te moriar fili mi Ab-*
Hieron. *salon?* Hieronymus. *Cuius acerbitate doloris afflicta, & pœnæ crucis corde affixa: vtpotè quæ plus omnibus doluit, quia plus omnibus dilexit, Hæc sunt pondera dilectionis Mariæ, quæ præponderant omnium sanctarum animarum meritis, & gloriæ.*

Pe

## De Abstinentia Mariæ Virginis.

BOnauentura in Speculo Virginis. Lect. 4. Super illa verba. *Inuenisti gratiam, &c.* Notat, quòd dicitur: Inuenisti gratiam. *Nunquam Maria tantā gratiam inuenisset, nisi gratia Mariam in cibo, & potu temperatissimam inuenisset* non enim se compatiuntur gratia, & gula: quia impossibile est, quòd homo simul sit per gratiam Deo gratus, & per gulam ingratus. Bonum est ergo quærere gratiam, & fugere gulam. Dicit enim Paulus. *Optimū est stabilire gratia cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Nota etiam, quòd dicitur, *Ecce concipies in vtero: nunquàm Maria Deum in vtero concepisset, si idem vterus contra Deum crapulosus fuisset, &* & ei vterus ille mero æstuasset, cum venter mero ęstuās, citò despumat in libidinem. Vterus ergo ille, qui Deo incarnato grauidatus est, nunquam in cibo, & potu intēperato grauatus est. Vnde Chrysostomus Homil. 1. in Matth. oper. imperf. tomo 2. *Commessatrix, aut vinolenta, Maria nunquàm fuit, non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, talia certè intemperantiam sequi solent.* D. Ambrosius li. 2. de Virginib. *Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundātiam: alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies. Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret: non delitias ministraret, dormire non potiùs cupiditas, quàm necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat.* Hæc Ambros. *Chrysos.* *D. Amb.*

Dicit autem Albertus cap. 94. *Quòd sobrietas, & abstinētia in uiatoribus, potest esse cum errore, & possibilitate cadendi saltem in primum motum Gulæ. Non sic autem fuit sobrietas Beatæ Virginis: excellentior fuit sobrietate omnium aliorum viatorum.* *Albert.*

*Præterea abstinent plerique, aut pro debito satisfactionis*

*pro peccato præterito; aut pro deletione pœnæ debitæ in præsenti; aut pro cautela euasionis, pro futuro peccato. Sed in Beata Virgine non fuit abstinentia pro debito satisfactionis, nec pro peccato præterito; sed pro merito supererogationis, nec pro cautela prouisionis, sed pro exemplo ædificationis; nec pro deletione pœnæ, sed pro merito gloriæ. Ergo fuit nobilior abstinentia cuiuslibet viatoris. Hæc Albertus.*

## De Virginitate Mariæ.

D. Greg. GRegorius Magnus. *Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia, quẽ cæli capere non poterant, tuo gremio contulisti.*

Petrus Damia. Petrus Damianus Serm. 3. de Mariæ Natiuitate. *Quæ sine contaminatione concepit, & filium sine dolore procreauit. Non secutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum.*

*Dictum nanque fuerat Euæ; In dolore paries filium. Quæ sententia in alijs Matribus viguit, in Maria verò modum sui iuris amisit, in mulieribus fixa perstitit, in Virgine praualere non potuit; quæ enim Virgo permansit concipiendo, dolorem sentire non potuit pariendo.*

Sanctus Fulgentius Serm. de Laudibus Mariæ. *Eua dictum est, in doloribus & tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui.* Tribus ergo his malis, se subiugant fęminę, quę Mariam non sequuntur, dolori, tristitię, seruituti; hanc porrò nouam Euam esse dicit, cui & concipiendo nulla grauedo, & parturienti nulla tristitia potuerit oboriri. Quandoquidem ille qui venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristauit hospitium.

Idem vt supra. *In Maria, iram exclusam primæ sententiæ, & plenam benedictionis gratiam restitutam.*

Idem. *Mariam à reliquis mulieribus, in immensum abesse, quòd non solum à communi sexus maledicto, semper vixisset immunis; sed & illarum fœminarum princeps esset, ac Regina, quæ à coniugij sollicitudine, & carnis voluptate solutæ, cælesti sponso se totas consecrauit, illique soli liberè seruiunt.*

Chry-

Chrysostomus Homil.3.oper.imper.in Matth. tom.2. *O ineffabilis laus Mariæ, magis credebat Ioseph castitati eius, quàm vtero eius, & plus gratiæ, quàm naturæ: possibilius credebat mulierem sine viro concipere, quàm Mariam posse peccare.* Chrysost.

Bernardus Homil.3.super missus est de beata Virgine. *Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionē euasisti, in qua dictum est: In tristitia paries filios: & nihilominus illam, in qua secutum est. Maledicta sterilis in Israel, ac singularem consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parias.* D.Bern.

Augustin.Serm.6.& 9.in Natali Domini. *Audiat omnis ætas, quòd nunquàm audiuit. Virgo partu suo nupsit, Virginitatem dum pareret, duplicauit, filium, quem genuit, adorauit.* ac iterum. *Virgo sine viro grauidatur, viri nesciam SermoDei maritat, simul facta est mater, & Virgo; mater facta, sed incorrupta: Virgo habens virum, nesciens virum, semper clausa, sed non infœcunda.* August.

Ambrosius lib.de Institut.Virg cap.5. *Inter alia quidem miracula, quæ diuinam virtutem nobis illustrant, orbique comprobant, nullum ferè augustiùs, quàm mortuorum ad vitam resuscitatio celebratur, atqui Virginem parturire: maius est miraculum, quàm mortuum resuscitare, hoc enim aliquoties, quemadmodum Elia, Eliseo, Paulo precantibus: illud verò semel dumtaxat in orbe factum, nec in posterum fiet.* Ambros.

Petrus Damianus in vita Dominici Loricati. *Maria in virgineo suo partu, quem edidit, sanctorum omnium virtutes, ac signa præcelluisse.* Petrus Damia.

Sophronius in Synodicis approbatis in Sexto Cōcilio Constantinopolitano. *Mariam ante partum, in partu, et post partum: intemeratam Virginem permāsisse: Quid multa? Enigma inextricabile videri potest, talem reperiri creaturam, de alterius esse genitam, quæ vicissim de sua carne auctorem, patrēque suum generet, non ab alio quàm quem peperit, fœcundata, & quæ eidem, simul & filia, & sponsa, & Mater existat.* Sophr.

Basilius Magnus Homil.de Hum. Christi generat.Origenes Homil.6.in Lucam.Hieronymus in primum capit. Matth. *Et si enim Dæmonis tanta sit versutia, & perspicacitas, vt illum naturæ arcana non fugiant, & Virginem à corrupta* Basil. Origenes Hieron.

*discernere facilè posſit, tamen ſingulari Dei nutu factum eſt, vt ille diuini partus rationem, & quod in Maria gerebatur myſterium ignoraret: hoc enim cognitum illum ad inſectationem grauiſsimam ſtatim rapuiſſet, vt non ſolum in Chriſtum infantulum, ſed etiam in eius matrem, immaniter graßaretur.*

*Chryſoſ. Theofil.* Chryſoſtomus Orat. in Annunciat. Damaſcenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. Theofil. in 1. cap. Matth. afferunt, *Verſutiſsimum Sathanam, cum ex Iſaiæ vaticinio, Meſſiam peccati, & mortis deſtructorem, è Virgine procreandum intellexiſſet, magnopere in obſeruandis Virginibus aduigilaſſe, vt ſciret quaenam illarum tandem in Meſsiæ matrem deligeretur.*

*Baſilius.* Baſilius Homil. de human. Chriſti generat. *Virginitatis inſidiatorem, & obſeruatorem mundi huius fuiſſe principem Diabolum, qui Mariam coniugij ſpecie illuſus, myſteriūq; non deprehenderit.*

*Ignatius* Ignatius. *Cur Mariam viro eſſe deſponſatam Virginem decuerit? priuſquam in Matrem Domini eligeretur? vt partus eius celaretur Diabolo.*

*Bernar.* Bernardus Homil. 2. ſuper miſſus eſt. *Oportuit hoc diuini conſilij ſacramentum, mundi principi tectum, occultumque manere, vt eo modo, & ordine, hominem ſibi reconciliaret Deus, à quo cognouerat cecidiſſe: Itaque ſicut Diabolus priùs ſeduxit fœminam, & poſtmodum virum per fœminam vicit, ſic conueniens fuit eundem hoſtem priùs à fœmina Virgine ſeduci, & poſt à Chriſto viro apertè debellari.* Neceſſariò igitur deſponſata eſt Maria Ioſeph, quando per hoc, & à canibus ſanctum abſconditur, & à Sponſo Virginitas comprobatur.

Idem vt ſupra. *O admirandam, & omni honore dignisſimā Virginem: O fœminam ſingulariter venerandam, ſuper omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, & poſteriorum viuificatricem: Miſſus eſt Angelus ad Virginem, Virginem carne: Virginem mente; Virginem profeſsione; Virginem denique, qualem deſcribit Apoſtolus: mente, & corpore ſanctam.*

*Chryſoſ.* Chryſoſtomus orat. in Annunciatione Mariæ. *Mißus eſt Gabriel à Deo ad Virginem, vt mulieris dedecus, in honorem conuerteret. Miſſus eſt Gabriel, vt puro ſponſo thalamum pararet: Miſſus eſt Gabriel, ad animatum palatium Regis Angelorum. Mißus eſt Gabriel ad Virginem deſponſatam quidem Ioſeph, ſed ſeruatam filio Dei: Mißus eſt Gabriel ſeruus incorporeus*

*reus, ad Virginem immaculatam. Missus est à peccato integer, ad corruptionis expertem.*

Petrus Damianus Serm.3.de Natiuitate Mariæ. *O mira biliter fœcunda Virginitas, quæ nouo, & inaudito miraculo, Mater dici possit, & Virgo. Qui toto mundo non capitur puellæ innuptæ in membris infunditur, sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorē non amiserat castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla viri nouerat contagia, erat spes in partu. Cum non fuisset voluptas in coitu, immensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturiuit, qui sibi, & munus fœcunditatis attulit, conceptus, & decus virginitatis non abstulit, natus.* Petrus Damia.

Gregorius Nissenus in orat. de Christi Natiuitate. *O miraculum ingens, Virgo Mater fit, & Virgo permanet, vides opus nouum naturæ, in alijs fœminis, quamdiù Virgo aliqua est, mater non est, posteaquam enim mater facta fuerit, virginitatem non habet, hic verò duo illa nomina simul concurrerunt, eadem enim & mater, & Virgo est: ac neque virginitas partum prohibuit, neque partus virginitatem soluit.* Gregor. Nissen.

Origenes Homil.1.ex varijs locis. *Maria desponsata fuit Ioseph, non tamen in concupiscentia iuncta, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, mater eius, cuius eius mater Dei, vnigeniti Domini, & Regis omnium plasmatoris, & creatoris cunctorum: illius, qui in excelsis sine matre, & in terra est sine Patre, ipsius qui in cælis secundùm Deitatem, in sinu est Patris, & in terris secundùm corporis susceptionem, in sinu Matris. O magnæ admirationis gratia, ò inenarrabilis simultas, ò ineffabile, magnumque sacramentum, ipsa eademque Virgo, ipsa & mater Domini, ipsa genitrix, ipsa eius Ancilla, plasmatio eius, ipsaque genuit. Quis vnquam ista audiuit? quis vidit talia? Et quis cogitare potuit, vt mater Virgo esset, & intacta generaret, quæ & Virgo permansit, & genuit?* Origen.

Cyprianus lib.2. Aduersus Iudæos cap. 9. *In Maria incendium originale fuit extinctum, nihil illic petijt vltio, nec præcedens delectatio, aliquam expetijt pœnarum vsuram.* Cyprian

Hilarius in Apolog. aduersus Ruffinum. *Virgo enim non nisi ex sancto spiritu genuit.* Hilar.

Et ad Epitectum scribens. *Mariam vocat impollutam Virginem, in qua nouum huiusmodi conditum fuit, quale in nulla alia fœmina.*

Epiph. Epiphanius lib.3.cap.2.Hiere.78. *Quomodo audent impetere impollutam Virginem? quæ digna facta est habitaculum fieri filij Dei, & ad hoc delecta est ex multis millibus Israel; quo vas, & habitaculum dignum esset, in signum solum partus.*

Hieron. Hieronymus lib.1.aduersus Iouinianum. Vocat eam ob perpetuam Virginitatem *Sororem, Sponsam, Hortum cõclusum, fontem signatum, portam Ezechielis orientalem.*

Ambros. Ambrosius lib.1.contra Iouinianum Epist. 81. *Speciale sibi donum virginitatis Christus elegit, & integritatis munus exhibuit, atque ipse repræsentauit, quod elegit in Matre.*

Chrysost. Chrysostomus in Domini hypopante (quamuis iste liber in eius operibus non inueniatur.) *Ancilla est, & Deipara virgo est, & mater, Dei quoque parens est: fide ô homo, quæ dicuntur, apprehende, & noli de his ambigere, quæ à Patribus tradita sunt, & approbata, illa in dubium vocare noli, sed reuerenter, & citra curiosam inquisitionem fidem adhibe; crede, inquam, & anxiè noli perquirere. Crede igitur his, quæ de Virgine à nobis dicuntur, nec dubites eandem, & Dei Ancillam, & Dei parentem, tùm rursus Virginem, & Matrem profiteri: Ancilla quidem est, quia vera illius, qui ex ipsa prodijt creatura. Deipara est, quandoquidem Deum ipsum, qui carnem ex ipsa suscepit enixa Virgo est, vtpotè omnis virilis seminis, omnisque concubitus expers, ac mater est denique, quòd parens eius effecta sit, quæ absque principio ab ipso Patre suam habuit generationem.*

August. Augustinus lib.de Hæresibus. *Aluus tumescit Virginis, Claustrum pudoris permanet, impletur vterus Matris sine vllo complexu Patris, peperit prolem, quæ se ignorabat coniugem: Angelus ad Virginem loquitur, à Virgine cor præparatur, Christus fide concipitur, miraris hæc? adhuc mirare, parit Mater, & Virgo facta, & intacta: nascitur filius, sine homine patre, qui fecit & ipsam Matrem.*

Idem in Sermonibus varijs, de Natali Domini, introducit Virginem de se loquentem. *Porta facta sum cæli, Ianua facta sum filio Dei, illi facta sum Ianua clausa, qui post suam resurrectionem, ingressus est per ostia clausa, qui natus est de vtero meo, me matrem dimisit intactam, adimpleuit ventrem meum diuinitate, & vterum meum non euacuauit castitate, exiuit de vtero meo giganteo cursu magnificus, & vencer me*

*us non est pudore euacuatus, nec in conceptione inuenta sum sine pudore, regnum teneo Virginitatis, & Regem genui castitatis, Ingredientem, & egredientem habui in palatio ventris, filium Imperatoris, & de manibus meis, non amisi clauem regni pudoris. Porta facta sum cœlo, ianua facta sum filio Dei, illa porta facta clausa, quam in visione Diuina Ezechiel vidit Propheta, & ita concludit. O mira, & laudabilis inter fœminas, quæ ab Angelo salutatur: Aue gratia plena, Dominus tecum. Fœlix vmbilicus castitatis, quem amplexus non tetigit maritalis.*

*O Fœmina super fœminas benedicta, quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circumdedit, quæ concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole de spirituali semine gratulatur.*

Leo magnus Serm, 2. de Natiuitate Domini. *Humano vsu, inquit, & consuetudine, quòd credimus caret, sed diuina potestate submissum est, quòd virgo conceperit, quòd Virgo pepererit, et virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, quia volebat, & poterat.*

Theodoretus Serm. 10. de Prouidentia. *Christus, ex muliere quidem, perindè vt nos, nascitur, habet verò partus quiddã amplius, & peculiare, nempè virginitatem, virgo enim erat, quæ Dominum Christum concepit, & peperit.* Theodo.

Et in Cantic. *Inter tot animas omnium, qui saluantur, vt electa columba, illa sola est, quæ Christum genuit Virgo, mater puella, quæ puritate profectò Cherubim, atque Seraphim antecellit.*

Ildephonsus lib. de Virgin. *Ecce virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo attestante Angelo, virgo iudice sponso, virgo antè sponsum, Virgo cũ sponso, indubitatè virgo, etiam dubitante sponso, Virgo ante filij aduentum, Virgo post filij generationem, Virgo cum filij natiuitate, Virgo post filium natum.* Ildeph.

Bernardus Ser. 4. in Assumpt. Virginis. *Vnum est, inquit, in quo nec primam similem vita est, nec habere secundam, gaudia matris habens, cum Virginitatis honore.* Bernar.

Idem Serm. Signum Mag. *Offerantur regi virgines, sed post eam, nam primum locum sola vendicat sibi, multo magis autem, sola sine corruptione concepit, sine grauamine tulit, sine dolore filium parturiuit.*

peretur iustus. Necesse etiam erat, vt quicunque per Matris corruptionem conciperetur, ex originali peccato conciperetur, nullus autem peccator saluare poterat alium peccatorem, cum in eadem damnatione esset cum reo; Vndè dicebat humanum genus. *Respiciens eram in adiutorium hominum, & non erat.* Eccl. 51. Decebat enim Deum non nasci nisi de virgine, decebat virginem non parere, nisi Deum.

Ad hoc ergo totum, necessario præparabatur Virginitas Mariæ, quia non alteri Virgini, quàm Mariæ, hoc priuilegium debebatur; plasmationem primi hominis, quasi exemplariter imitata, videlicet, vt sicut primus Adam de terra virgine plasmatus fuerat; Sic secundus Adam de matre Virgine secundus homo formaretur.

Vnde Hiere. 31. Gloriosum conceptum Virginis absque læsione Virginitatis suæ describens, dicit. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum.* Benè dicitur, creauit: quia creare, est noui aliquid facere, quod antea non fuit. Benè etiam dicitur, creauit, quia in sua Incarnatione, Creator omnium, factus est creatura. Vnde Pater de filio. *Isa. 45. Ego Dominus creaui eum,* hominem scilicet: Dominus, non dicit Pater, aut filius, aut Spiritus Sāctus: sed Dominus singulariter, quia vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: *quia vnus est altissimus, creator omnium, Omnipotens Eccl. 1.* Et supponit hoc loco, Dominus pro Trinitate personarum, quia potentia Patris, sapientia filij, benignitas Spiritus Sancti, conceptum Virginis operabantur, & partum, quia opera Trinitatis ad extrà sunt inseparabilia.

Nouum super terrā, quod tota terra non capit. Si quæratūr quid sit illud nouū, videlicet quod integritati virginitatis accederet fœcunditas prolis, vt manens virgo integra, fieret mater fœcunda, & gaudia matris habens, cū virginitatis honore, sicut nec primā similem habuerat tale votum emittendo, sic nec sequentē haberet virginaliter pariendo? Nouū, inquit, quòd virgo facta est Mater, Deus homo, Pater filius, & filia genitrix est effecta. Nouū, quia paruula puellula vtero suo circumdedit hominem perfectum, cœlo, terraq; maiorē, quòd manens virgo concepit,

quòd

quòd filiũ peperit manens virgo. Verè enim fuit hoc nouum,& inauditum à sæculo,,alioquin nouũ non esset,nisi super naturam,& contra solitum cursum naturæ, virgo Deũ,& hominẽ,sine cõplexu virili genuisset. Itẽ nouum, tres enim mirabiles nouitates, mirabiliter singulares,& singulariter mirabiles:quales nec factę sunt,,nec amplius faciendę sunt super terrã,fecit omnipotens illa maiestas, in asſũptione nostræ carnis,quãdo cõiuncta sunt ad inuicẽ,Deus,& homo,Mater,& Virgo, fides,& cor humanũ. Verè nouũ,& omni superemine͂s nouitati,'quòd in partu virginali,breuis agnoscitur lõgitudo, latitudo angusta,altitudo subdita,profunditas inundans, agnoscitur ibi lux non lucens,verbum non loquens,aqua fitiens, panis esuriens, tristatur gaudium, pauet securitas, patitur salus, moritur vita,infirmatur fortitudo, ibi potentia regitur, sapientia instruitur, virtus sustentatur, qui reficit Angelos,vberibus virgineis lactatur. Noua sunt hæc,mira sunt hęc. *Athanasius in Dialogo suo. Incarnatus est vnigenitus Dei secreto suo mysterio, quod ipse nouit, nostrum est credere, & illius est nosse:& hoc est,quod canitur. Signum audisti nouitatis crede solum,& est satis.* Athan.

Super terrã,quia conceptus,& partus virginis,omnem transcendit intellectũ humanũ; Vnde dicit Ioannes. *Cuius non sum dignus soluere corrigiã calceamenti*, idest, explicare vnionem verbi. Et Isa 53. *Generationem eius quis enarrabit?* idest,Christi. Vel eius,idest virginis,quomodo scilicet ipsa eũ genuit,qui se fecit, vtrumque enim ineffabile est.

Fęmina,idest virgo Maria circũdabit gremio vteris sui Sic ait Glossa, *virum, idest Christum*, qui in ipso momento suæ Conceptionis,fuit vir perfectus, quo ad sapientiã,& virtutẽ,& etiam quo ad lineamenta, & organizationem membrorum:tantam enim sapientiam, tantam virtutem habuit conceptus,quantam adultus, quod fuit valde mirabile,nec aliundè contingit vnquã istud,quoniã ipse est singularis. De sapientia eius Eccl. 1. *Omnis sapiẽtia à Domino Deo est,& cum illo fuit semper,& est ante æuum.* De virtute 1. ad Corinth. 1. *Ipse est Dei virtus,& Dei sapientia*. Et ita fuit dupliciter perfectus,scilicet in corpore,quò ad lineamenta mẽbrorũ,& in anima,quò ad scientiã,& virtutes.

Cir-

quentauit, cæteraq; omnia ei humanitatis obsequia exhibuit. Vnde Maria potuit dicere. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Benè autem languere se dicit Maria, quia quantò se ad amorem sponsi accendit, tantò ab amore temporalium languescit; Sicut solet mos esse languentium, vt illa fastidiant, quibus agitur vita communis; nec infirmari, sed languere se dicit, vt notetur desiderium perseuerans, quia languor dicitur quasi longus angor: nec debet sanari talis languor, donec introducatur anima in thalamum sponsi, quod verè constat de Virgine gloriosa: Ideò super illud, Amore lágueo:
Gregor. dicit Gregorius, *Malè sanata est anima, quæ vulnere charitatis non languet.*

Spiritualiter, quod ex tota anima, & qui adhęret Deo, vnus spiritus est cum eo, vnitate amoris, & gratiæ. Vnde Luc. 2. Dixit ei Simeon. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius doloris*, tuam ipsius, vnam Matris, & filij animam insinuauit, Hæc enim vnio, quæ fit per amorem, spiritualis est; quia amor ignis est, qui materiam sibi cohærentem ignit, & in sui naturam conuertit. Et quia Maria intimior omni creatura, Deo per amorem adhæsit, dicés illi: Adhæsit anima mea post te. Ideò spiritualior omni creatura effecta est.

Viriliter, idest, ex tota virtute, & hoc pręcipuè in morte filij, quia mentem eius tanta vis amoris accenderat, vt fugientibus discipulis, oblita sexus fragilis, ipsa cum lacrymis, & astans cruci, & condolens morienti, animam suam pro filio suo, & si non posuit, exposuit tamen. Quis enim sani capitis dicat, ipsam talem Matrem, à tali filio tàm dilectam, minus dilexisse filium suum vnigenitum, & talem filium, quam Dauid Absalonem patricidam; qui dicebat 2. Reg. 18. *Quis mihi det, vt pro te moriar fili mi Absalon?*
Hieron. Hieronymus. *Cuius acerbitate doloris afflicta, & pœnæ crucis corde affixa: vtpotè quæ plus omnibus doluit, quia plus omnibus dilexit. Hæc sunt pondera dilectionis Mariæ, quæ praeponderant omnium sanctarum animarum meritis, & gloria.*

## De Abstinentia Mariæ Virginis.

BOnauentura in Speculo Virginis. Lect. 4. Super illa verba. *Inuenisti gratiam, &c.* Notat, quòd dicitur: Inuenisti gratiam. *Nunquam Maria tantã gratiam inuenisset, nisi gratia Mariam in cibo, & potu temperatissimam inuenisset* non enim se compatiuntur gratia, & gula: quia impossibile est, quòd homo simul sit per gratiam Deo gratus, & per gulam ingratus. Bonum est ergo quærere gratiam, & fugere gulam. Dicit enim Paulus. *Optimũ est stabilire gratia cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Nota etiam, quòd dicitur, *Ecce concipies in vtero: nunquàm Maria Deum in vtero concepisset, si idem vterus contra Deum crapulosus fuisset, &* & ei vterus ille mero æstuasset, cum venter mero ęstuãs, citò despumat in libidinem. Vterus ergo ille, qui Deo incarnato grauidatus est, nunquam in cibo, & potu intẽperato grauatus est. Vnde Chrysostomus Homil. 1. in Matth. oper. imperf. tomo 2. *Commessatrix, aut vinolenta, Maria nunquàm fuit, non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, talia certè intemperantiam sequi solent.* D. Ambrosius li. 2. de Virginib. *Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundãtiam: alterum vltra naturam superfuisse, alterum penè ipsi naturæ defuisse: illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies. Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret: non delitias ministraret, dormire non potiùs cupiditas, quàm necessitas fuit, & tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronuntiat.* Hæc Ambros.

Chrysos.

D. Amb.

Dicit autem Albertus cap. 94. *Quòd sobrietas, & abstinẽtia in uiatoribus, potest esse cum errore, & possibilitate cadendi saltem in primum motum Gulæ. Non sic autem fuit sobrietas Beatæ Virginis: excellentior fuit sobrietate omnium aliorum viatorum.*

Albert.

*Præterea abstinent plerique, aut pro debito satisfactionis*

*pro peccato præterito; aut pro deletione pœnæ debitæ in præsenti; aut pro cautela euasionis, pro futuro peccato. Sed in Beata Virgine non fuit abstinentia pro debito satisfactionis, nec pro peccato præterito; sed pro merito supererogationis, nec pro cautela prouisionis, sed pro exemplo ædificationis: nec pro deletione pœnæ, sed pro merito gloriæ. Ergo fuit nobilior abstinentia cuiuslibet viatoris. Hæc Albertus.*

## De Virginitate Mariæ.

D.Greg. GRegorius Magnus. *Sancta, & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio, quia, quē cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.* Petrus Damianus Serm. 3. de Mariæ Natiuitate. *Quæ sine contaminatione concepit, & filium sine dolore procreauit. Non secutus est dolor partum, quia non præcessit libido conceptum.*

Petrus Damia.

*Dictum nanque fuerat Euæ; In dolore paries filium. Quæ sententia in alijs Matribus viguit, in Maria verò modum sui iuris amisit, in mulieribus fixa perstitit, in Virgine præualere non potuit; quæ enim Virgo permansit concipiendo, dolorem sentire non potuit pariendo.*

Sanctus Fulgentius Serm. de Laudibus Mariæ. *Euæ dictum est, in doloribus & tristitia paries, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui.* Tribus ergo his malis, se subiugant feminę, quę Mariam non sequuntur, dolori, tristitię, seruituti; hanc porrò nouam Euam esse dicit, cui & concipiendo nulla grauedo, & parturienti nulla tristitia potuerit oboriri. Quandoquidem ille qui venerat triste lætificare sæculum, ventris non contristauit hospitium.

Idem vt supra. *In Maria, iram exclusam prima sententia, & plenam benedictionis gratiam restitutam.*

Idem. *Mariam à reliquis mulieribus, in immensum abesse, quòd non solum à communi sexus maledicto, semper vixisset immunis, sed & illarum fœminarum princeps esset, ac Regina, quæ à coniugij sollicitudine, & carnis voluptate soluta, cælesti sponso se totas consecrant, illique soli liberè seruiunt.*

Chry-

Chrysostomus Homil.3.oper.imper.in Matth. tom.2. *O ineffabilis laus Mariæ, magis credebat Ioseph castitati eius, quàm vtero eius, & plus gratiæ, quàm naturæ: possibilius credebat mulierem sine viro concipere, quàm Mariam posse peccare.* Chr.

Bernardus Homil.3.super missus est de beata Virgine. *Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionẽ euasisti, in qua dictum est: In tristitia paries filios: & nihilominus illam, in qua secutum est. Maledicta sterilis in Israel, ac singularem consecuta es benedictionem, vt nec sterilis maneas, nec cum dolore parias.* D.Bern.

Augustin.Serm.6.& 9.in Natali Domini. *Audiat omnis ætas, quòd nunquàm audiuit. Virgo partu suo nupsit, Virginitatem dum pareret, duplicauit, filium, quem genuit, adorauit.* ac iterum. *Virgo sine viro grauidatur, viri nesciam SermoDei maritat, simul facta est mater, & Virgo; mater facta, sed incorrupta: Virgo habens virum, nesciens virum, semper clausa, sed non infœcunda.* August.

Ambrosius lib.de Institut.Virg cap.5. *Inter alia quidem miracula, quæ diuinam virtutem nobis illustrant, orbique comprobant, nullum ferè augustiùs, quàm mortuorum ad vitam resuscitatio celebratur, atqui Virginem parturire: maius est miraculum, quàm mortuum resuscitare, hoc enim aliquoties, quemadmodum Elia, Eliseo, Paulo precantibus: illud verò semel dumtaxat in orbe factum, nec in posterum fiet.* Ambros.

Petrus Damianus in vita Dominici Loricati. *Maria in virgineo suo partu, quem edidit, sanctorum omnium virtutes, ac signa præcelluisse.* Petrus Damia.

Sophronius in Synodicis approbatis in Sexto Cõcilio Constantinopolitano. *Mariam ante partum, in partu, et post partum: intemeratam Virginem permãsisse: Quid multa? Enigma inextricabile videri potest, talem reperiri creaturam, de alterius esse genitam, quæ vicissim de sua carne auctorem, patrẽque suum generet, non ab alio quàm quem peperit, fœcundata, & quæ eidem, simul & filia, & sponsa, & Mater existat.* Sophr.

Basilius Magnus Homil.de Hum. Christi generat. Origenes Homil.6.in Lucam. Hieronymus in primum capit. Matth. *Et si enim Dæmonis tanta sit versutia, & perspicacitas, vt illum naturæ arcana non fugiant, & Virginem à corruptâ* Basil. Origenes Hieron.

*discernere facilè posfit, tamen singulari Dei nutu factum est, vt ille diuini partus rationem, & quod in Maria gerebatur mysterium ignoraret: hoc enim cognitum illum ad insectationem grauissimam statim rapuisset, vt non solum in Christum infantulum, sed etiam in eius matrem, immaniter grassaretur.*

Chrysos. Theofil. Chrysostomus Orat. in Annunciat. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. Theofil. in 1. cap. Matth. afferunt, *Versutissimum Sathanam, cum ex Isaiæ vaticinio, Messiam peccati, & mortis destructorem, è Virgine procreandum intellexisset, magnopere in obseruandis Virginibus aduigilasse, vt sciret quænam illarum tandem in Messiæ matrem deligeretur.*

Basilius. Basilius Homil. de human. Christi generat. *Virginitatis insidiatorem, & obseruatorem mundi huius fuisse principem Diabolum, qui Mariam coniugij specie illusus, mysteriumq; non deprahenderit.*

Ignatius Ignatius. *Cur Mariam viro esse desponsatam Virginem decuerit? priusquam in Matrem Domini eligeretur? vt partus eius celaretur Diabolo.*

Bernar. Bernardus Homil. 2. super missus est. *Oportuit hoc diuini consilij sacramentum, mundi principi tectum, occultumque manere, vt eo modo, & ordine, hominem sibi reconciliaret Deus, à quo cognouerat cecidisse: itaque sicut Diabolus priùs seduxit fœminam, & postmodum virum per fœminam vicit, sic conueniens fuit eundem hostem priùs à fœmina Virgine seduci, & post à Christo viro apertè debellari.* Necessariò igitur desponsata est Maria Ioseph, quando per hoc, & à canibus sanctum absconditur, & à Sponso Virginitas comprobatur.

Idem vt supra. *O admirandam, & omni honore dignissimã Virginem: O fœminam singulariter venerandam, super omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, & posteriorum viuificatricem: Missus est Angelus ad Virginem, Virginem carne: Virginem mente; Virginem professione; Virginem denique, qualem describit Apostolus: mente, & corpore sanctam.*

Chrysos. Chrysostomus orat. in Annunciatione Mariæ. *Missus est Gabriel à Deo ad Virginem, vt mulieris dedecus, in honorem conuerteret. Missus est Gabriel, vt puro sponso thalamum pararet: Missus est Gabriel, ad animatum palatium Regis Angelorum. Missus est Gabriel ad Virginem desponsatam quidem Ioseph, sed seruatam filio Dei: Missus est Gabriel seruus incorporeus*

*reus, ad Virginem immaculatam. Missus est à peccato integer, ad corruptionis expertem.*

Petrus Damianus Serm. 3. de Natiuitate Mariæ. *O mirabiliter fœcunda Virginitas, quæ nouo, & inaudito miraculo, Mater dici possit, & Virgo. Qui toto mundo non capitur puellæ innuptæ in membris infunditur, sentiebat quidem pondera ventris, quæ pudorē non amiserat castitatis. Mirabatur partus insignia, quæ nulla viri nouerat contagia, erat spes in partu. Cum non fuisset voluptas in coitu, immensum concepit, æternum genuit, genitum ante sæcula parturiuit, qui sibi, & munus fœcunditatis attulit, conceptus, & decus virginitatis non abstulit, natus.* Petrus Damia.

Gregorius Nissenus in orat. de Christi Natiuitate. *O miraculum ingens, Virgo Mater fit, & Virgo permanet, vides opus nouum naturæ, in alijs fœminis, quamdiù Virgo aliqua est, mater non est, posteaquam enim mater facta fuerit, virginitatem non habet, hic verò duo illa nomina simul concurrerunt, eadem enim & mater, & Virgo est: ac neque virginitas partum prohibuit, neque partus virginitatem soluit.* Gregor. Nissen.

Origenes Homil. 1. ex varijs locis. *Maria desponsata fuit Ioseph, non tamen in concupiscentia iuncta, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, mater eius, cuius eius mater Dei, vnigeniti Domini, & Regis omnium plasmatoris, & creatoris cunctorum: illius, qui in excelsis sine matre, & in terra est sine Patre, ipsius qui in cœlis secundùm Deitatem, in sinu est Patris, & in terris secundùm corporis susceptionem, in sinu Matris. O magnæ admirationis gratia, ò inenarrabilis suauitas, ò ineffabile, magnumque sacramentum, ipsa eademque Virgo, ipsa & mater Domini, ipsa genitrix, ipsa eius Ancilla, plasmatio eius, ipsaque genuit. Quis vnquam ista audiuit? quis vidit talia? Et quis cogitare potuit, vt mater Virgo esset, & intacta generaret, quæ & Virgo permansit, & genuit?* Origen.

Cyprianus lib. 2. Aduersus Iudæos cap. 9. *In Maria incendium originale fuit extinctum, nihil illic petijt vltio, nec præcedens delectatio, aliquam expetijt pœnarum vsuram.* Cyprian.

Hilarius in Apolog. aduersus Ruffinum. *Virgo enim non nisi ex sancto spiritu genuit.* Hilar.

Et ad Epitectum scribens. *Mariam vocat impollutam Virginem, in qua nouum huiusmodi conditum fuit, quale in nulla alia fœmina.*

Epiph. Epiphanius lib.3.cap.2.Hiere.78. *Quomodo audent impetere impollutam Virginem? quæ digna facta est habitaculum fieri filij Dei,& ad hoc delecta est ex multis millibus Israel; quo vas,& habitaculum dignum esset,in signum solum partus.*

Hieron. Hieronymus lib.1.aduersus Iouinianum. Vocat eam ob perpetuam Virginitatem *Sororem,Sponsam,Hortum cõclusum,fontem signatum,portam Ezechielis orientalem.*

Ambros. Ambrosius lib.1.contra Iouinianum Epist. 81. *Speciale sibi donum virginitatis Christus elegit , & integritatis munus exhibuit,atque ipse repræsentauit,quod elegit in Matre.*

Chrysost. Chrysostomus in Domini hypopante (quamuis iste liber in eius operibus non inueniatur.) *Ancilla est, & Deipara virgo est,& mater, Dei quoque parens est :fide ò homo,quæ dicuntur,apprehende , & noli de his ambigere , quæ à Patribus tradita sunt,& approbata,illa in dubium vocare noli ,sed reuerenter,& citra curiosam inquisitionem fidem adhibe ; crede, inquam,& anxiè noli perquirere.Crede igitur his,quæ de Virgine à nobis dicuntur,nec dubites eandem,& Dei Ancillam , & Dei parentem,tùm rursus Virginem , & Matrem profiteri: Ancilla quidem est,quia vera illius,qui ex ipsa prodijt creatura.Deipara est,quandoquidem Deum ipsum,qui carnem ex ipsa suscepit enixa Virgo est,vtpotè omnis virilis seminis,omnisque concubitus expers, ac mater est denique , quòd parens eius effecta sit, quæ absque principio ab ipso Patre suam habuit generationem.*

August. Augustinus lib.de Hæresibus. *Aluus tumescit Virginis, Claustrum pudoris permanet , impletur vterus Matris sine vllo complexu Patris , peperit prolem , quæ se ignorabat coniugem: Angelus ad Virginem loquitur,à Virgine cor præparatur,Christus fide concipitur,miraris hæc?adhuc mirare , parit Mater,& Virgo feta,& intacta:nascitur filius , sine homine patre,qui fecit & ipsam Matrem.*

Idem in Sermonibus varijs, de Natali Domini,introducit Virginem de se loquentem . *Porta facta sum cæli, Ianua facta sum filio Dei,illi facta sum Ianua clausa, qui post suam resurrectionem, ingressus est per ostia clausa , qui natus est de vtero meo,me matrem dimisit intactam , adimpleuit ventrem meum diuinitate,& vterum meum non euacuauit castitate,exiuit de vtero meo giganteo cursu magnificus,& vencer me*

*us non est pudore euacuatus, nec in conceptione inuenta sum sine pudore, regnum teneo Virginitatis, & Regem genui castitatis, Ingredientem, & egredientem habui in palatio ventris, filium Imperatoris, & de manibus meis, non amisi clauem regni pudoris. Porta facta sum cœlo, ianua facta sum filio Dei, illa porta facta clausa, quam in visione Diuina Ezechiel vidit Propheta, & ita concludit. O mira, & laudabilis inter fœminas, quæ ab Angelo salutatur: Aue gratia plena, Dominus tecum. Fœlix vmbilicus castitatis, quem amplexus non tetigit maritalis. O Fœmina super fœminas benedicta, quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circumdedit, quæ concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole de spirituali semine gratulatur.*

Leo magnus Serm. 2. de Natiuitate Domini. *Humano vsu, inquit, & consuetudine, quòd credimus caret, sed diuina potestate submissum est, quòd virgo conceperit, quòd Virgo pepererit, et virgo permanserit. Non hic cogitetur parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, quia volebat, & poterat.*

Theodoretus Serm. 10. de Prouidentia. *Christus, ex muliere quidem, perindè vt nos, nascitur, habet verò partus quiddã amplius, & peculiare, nempè virginitatem, virgo enim erat, quæ Dominum Christum concepit, & peperit.* *Theodo.*

Et in Cantic. *Inter tot animas omnium, qui saluantur, vt electa columba, illa sola est, quæ Christum genuit Virgo, mater puella, quæ puritate profectò Cherubim, atque Seraphim antecellit.*

Ildephonsus lib. de Virgin. *Ecce virgo ex Deo, virgo ex homine, virgo attestante Angelo, virgo iudice sponso, virgo antè sponsum, Virgo cũ sponso, indubitatè virgo, etiam dubitante sponso, Virgo ante filij aduentum, Virgo post filij generationem, Virgo cum filij natiuitate, Virgo post filium natum.* *Ildeph.*

Bernardus Ser. 4. in Assumpt. Virginis. *Vnum est, inquit, in quo nec primam similem vita est, nec habere secundam, gaudia matris habens, cum Virginitatis honore.* *Bernar.*

Idem Serm. Signum Mag. *Offerantur regi virgines, sed post eam, nam primum locum sola vendicat sibi, multo magis autem, sola sine corruptione concepit, sine grauamine tulit, sine dolore filium parturiuit.*

Rubert. Rubertus lib. 1. Cant. *Hanc Virginem conceptu floridam, partu fructiferam, Virginem in conceptu, incorruptam in partu, Virginem ante partum, & incorruptam post partum prædicat. Nonne igitur pulcherrima es mulierum? Verè pulcherrima pudicarum omnium Virginum, viduarum, atque continentium, pudor, siue pudicitia, religiositas, ac verecundia, tuis genis, tuis oculis comparata, non est verecundia, non est pudor, non est, aut vix meretur dici pudicitia.*

Irenæus & Basil. Irenæus lib. 3. contra Valentinum capit. 31. & Basilius magnus lib. de vera Virginitate. *Sicut Adam solo Dei verbo, de rudi terra, eaque, vt sic dicam, Virgine, procreatus est, quam nec imber attigerat, neque manus hominis coluerat, Sic & Mater Domini, sine viri commertio, & per virtutem Spiritus Sancti, Adam secundum produxit, nulla tamen ex parte corrupta virginitate, quæ semper ei illibata permansit.*

August. Augustinus Ser. 2. Assumptionis. *Tu in cælestibus regnis prælata es cunctis Virginum choris: tu Agnum quocunque perrexerit, sequeris: tu Virgineus chorus, & ab incentiua carnis illecebris aliena.*

## ADDITIO.

### *De Virginitate Virginis.*

VIrgo Maria, dicitur Virgo, per antonomasiā: quod notauit Lucas, dicens. *Missus est Gabriel ad Virginem:* quasi dicat ad Virginem Virginum. Maria enim dicitur Virgo Virginum, propter tria. Primò quia inter cæteras, Virginitatem vouit; & ideo Virginitatis est exemplar. Secundò. Quia plus cæteris Virgo fuit. *Sicut lilium inter spinas Cant. 2.* Tertiò. Quia Virgo manens, facta est mater, quod nulla alia. Est igitur Virgo præ cæteris, plus cæteris, & sine cæteris. Est Virgo Maria illa Porta. Ezech. 44. eo quod *vir non transiuit per eā*, idest, Maritus suus Ioseph: & in hoc notatur carnis eius integritas sequitur. *Eritque clausa princip*i, idest, Diabolo, qui dicitur princeps mundi, quia nulli patuit tentationi Diaboli, & sic fuit Virgo illibata mente, & corpore. Item, Virginitas Mariæ fuit à

Pa-

Patriarchis præfigurata; præfigurata enim fuit in fenestra cryſtallına, quam Noë fecit in Arca, quę excludebat aquam inquantum feneſtra, & illuminabat Arcã ınquan tum cryſtallina, ſuſcepta luce aliundè. Arca Maria, feneſtra cryſtallina eius Virginitas; quæ excluſit ab ea aquam carnalium voluptatum, & quæ digna fuit in ſe ſuſcipere Chriſtum lucem veram.

A Prophetis prænuntiata Iſa. 7. *Ecce virgo concipiet,* &c. Hoc nomen Virgo, in hoc loco ſignificat, quòd vtraque futura erat munda; & caro generans, & caro generata. Ideò filius Virginis potuit dicere; ſine iniquitatibus con ceptus ſum, & ſine peccatis concepit me Mater mea. Itē Iſa. 60. *Gloria Libani,* ideſt candoris virginei, *ad te veniet,* ò Eccleſia militans, & triumphans.

A Deo Patre benedicta. Vndè dicit ei Angelus. Benedicta tu in mulieribus. Nulla alia mulier recepit à Deo benedictionem Virginitatis, & fœcunditatis. A filio deſi derata; A Spiritu Sancto inſpirata; A Trinitate confirmata in Virginitate. Vnde de ea dicere poſſumus.

*O Virgo prudens, ò Virgo deuota: quis te docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ inſtitutio, quæ pagina veteris teſtamenti, vel præcipit, vel conſulit, vel hortatur in carne, non carnaliter viuere, & in terris Angelicam ducere vitam?* Hæc Bernardus Homil. 3. Super miſſus eſt, circa medium capituli.

Propter hoc dicitur Mariæ. Cant. 7. *Venter tuus, ſicut aceruus tritici,* quo ad fœcunditatem; *vallatus liliis*, quo ad Virginitatem: lilijs pluraliter, quia fuit Virgo ante partum, in partu, & poſt partum. Ideò dixit ei Angelus. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei,* Ex te, ideſt ex tuá carne, ex te ſola; & non ex te, & viro. Propter hoc etiam dicit ipſa, ſe quaſi cedrum, quæ eſt rex arborum, exaltatam in Libano, ideſt in Virginitatis candore; propter hoc enim facta eſt Regina Paradiſi, quòd prius facta fuerat Mater Dei, quod impoſſibile erat, niſi fuiſſet Virgo; & neceſſe fuit, vt de ea Chriſtus carnem aſſumēs, eſſet præparata; oportebat enim redemptorem noſtrum iuſtum eſſe cum Deo, mortalem cum hominibus: propter hoc decebat ipſum Matrem habere Virginem, vt in matre mortali, conciperetur mortalis, & in Virgine conci-

peretur iustus. Necesse etiam erat, vt quicunque per Matris corruptionem conciperetur, ex originali peccato conciperetur, nullus autem peccator saluare poterat alium peccatorem, cum in eadem damnatione esset cum reo; Vndè dicebat humanum genus. *Respiciens eram in adiutorium hominum, & non erat.* Eccl. 51. Decebat enim Deum non nasci nisi de virgine, decebat virginem non parere, nisi Deum.

Ad hoc ergo totum, necessario præparabatur Virginitas Mariæ, quia non alteri Virgini, quàm Mariæ, hoc priuilegium debebatur; plasmationem primi hominis, quasi exemplariter imitata, videlicet, vt sicut primus Adam de terra virgine plasmatus fuerat; Sic secundus Adam de matre Virgine secundus homo formaretur.

Vnde Hiere. 31. Gloriosum conceptum Virginis absque læsione Virginitatis suæ describens, dicit. *Creauit Dominus nouum super terram, fæmina circumdabit virum.* Benè dicitur, creauit: quia creare, est noui aliquid facere, quod antea non fuit. Benè etiam dicitur, creauit, quia in sua Incarnatione, Creator omnium, factus est creatura. Vnde Pater de filio. *Isa. 45. Ego Dominus creaui eum,* hominem scilicet: Dominus, non dicit Pater, aut filius, aut Spiritus Sãctus: sed Dominus singulariter, quia vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: *quia vnus est altissimus, creator omnium, Omnipotens Eccl.* 1. Et supponit hoc loco, Dominus pro Trinitate personarum, quia potentia Patris, sapientia filij, benignitas Spiritus Sancti, conceptum Virginis operabantur, & partum, quia opera Trinitatis ad extrà sunt inseparabilia.

Nouum super terrã, quod tota terra non capit. Si quæratur quid sit illud nouũ, videlicet quod integritati virginitatis accederet fęcunditas prolis, vt manens virgo integra, fieret mater fęcunda, & gaudia matris habens, cũ virginitatis honore, sicut nec primã similem habuerat tale votum emittendo, sic nec sequentẽ haberet virginaliter pariendo? Nouũ, inquit, quòd virgo facta est Mater, Deus homo, Pater filius, & filia genitrix est effecta. Nouũ, quia paruula puellula vtero suo circumdedit hominem perfectum, cęlo, terraq; maiorẽ, quòd manens virgo concepit,

quòd

quòd filiũ peperit manens virgo. Verè enim fuit hoc nouum,& inauditum à sæculo,,alioquin nouũ non esset,nisi super naturam,& contra solitum cursum naturæ, virgo Deũ,& hominẽ,sine cõplexu virili genuisset. Itẽ nouum, tres enim mirabiles nouitates, mirabiliter singulares,& singulariter mirabiles:quales nec factę sunt,,nec amplius faciendę sunt super terrã,fecit omnipotens illa maiestas, in afsũptione nostræ carnis,quãdo cõiuncta sunt ad inuicẽ,Deus,& homo,Mater,& Virgo, fides,& cor humanũ. Verè nouũ,& omni supereminẽs nouitati,'quòd in partu virginali,breuis agnoscitur lõgitudo, latitudo angusta,altitudo subdita,profunditas inundans, agnoscitur ibi lux non lucens,verbum non loquens,aqua sitiens, panis esuriens, tristatur gaudium, pauet securitas, patitur salus, moritur vita,infirmatur fortitudo, ibi potentia regitur, sapientia instruitur, virtus sustentatur, qui reficit Angelos,vberibus virgineis lactatur. Noua sunt hæc,mira sunt hęc. *Athanasius in Dialogo suo. Incarnatus est vnigenitus Dei secreto suo mysterio, quod ipse nouit, nostrum est credere, & illius est nosse:& hoc est,quod canitur. Signum audisti nouitatis crede solum,& est satis.* Athan.

Super terrã,quia conceptus,& partus virginis,omnem transcendit intellectũ humanũ; Vnde dicit Ioannes. *Cuius non sum dignus soluere corrigiã calceamenti*, idest, explicare vnionem verbi. Et Isa 53. *Generationem eius quis enarrabit?* idest,Christi. Vel eius,idest virginis,quomodo scilicet ipsa eũ genuit,qui se fecit, vtrumque enim ineffabile est.

Fęmina,idest virgoMaria circũdabit gremio vteris sui Sic ait Glossa, *virum, idest Christum*, qui in ipso momento suæ Conceptionis,fuit vir perfectus, quo ad sapientiã,& virtutẽ,& etiam quo ad lineamenta, & organizationem membrorum:tantam enim sapientiam, tantam virtutem habuit conceptus,quantam adultus, quod fuit valde mirabile,nec aliundè contingit vnquã istud,quoniã ipse est singularis. De sapientia eius Eccl. 1. *Omnis sapiẽtia à Domino Deo est,& cum illo fuit semper,& est ante æuum.* De virtute 1. ad Corinth. 1. *Ipse est Dei virtus,& Dei sapientia*. Et ita fuitdupliciter perfectus,scilicet in corpore,quò ad lineamenta mẽbrorũ,& in anima,quò ad scientiã,& virtutes.

Cir-

Circumdabit,inquã,nõ aliundè, ſed de ſe,quia de ſola eius ſubſtantia,ſine ſemine viri, ſola operatione Spiritus Sancti, ædificatum eſt Corpus Chriſti. Vnde ipſa dicit Eccl.24.*Gyrum cæli,ideſt illũ,qui claudit omnia,circuiui,ideſt veſtiui carne virginea.* Vnde dicit filius Matri. Iob 10.*Pelle,& carnibus veſtiſti me*, ſola ideſt ſine adiutorio viri. Et ideò dixit ei Angelus. Ecce concipies in vtero,ideſt ex cauſa intrinſeca,quia cauſa conceptus eius fuit intra,non extra; & ideò proprijſſimè totus filius Virginis fuit Chriſtus ſecundum humanitatem, ſicut proprijſſimè totus filius Dei ſecundum Diuinitatem.

Circumdabit virum, non ab altero viro ſuſcipiet,non humana lege concipiet hominem, ſed intra viſcera,intacta,& integra virum claudet;virum,inquam,incompræhenſibilem,quia *quem totus non capit orbis,in tua ſe clauſit viſcera factus homo.*

Circũdabit,inquã,ita ſanè,vt intrãte,& exeunte Domino,porta Orientalis clauſa iugiter perſeueret.Ezech.44.

Benè Maria dicitur Porta Orientalis, quia per eam ingreſſus eſt in mundum verus oriens, qui nos viſitauit ex alto, & quia per eam oritur in nobis gratia, & patet acceſſus ad verum orientem,ideſt ad Chriſtum, qui totus eſt ex ea.

## *De Deſponſatione Virginis Mariæ, cum Ioſeph.*

*Rubert.* RVbertus Abbas. *O coniugium verum, & ſanctũ, coniugium cæleſte,non terrenum, Vnus ſpiritus, & vna fides erat in eis, ſola illic carnis copula defuit.*

*Bernar.* Bernardus Homil. 2. ſuper miſſus eſt. *Quem conſtituit Dominus ſuæ matris ſolatium, ſuæ carnis nutricium, ſolum denique in terris magni conſilij coadiutorem fideliſſimum.*

*Gerſon.* Gerſon Ser.de Natiu.Virg. *O miranda prorſus Ioſeph ſublimitas tua,ò dignitas incomparabilis,vt Mater Dei, Regina cæli, Domina mundi,appellare te Dominum non indignũ reputarit.*

*Auguſt.* Auguſtinus Serm.in Natiuitate Chriſti.*Habe ergo ò Ioſeph,cum Maria coniuge tua, communem Virginitatem membrorum,*

*brorum, quia de Virgineis membris, virtus nascitur Angelorum: sit Maria Sponsa Christi, in carne sua Virginitate seruata: sis autem & tu Pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis. Gaude itaque Ioseph, quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt Pater dicaris Saluatoris.*

Diuus Thomas 3. parte q. 29. art. 2. dicit. *Quòd inter Mariam, & Ioseph, fuit verum Matrimonium, ratum, sed non consummatum. Et Matth. ca. 1. dicit. Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph. Et Luc. primo Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph.*

Sequitur Diuus Thomas. *Quòd conueniens fuit Christum de desponsata virgine nasci, tùm propter ipsum, tùm propter Matrem, tùm etiam propter nos. Propter ipsum quidem Christū, quadruplici ratione. Primò quidem, nè ab Infidelibus tanquàm illegitimè natus, abijceretur. Secundò, vt consueto modo eius genealogia per virum describeretur. Tertiò, ad tutelam pueri nati, nè Diabolus contra eum vehementius nocumenta procuraßet. Quartò, vt à Ioseph nutriretur. Vndè & Pater eius dictus est, quasi nutritius.*

Fuit etiam conueniens ex parte Virginis. Primò quidem, quia per hoc redditur immunis à pęna, ne scilicet lapidaretur à Iudæis, tanquàm Adultera. Secundò vt per hoc, ab infamia liberaretur. Tertiò, vt ei à Ioseph ministerium exhiberetur.

Ex parte etiam nostra, hoc fuit cōueniens. Primò quidem, quia testimonio Ioseph, comprobatum est, Christū ex Virgine natum. Secundò, quia ipsa verba Virginis Matris, magis credibilia redduntur, suam Virginitatem, asserentis. Tertiò, vt tolleretur excusatio Virginibus, quæ propter suam incautelam, non uitant infamiam. Quartò, quia per hoc significatur vniuersa Ecclesia: quæ cum virgo sit, desponsata tamen est vni viro, Christo.

Epiphanius lib. 3. tom. 2. Hierem. 78. dicit. *Quòd Virgo Maria non tradita est ipsi Ioseph ad coniunctionem, quoniam* Epiph. *Ioseph viduus erat; Sed propter legem quidem, vir ipsius vocatus est;* hinc sequitur, quòd non coniunctionis gratia ipsi tradebatur Virgo, sed quod conseruaretur in testimoniū futurorum, quòd non spuria dispensatio aduentus in carne

ne

ne accessit, sed quæ testimonia haberet in veritate, extra semen viri, in Spiritu Sancto dispensata in veritate. Quomodo enim tantus senex poterat Virginem habere Vxorem, cum esset viduus à prima vxore per tot annos? Habuit autem hic Ioseph primam suam vxorem ex Tribù Iuda, & peperit hæc ipsi liberos numero sex, quatuor masculos, duas fęmellas. Maria enim tradita ipsi Ioseph, videbatur vxor esse viri, non habens ad ipsum corporum coniunctionem; & primum quidem Ioseph senex octuagesimum annum supergressus, non accepit Virginem in vsum, sed magis dispositus est ipsi ad custodiam.

*Euthim.* Sed Euthimius in Commentarijs, tradit *Iosephum Mariæ virum, filios, & filias habuisse, & hos fratres Christi appellatos.*

*Theofil.* Theofilatus in Comment. in Matthæum 13. exponens illa verba. *Nonne Mater eius dicitur Maria? & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas. Et sorores eius, nonne apud nos sunt? fratres, inquit, habuit Dominus, & sorores, Ioseph filios, quos genuit ex vxore fratris sui Cleophæ. Mortuo enim absque liberis Cleopha, Ioseph iuxtà legem vxorem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas.*

Hoc ipsum repetit cap. 27. in Matth. Vbi etiam scribit. *Matrem Christi filiorum Ioseph fuisse Nouercam.* consentiunt huic opinioni plerique ex Græcis Patribus, in primis Eusebius Cæsariensis Episcopus lib. 2. Eccl. Histo. cap. 1. vbi

*Eus eb.* scribit. *Iacobum iustum, Ierosolymitanum Episcopum, appellatum fratrem Domini, filium fuisse Ioseph ex alia coniuge, antequàm desponsaretur Mariæ.*

*D. Hier.* Sed Diuus Hieronymus lib. 2. in Matth. sic scribit. *Quidam, fratres Domini de alia vxore Ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocrhyphorum, & à quadam escha muliercula confringentes: nos autem sicut in libro, quem contra Heluidium scripsimus, continentur fratres Domini, non filios Ioseph, sed consubrinos Saluatoris Mariæ liberos intelligimus materterræ Domini, quæ esse dicitur Mater Iacobi minoris, & Ioseph, & Iudæ, quos in Euangelio fratres Domini legimus appellatos; fratres autem consubrinos dici, omnis scriptura demonstrat.*

## De Fide Virginis.

AVgust. lib. de Sancta Virg. c. 3. *Beator fuit Virgo percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* August.

Irenæus lib. 3. contra Valentinianos cap. 33. *Quod alligauit Virgo Eua per incredulitatē, hoc Virgo Maria soluit per fidem.* Irenæus.

Augustinus vbi supra. *Sancta Maria plena fide, plena gratia dicitur, quæ fecerit voluntatē Patris, inde fælix, quia verbū Dei custodiuit, per quod facta est, & quod in illa caro factū est.* August.

Ambr. in 1. ca. Lucę. *Beata quæ credidisti, vides, inquit, Mariā nō dubitasse, sed credidisse, & ideò fructū fidei consecutam.* Ambros.

Ambrosius lib. 3. de Virginibus. *Facit Mariā magistram fidei, à qua Lucas, Ioannes, Ignatius, & alij nec pauca, nec leuia mysteria didicerunt.* Ambros.

Bernardus Homil. 4. super Missus est. *Quod à principio de mysterijs omnibus plenè, ac cælitùs fuit instructa.* Bernar.

Anselmus de excellen. B. Virginis cap. 7. *Licet ipsi Apostoli, per reuelationem Spiritus Sancti edocti, in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentiùs, ac manifestiùs ipsa per eum spiritum veritatis illius veritatis profunditatem intelligebat, & per hoc, multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat, de mysterijs Domini nostri Iesu Christi.* Anselm.

August. Ser. 9. de Natali Domini. *Circumdat Maria virum Angelo fidem dando, quia Eua perdidit virum serpenti consentiendo.* August.

Albertus Magnus in 1. Lucæ. *Fidem habuit in excellentissimo, quæ tàm immmensæ rei sibi promissæ fidem adhibuit, quæ etiam discipulis dubitantibus, non dubitauit, quæ omnia possibilia esse credenti certissima fuit.* Albert. Magnus

Augustinus Serm. 1. de Assumptione Virginis. *Non potuit diuinitatis Christi non esse credula, quæ se nouerat hunc nō ex virili semine, secundum ordinem naturæ, sed Diuino spiramine nunciantè Archangelo concepisse, uidens semper famulantiū Angelorum ei adesse frequentiam, ut nascituro, & nato. & in Aegyptum fugienti, atque inde iterùm redituro, quibus liquido* August.

cogno-

*cognoſcere potuit, quia talia obſequia, non niſi Deum decuerant.*

Bernar. Bernardus de Lamentatione Virginis Marię. *Non deſperabat, ſed piè, & iuſtè dolebat: ſperans tamen firmiter, fortiterq; tenens ipſum ſecundum promiſſum ſuum, tertia die reſurgere. In ipſa enim ſola, in triduo illo, fides Eccleſiæ ſtabat, & dũ unuſquiſque hæſitabat hæc, quæ fide conceperat, fidẽ, quã à Deo ſemel ſuſcepit, nunquàm perdidit, ſpeque certiſſima Domini reſurgentis gloriam expectauit.*

Bernar. Bernardus Serm. 3. in Salue Regina. *Omnibus firmamentis firmius, firmamentum tu Domina, quæ Dominum cæli concepiſti & portaſti, & non defeciſti genuiſti, aluiſti, pa cuiſti, & educaſti.*

## ADDITIO.

ELiſabeth exclamauit. *Beata quæ crediſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Vbi Eliſabeth attribuit fidei eius, quòd Deum concipere meruit. Prętereà cum fides ſit annulus, quo anima Deo deſponſatur; ſecundum illud Oſeæ 11. *Deſponſabo te mihi in fide in ſempiternum.* Non eſt dubitandum, quòd annulum iſtum voluit habere, & habuit ipſa prædilecta Dei ſponſa, glorioſa Dei Genitrix Maria, immò ſuper omnes viatores excellentiſſimam habuit fidem. Cum enim fides ſit quoddam lumen animæ in tenebroſo mundo degenti; clarum eſt, quòd Beata virgo ſuper omnes illuminata, ſuper omnes lumine fidei fuit illuſtrata.

Item, cum fides ſit prima virtus, pugnat cum vitijs. Iuxtà illud. *Cui reſiſtite fortes in fide.* Non eſt dubitandum, quòd Beatiſſima Virgo omnium vitiorum ſuper omnes impugnatrix, excellentiorem omnibus habuit fidem. Habuit etiam fidem viuam, ideſt operibus adornatam, &c.

Habuit fidem perfectam charitati coniunctam. *Amore langueo,* & alibi. *Anima mea liquefacta eſt,* &c.

Habuit fidem veram, per quam deſpexit omnia terrena. Quartò habuit fidem firmam, quia cæteris Apoſtolis à fide cadentibus, ipſa firma permanſit. Non enim cadere potuit, quam Pater ſanctificauit. Iuxtà illud Pſalm. *Sanctificauit tabernaculum ſuũ Altiſsimus:* quam filius inhabitauit

bitauit Eccl.24. *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Quam Spiritus Sanctus confirmauit. Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet, &c.*

Quam Angelus custodiuit. Vnde ipsa dicere poterat Iudit. 13. *Viuit Dominus, quia custodiuit me Angelus eius.*

Sciendum ergo, quòd in passione Christi: Quidam non habuerunt fidem, nec compassionem, sicut Iudæi infideles Christo insultantes. Quidam habuerunt compassionẽ, sed non fidem, sicut Apostoli à fide cadentes. Quidam fidem, vel eius cognitionem, sed non compassionem; vt Angeli, qui sunt impassibiles. Sola autem Virgo tunc habuit compassionem intimam, & fidem firmissimam.

Item, fides est donum Dei. *Iustus ex fide viuit.* Sine fide impossibile est placere Deo: Ergo Beatissimam Virgo habuit fidem tanquàm iusta; habuit fidem tanquàm donum Dei; & habuit fidem super omnes, quia placuit Deo plùs quàm omnes.

## De Humilitate Mariæ Virginis.

EVthimius Super illa verba. Quia respexit humilitatem, &c. *Humiliat, ac deprimit seipsam Beata Virgo, indignam se existimans, tanto dono suo.* Euthim.

Origenes Homil. 8. in Lucam. *In quam humilitatem Mariæ respexit Deus? Quid habet Mater Saluatoris, humile, atque deiectum? quæ Dei filium gestabat in vtero? Quod ergo dixit? Respexit humilitatem, tale est quasi dixerit, Respexit in iustitiam Ancillæ suæ, respexit in temperantiam, respexit in fortitudinem, atque sapientiam: dignum quippè est, vt virtutes respiciat, quia humilitas de omnibus virtutib. prædicatur.* Origen.

Auctor veteris Homil. Serm. 2. de Assumptione. *O verè Beata Humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, Paradisum aperuit, ò, inquam, verè gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta Paradisi efficitur, scala cæli constituitur.* Auctor veteris.

Bernardus Homil. 1. super Missus est. *Maria, inquit, Virginem se oblitam, glorietur de humilitate.* Bernar.

Beda in 1. Luce. *Decebat enim, vt sicut per superbiam primæ nostræ parentis, mors in mundum intrauit, ita denuo, per humilitatem Mariæ, vita introitus panderetur.* Beda.

Ber-

Bernar. Bernardus Serm. 2. de Aduentu Domini, post medium. *O virgo virga sublimis, quam ad sublimia verticem sanctarum erigis, vsque ad sedentem in throno: vsque ad dominum maiestatis, nec id mirum, quoniam in altum radices humilitatis mittis.*

August. Augustinus Serm. 35. de Sanctis, post medium tom. 10. *O verè Beata humilitas Mariæ, quæ Dominum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mundum purificauit, Paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit.*

August. Augustinus super Magnificat. *Eua per superbiam abiecta, Maria propter humilitatem electa, superbam Deus despexit, & humilem respexit, id quod superba perdidit, humilis recepit.*

Bernar. Bernardus Homil. 1. in Laudibus Virginis. *Respexit humilitatem Ancillæ suæ Deus potiùs, quàm Virginitatem, & si placuit ex Virginitate, tamen ex humilitate concepit.*

Rubert. Rubertus in 1. Cant. *Appellat eam humilium Reginam.*

Bernar. Bernardus Serm. de verbis Apoc. Signum magnum. *Maria quantò maior erat, humiliauit se, non modò de omnibus, sed & præ omnibus, meritò facta est nouissima, prima, quæ cum prima esset omnium, se se nouissimam faciebat meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat Ancillam.*

Ambrosius in 2. Lucæ lib. 2. *Vide humilitatem, vide deuotionem: Ancillam se dicit Domini quæ Mater eligitur. Idem, mitem enim humilemque parituram, humilitatem debuit etiam ipsa præferre.*

Bernar. Bernardus Homil. 4. super missus est. *Quæ est hæc tàm sublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, insolescere gloria nescit? Mater Dei eligitur, & Ancillam se nominat, non mediocris re uera humilitatis insigne, (oblata tanta gloria) non obliuisci humilitatem. Nõ magnum est esse humilem in abiectione: magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.*

Ambros. Ambrosius lib. 2. de Virginitate. *Virgo semper humilis, tunc etiam humilior facta sit, vbi se à Deo ad tantum mysteriũ cognouit electam.*

Ambr. Ansber. Ambrosius Ansbertus libr. 2. Apoc. de profundissima Ma-

Mariæ humilitate agens. *O quantùm, inquit, meruisti, ò quã tùm beata humilitas in Sacra Virgine voluisti, quid enim in Sacra Virgine meruisti, nisi vt Deum homini coniungeres, & Verbum carni vnires?*

Gabriel Biel Serm. de Assumptione. *Per humilitatem, inquit, Mater electa, mater verbi Patris summi efficitur, eius Sacrosancta Conceptione. Nam licet Angelus à Deo missus, Virgini colloquitur, salutat, diuinum partum nuntiat, & Domini præsentia per gratiæ, ac benedictionis plenitudinem commendat: nondùm tamen Verbum concepit, sed statim ad eius obediẽtissimam humiliationem corde exhibitam, verbo expressam: Ecce Ancilla Domini, &c. Sine vlteriori mora, in primo instanti verborum humillimæ subiectionis: Verbum ex sinu Patris, in vterũ Matris descendit incarnandum, & sua, Patris, & Spiritus Sancti operatione, humanam ex ea assumpsit naturam. Ecce quod aliarum virtutum nulla suffecit, humilitas executa est*; Et paulò inferius, adducens aliam sententiam, dicit. *Respexit Deus humilitatem Mariæ, cui per humilitatis meritum dedit, vt filium suum in carne conciperet, & de sua carne, verum Deum, & hominem, omnium hominum Saluatorem generaret.* Gabriel Biel.

Hæc verba Gabrielis desumpta sunt ab Hugone Victorino, super Magnificat.

Verùm quomodo id meruerit, an de congruo, an verò de condigno: dico, quòd de congruo Beata Virgo meruerit esse mater Domini; & sic intelligendæ sunt auctoritates Sanctorum Patrum, quæ sonant Virginem fuisse dignam matrem Christi.

Augustinus Serm. 12. ad fratres in Eremo. *O Sancta, venerabilisque humilitas, tu filium Dei de sinu Patris descendere fecisti, in vterum Sanctæ Mariæ Virginis.* August.

Bonauentura Lect. 4. Speculi Virginis Mariæ. *Ecce Ancilla Domini. O mira, & profunda humilitas Mariæ: Ecce Mariã Archangelus alloquitur, Maria gratia plena dicitur, superuentio Spiritus Sancti promittitur, Maria in matrem Domini assumitur, Maria iam omnibus creaturis anteponitur, Maria iam Domina Cæli, & terræ efficitur, & pro his omnibus non extollitur, sed in his omnibus mira humilitate deprimitur, dicens. Ecce Ancilla Domini, &c.* D. Bon.

# ADDITIO.

## De Humilitate Virginis.

HVmilitas Virginis, inter vniuersas, & singulas virtutes ipsius, obtinere meruit principatũ; quia custos erat, & quasi Magistra cæterarũ virtutum. Hieronymus in illa Homil. Cogis me ô Paula, circa finem Homi: *Quid nobilius*
Hieron. *Matre Domini? Quid splendidius ea, quam splendor elegit gloriæ sempiternæ? Quid castius ea? quæ corpus Christi sine contagione generauit? Et tamen ipsa sola in se humilitatem respexisse Dominum profitetur, quæ videlicet humilitas, custos est cæterarum virtutum;* collocauerat enim in tuto stationis portu sublimia meritorum suorum exercitia, & ideò diuinitùs illustratur. Vndè Isa. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Fecit enim quod promiserat, respexit humilitatem Ancillæ suæ, Vnde beatam me dicent omnes generationes. Christus in Matth. 11. dixit. *Discite à me, quia mitis, & humilis sum corde, &c.*
Et hanc eius lectionem retinuit præ cæteris Beatissima Virgo, licet & cætera omnia verba filij, Angelorum, & ipsius Simeonis conseruaret in corde suo. Lucæ 11.
Non ergo beata Maria, sicut dicit ibidem Hieronymus,
Hieron. *à filio suo didicit cælos fabricare, non Angelos creare, nõ miracula deitatis insignia operari: sed tantùm humiliari, cæteraque documenta virtutum, intra custodiam humilitatis aggregare.*
Et vnum noto, quòd Virgo non dixit. Respexit Deus Virginitatem meam, sed humilitatem; quia Deus plus diligebat Virginem ex humilitate, quàm ex Virginitate; & vbi amor, ibi oculus.

Fuit enim Maria humilis in corde, & sensu, nihil de se sentiens, vel extimans, aut cogitans magnum, filia, & imitatrix Patris sui Dauid: qui dicit Psal. 30. Si *non humiliter sentiebam, &c.*

De Domino verò, magna sentiebat dicens. *Magnificat ani-*

*anima mea Dominum*, non me ipsam, à solis enim humilibus honoratur Dominus.

In cogitatu. Vnde dicit ei sponsus, ab humilitate cogitationum ipsam commendans. Cant. 6.
*Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad*. Capilli isti sunt cogitationes humiles, quæ de corde, velut de capite oriuntur, & ascendunt de monte Galaad, idest, de sublimitate perfectionis suæ, quam cõmendant, & de qua loquuntur omnia testimonia scripturarum. De hoc enim monte Greges humilium cogitationum eius ascendebant, cum considerata sua celsitudine, quam Diuina munificentia in tantum honorabat, se, & sua per humilitatem extenuabat; sicut capilli tenues sunt macilenti, & exiles, nominans se Ancillam. Benè autem dicitur *ascenderunt* licet descenderent, quia huius descensus in oculis suis, ante oculos Domini erat quidam magnus ascensus.

In oculis, & visu. Vnde videtur dixisse cum Dauid. Psal. 130. *Neque elati sunt oculi mei*. Item 2. Reg. 6. *Humilis ero in oculis meis. &c.* Oculi enim deficientes, & anima esuriens, dant gloriam Deo. Baruc 2. Non enim fuit similis generationi, *cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ in alta surrectæ*. Prou. 30. Nec similis illi mulieri, *cuius fornicatio in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscitur*. Eccl. 26. Nec de illis filiabus Sion, *quæ nutibus oculorum ibant*. Isa. 3. Quin potius orasse creditur illud. Eccl. 23. *Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi Domine*.

In Auditu iuxtà consilium Spiritus Sancti, qui eam docuerat dicens. Inclina aurem tuam, & cap. 1. Humiliter audi nuntium Gabrielis, sic & ipsa fecit: & hæc auris inclinatio, quò ad se, fuit quasi quædam erectio auris, quò ad Deum. Vnde & ipsa dicit cum filio. Isa. 50. *Exigit mane, mane erigit mihi aurem vt audiam quasi magistrum: Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*.

In olfactu. Non enim fuit de illis, quorum Spiritus in naribus eorum est. Isa. 11.
*Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus est*. Nec fuit quasi rinoceros, qui vnicum cornu, quo signatur super-

bra,quæ diligit singularitatem,gestat in naribus.

In sermone,& voce. Vnde audita magnitudine,& multitudine promissionum,quas ei Angelus faciebat;respondit tanquam humillima mulierum . *Ecce Ancilla Domini fiat,&c.* Ratione etiam vocis, vel sermonis, potuit verè dicere illud,quod dixit Moyses Domino. Exodi 4 secundum aliam translationem.*Gracilis vocis ego sum*, &c. Gracilitas vocis humilitas sermonis : non enim fuit de illis, qui dicunt.Psal.11. *Labia nostra à nobis sunt,&c.* nec de illis,quibus dicitur 1.Reg.2. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes:Sed recedant vetera de ore vestro.*
Propter hanc enim humilitatem vocis,vel sermonis, dicit ei filius ipsam commendans à voce. Cant.2. *Sonet vox tua in auribus meis,vox enim tua dulcis.* Fuit etiam alio modo humilis in voce, quia nunquàm gloriata est in melodia,&c.Quin potiùs habuisse creditur gemitum pro cantu? Vnde turturi,& columbæ sæpius comparatur, quàm Philomenæ.Cant.2.*Vox turturis audita est*,&c.Quando scilicet respondit Gabrieli. Ecce, &c.

In opere : quando videlicet Elisabeth cognatæ suæ minori se ministrauit, & etiam gradum istum excessit, cum laudata ab Angelo tàm multipliciter, & ab ipsa Elisabeth dicente . *Vnde hoc mihi,vt veniat Mater Domini mei ad me?* non superbiuit.In hoc etiam quòd purgari secundum legem non erubuit,licet purgatione non egeret,cũ de viro non concepisset. Nouerat enim,quòd qui facit superbiam,non habitabit in medio domus Dei.

In colli,& capitis demissione ; quorum eleuatio signũ est elationis,demissio signum humilitatis. Non fuit de illis filiabus Syon,*quæ eleuatæ ambulabant extento collo.* Isa.4.Sed magis exemplo Dauid,operto capite 2.Reg.15. & exemplo Acab , humiliati coram domino. 3. Reg.21. demisso capite creditur ambulasse.

In Gustu:cum nunquam aliquid gustauerit, quod gustatum affert mortem animæ . Iob 6 1. Sicut prima mater Eua pomum appetiuit venenatum,quòd per inobedientiam deuorauit,& lætali gustu virum suum, & totam posteritatem suam addixit miseræ seruituti.

In Tactu; nam contrectasse creditur membra filij sui,

cum

cum omni humilitate, reuerentia, & tremore; quem certissimè nouerat vnigenitum Dei.

In Incessu. *Quia non ambulauit in magnis, nec in mirabilibus super se*, nec fuit de illis filiabus Syon, *quæ composito gradu incedebant pedibus suis. Isa.* 3. Nec similis illi, cui dicitur Ezech. 25. *Pro eo, quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es toto affectu.*

In Habitu, & omni motu, & gestu: Nouerat enim, quòd ex visu cognoscitur vir, idest ex ornatu, qui exterius apparet, *& quod amictus corporis, & risus dentium, & ingressus, annuntiant de illo. Eccl.* 19. Et quia non tàm conuenit ornari veste, quàm moribus: Nouerat etiam prohibitionem illam; *In vestitu nè glorieris. Eccl.* 11.

Item, Notandum: quòd Beata Virgo intantùm humilitate plena fuit, quòd quantò magis à Deo, ab Angelis, & ab hominibus extollebatur, tantò magis à seipsa deijciebatur. Nam cum in humani generis tota vniuersitate singulariter ad hoc eligeretur, vt fieret Angelorum Domina, Cœlorum Regina, hominum aduocata, mundi Imperatrix, sæculi Dominatrix, Creatoris Mater, & nutrix; tamen intantùm se deposuit, & deiecit, vt se nihil aliud diceret, quàm Dei Ancillam, licet genitricem eiusdem Domini se fieri prouideret. Sciebat, quòd quicunque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic est maior in regno Cœlorum. Vnde si quis vult magnus esse in Cęlo, & magnus valdè, & valdè nimis; sit paruus in terra, & paruus valdè, & valdè nimis. Sic enim habebis in Cœlum ingressum felicem, & locum sublimem. Bernar.

Bernardus Homil. 1. Super missus est. *Quæ est hæc Virgo: tàm venerabilis, vt salutetur ab Angelo? tàm humilis, vt desponsata sit fabro? Pulchra permixtio Virginitatis, & humilitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat Virginitatem, & Virginitas exornat humilitatem. Et parum audis Virginem, audis humilem: si non potes Virginitatem humilis, imitare humilitatem Virginis. Laudabilis virtus virginitas sed magis necessaria humilitas. Illa consulitur, ista præcipitur, ad illam inuitaris: ad istam cogeris. De illa dicitur, Qui potest capere capiat: de ista dicitur. Nisi quis efficiatur sicut paruulus iste, nō intrabit in Regnum Cælorum.*

*Illa ergo remuneratur, ista exigitur. Potes denique sine virginitate saluari, sine humilitate non potes. Sine humilitate autem audeo dicere, nec virginitas Mariæ placuisset. Super quem inquit, requiescet spiritus meus? nisi super humilem, & quietũ? Super humilem dixit, non super Virginem. Si igitur Maria humilis non esset, super eam Spiritus Sanctus non requieuisset. Si super eam non requieuisset, nec impregnasset. Respexit humilitatem Ancillæ suæ Deus, potiùs quàm Virginitatem: & si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit. Vnde constat quia etiam vt placeret Virginitas, humilitas proculdubio effecit, &c.*

## De Salutatione Angelica.

Bernar. BErnardus Ser. de Natiuitate Virginis. *Ne timeas Maria, ne mireris Angelum venientem, & mater Angelo venit, ne mireris Angelum Domini, & Dominus Angeli tecum. Postremò quid ni videas Angelũ, cum iam Angelicè viuas? quid ni visitet Angelus vitæ sociam? quid nisi salutet ciuem sanctorum, & domesticam Dei?*

Ambr. Ambrosius in 1. Lucæ, dicit. *Quòd Virgo benedictionis nouam formulam mirabatur, quæ nusquàm lecta est, nunquàm compertam, soli Mariæ hæc salutatio seruabatur.*

Origen. Origenes Homil. 6. in Lucam. *Similem quidem salutantandi formulam, siuè ad virum, siuè ad fœminam factam, in omni scriptura nusquàm reperiri.*

Sophr. Sophronius Serm. de Assumptione Virginis. *Omni admiratione digna, & ab Archangelo venerabiliter, & officiosissimè facta.*

Petrus Damia. Petrus Damianus Serm. 1. de Natiuitate Virginis. Duo enim verba esse orbi nunciata, qualia in terris, nec aliquando dicta, neque dicenda sint, in quorum comparatione omnia muta debeant apparere; Primum verbum, quod ipse rugitum altisonæ vocis appellat, in hoc Angelici dicto statuit; Aue gratia plena, &c. audis, nè, in hoc verbo Incarnationem Dei, redemptionem hominum, & mundi renouationem contineri? Alterum verbum Ioanni

ni attribuit. In principio erat verbum, anima aduertis, hic, verbi diuinitatem, &c.

Laurentius Iustinianus Serm. de Natiuitate Virginis. *Meritò inquit, Angelus ad Virginem mittitur, vt nouam gratiam noui partus, noua salutatione differeret. Visitationis enim aderat tempus, in quo liberaretur reus, sapientia corporaretur, deleretur culpa, atque cœlestis Hierusalem reædificarentur mœnia. Quamobrem latus paraninphus, effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obsequio expeditus, insolito fulgore vestitus, in humana effigie descendit ad Virginem. Didicit sanè ex præsagio, quanta qualisque erat, ad quam dirigebatur salutandam. Aue, inquit, gratia plena.* Lauren. Iustin.

Andreas Hierosolymitanus Ser. in Angelica Salutatione. *Decuit latis præconiis Reginam salutare, quam & lætitiæ organum, & immensi gaudij genitricem appellat: ipsum verò, Aue, ceu pignus quoddam esse instituendi cum Maria colloquij, salutis consilium, & immensi gaudij præconium.*

Petrus Grisologus Serm. 140. In hac voce, *Aue non simplex officium salutationis, sed muneris potiùs oblationem esse.* Petrus Grisolo.

Sophronius Serm. de Annunciatione Virginis. *Non simplex fateor, vel consueta fuit ista salutatio, sed omni admiratione digna. siquidem venerationis fuit delatio, oblatio muneris, famulatus obsequij.*

Laurentius Iustinianus Serm. de Annunciatione Virg. *Ipsius gratiæ plenitudinem, quæ nimirum in Maria erat, cœlestis nuntius præsensit, cognouit, manifestauit, & dixit. Aue gratia plena:* Lauren. Iustin.

Salutat illam, tanquam sibi Dominam, honoreque dignissimam, ac à Deo singulariter electam, atque dilectã, nec aliundè, quàm à salutatione debuit inchoare, quando per hanc nouæ Salutationis gratiam, Saluatoris mundi prænunciabatur aduentus.

Sophronius Serm. de Assumptione Virginis. *Nec dubium, quin, vt idem existimat, secum Gabriel præmeditaretur, qualis, & quanta esset Virgo à se salutanda, quàm summus ille Deus, ex tot millibus, ad maximam, & gratiam, & gloriam vnicè delegisset.* Sophron.

Epiphan. Presbyter in Serm. excomiastico Virginis. *Aue gratia plena multis virtutibus exornata, virgo in lampade* Epiph. Presbyt.

*gestans lucem inextinguibilē, sole splendidiorem; Aue gratia plena, hami esca spiritualis, in te siquidem hamus Diuinitas. Aue gratia plena; gloriæ arca spiritualis; Aue gratia plena, quæ es corona aurea, continens manna cœleste. Aue gratia plena, quæ sitientes perennis fontis dulcedine satias; Aue gratia plena, mare spirituale, habens gemmam spiritualem Christum. Aue gratia plena splendidum cœlum, quæ in cœlis incomprehensum contines Deum. Aue gratia plena, quæ Cherubicum thronum Diuinitatis fulgore superas. Aue gratia plena, quæ cœli circulum habes, & Deum incomprehensum angusto potissimum loco, in te ipsa contines. Aue gratia plena, nubes columnæ similis, quæ Deum habes, qui populum deduxit per desertum. Quid dicam? & quid proloquar? quo pacto prædicabo gloriæ radicē? solo enim Deo excepto cunctis superior existis. Natura, formomosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ cœlestis, ac terrena lingua, minimè sufficit, imò verò nec Angelorum.*

*August.* Augustinus Serm. de Natiuitate Virginis. Explicando illa verba Angeli Dominus tecum. Loquendo in persona Angeli, & glosando verba Angeli; *Dominus tecum, sed magis quàm mecum: ipse enim in tuo est corde, in tuo fit vtero, adimplet mentem, adimplet ventrem.*

*Gregor. Nissen.* Gregorius Nissenus. In Natali Domini. *O Beatum vterum, qui virtutis præstantia, ad se traxit animi bona.*

*August.* Augustinus de tempore Serm. 18. ante medium tomo 10. loquens in persona Angeli: *Dominus tecum, sed plusquàm mecum. Dominus tecum, sed non sicut mecum: In me licet sit Dominus, memetipsum creauit Dominus, per te autem nasciturus est Dominus.*

*Athan.* Athanasius Serm. de Sancta Deipara. *Quando Virgo assumpta est in cœlum, omnes hyerarchiæ salutabant eam, eo modo, quo Gabriel: Aue gratia plena.*

*Effrem.* Effrem. in oratione ad Deiparam habita. *Aue Dei splendidissimum, & luculentissimum vas. Aue Domina Maria gratia plena: Aue in mulieribus virgo Beatissima.*

*Chrysip. Hieroso.* Chrysippus Hierosolymitanus Serm. de Sancta Maria Deipara. *Aue semper gratia plena: Aue, quæ vuluam adepta es præter naturam, vel ipsis cœlis latiorem. Quandoquidem per hanc comprahendisti eum, quem nec cœli quidem capiunt: Aue*

fons

*fons lucis, omnem hominem illuminantis. Aue Solis ortus, qui nullum ferre potest occasum. Aue Armarium vitæ. Aue, quæ es hortus Patris. Aue quæ es pratum totius fragrantiæ Sancti Spiritus. Aue radix omnium bonorum. Aue specimen gemmæ, omne pretium excedentis. Aue vitis vuas pulchras producens. Aue nubes pluuiæ, potum animis sanctorum exhibentis. Aue quæ es puteus, semper viuentis aquæ. Aue quæ es rubus ardens igne spirituali, nunquam tamen adureris. Aue Porta clausa, soli Regi aperta. Aue mons, vnde lapis angularis abscissus est sine manibus.*

Petrus Grisologus Serm. 142. *Ipse Angelus miratur, aut fœmina tantum, aut omnes homines vitam meruisse per fæminam. stupet Angelus totum Deum venire intra virginalis vteri angustias, cui tota simul angusta est creatura.* Petrus Grisolo.

Idem Serm. 143. *Aue gratia plena. Hæc est gratia, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinam: hanc gratiam detulit Angelus, accepit virgo, salutem sæculis reddituræ.*

Sanctus Augustinus Serm. 17. Natiuitatis Domini. *Vsquequo moraris, ô Virgo nuntium festinantem? intuere Deum in Cœli vestibulo festinantem.* Notate nuntium festinantem vehementer desiderabat Verbum incarnari. Et ideò sequitur Augustinus.

*Nec mora reuertitur nuntius, & nuptialem thorũ ingreditur Christus.* Statim vt habuit consensum Virginis, fine mora ingressus est in eam. Notate illa verba; *Intuere Deum in vestibulo cœli sustinentem*: in porta cœli expectabat responsum Virginis, non in throno suo; sed iam à throno discesserat, in itinere erat.

Idem vbi supra. *Quasi sponsus de thalamo suo, cum præsagio nuptiarum exijt ad Campum sæculi: nuptialem thorum ingreditur Christus, Diuinitati sponsatur homo.*

Idem vbi supra. *Deus in porta est, Angelum, quem moraris expectat.*

# ADDITIO.

POterat Deus hoc myſterium Incarnationis ipſi Virgini reuelare, ad quid ergo mittit Angelũ? Multis de cauſis.

Primo vt manifeſta ſit nobis charitas, & amor, quibus nos perſequitur, ita vt miniſterio Angelorum noſtram redemptionem curet. Sic Paulus. *Heb.* 1. *Nonne omnes adminiſtratores ſpiritus ſunt, propter eos, qui hereditatem capiunt ſalutis?* Ex quo loco iam argumentum poteſt elicere homo, vt ſeipſum magni faciat, & plurimi ęſtimet, quandoquidem ipſi cæleſtes ſpiritus ad ipſius miniſterium mittuntur; ſi puer aliquis pedagogum haberet Epiſcopum, vel optimatem aliquem; vtique ſtatim puerum illum, vel Regis, vel Imperatoris filium eſſe exiſtimares, quem etiam plurimi faceres.

Quòd exemplum ideò adducimus, vt conſideres, quomodo cœleſtes ſpiritus tuo miniſterio adſunt, vt te cuſtodiant, defendant, &c.

Secundò mittitur Angelus, vt maximo honore ipſa Angelica natura efferatur; etenim Angeli erant quaſi iniuria laceſſiti, cum viderent à ſe prodijſſe illum, qui tãtam perniciem nobis moliebatur, vt fuit Lucifer malus Angelus, qui in Paradiſo terreno primos noſtros parentes tentauit. Atque ita Dominus decernit nunc Angelos honorare, vt quemadmodum Angelus fuit cauſa noſtri damni, & miſeriæ; ita etiam Angelus ſit auctor noſtræ felicitatis; vt de illis neutiquam conqueri poſſimus, nam ſi vnus parauit nobis damnum, & interritum, alius gloriam, & vtilitatem afferat. Quòd ſi tuo intellectui ſcandalum ingerit Angelus, qui Euam fefellit; te conſtantem poſſit reddere Angelus, qui hodie Mariam alloquitur.

Tertiò, non abſque conſilio ad hanc Salutationem Angelus mittitur, cum lapſus Angelorum per Chriſtum incarnatum reſtaurandi eſſent. Iuxtà illud Diui Pauli Epheſ. 1.

*Quoniam propoſuit in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtau-*

*instaurare omnia in Christo: quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso.* Nam cum ex singulis choris, & ex singulis speciebus aliqui ceciderint, consentaneum fuit, Angelum nuntium mitti, qui negotium ageret, attinens ad restaurationem suæ naturæ.

Sed quare non reuelauit Deus hoc mysterium per se, cum posset, sed voluit nuntio vti? Quia hac via fides beatissimæ Virginis magis exercebatur, & perficiebatur; quò enim difficiliùs fuit tantum mysterium credere Angelo nuntianti, quàm Deo ipsi per se reuelanti; tantò maior, & robustior fides credentis apparet, & efficitur, huius fidei magnitudo commendatur posteà à beata Elisabeth, dicente. *Beata quæ credidisti*, &c.

Cum enim Beatissima Virgo prius debuisset filium suum mente, quàm ventre concipere, congruentissimæ fidei eius exercendæ, & roborandæ, per nuntium præbetur occasio. Hanc causam insinuat Tertullianus, in libro de carne Christi dicens. *Crediderat Eua serpenti, credidit Maria Gabrieli, quod illa credendo deliquit, ista credendo deleuit.* Tertull.

Quartò, vt eadem via restitueretur homo, quà perditus erat.

Dæmon enim per serpentem aggressus est Euam, vt eam perderet; Deus igitur per Angelum Beatissimę Virgini loquitur, vt mundum in ea reuocet. Hanc causam adfert Bernardus Serm. 2. de Pentecoste, dicens. *Missus est coluber tortuosus à Diabolo, vt venenum per aures mulieris in ipsius mentem transfunderet, & sic refunderet in totius posteritatis originem. Missus est interim Angelus à Deo, vt verbum Patris per aurem Virginis in mentem, & ventrem ipsius eructaret, vt eadem via intraret antidotum, qua venenum intrauerat.* Hæc Bernardus. Bernard.

Possumus etiam inquirere, qua de causa volens Deus vti nuntio, cur Angelo, non homine vsus est? aut cur aliquem prophetam ad id munus non elegit? Multæ rationes huius rei esse possunt.

Quarum Prima est ex parte Dei mittentis, cum enim ipse Deus esset carnem sumpturus, conueniens fuit aliquem ex suis curialibus destinare nuntium, non ex ijs, qui

qui in terra degunt: Angelus autem ex ijs erat, qui semper vident faciem Dei.

Secunda causa est ex parte personæ, ad quam mittitur *erat enim virgo purissima, sine vlla labe peccati, debuit ergo mitti Angelus, qui nulla labe culpæ infectus fuit.* Hanc rationē adfert Chrysostomus, in Oratione de Annunciatione.

Chrysos.

Tertia causa, est ex parte personæ mittendæ: Vt enim vnus ex Angelis fuit causa ruinæ hominum, nempe Angelus malus, ita congruum erat, vt vnus etiam ex Angelis in eorumdem reparationem operam poneret. Hanc causam adfert Irenæus lib. 5. cap. 19.

Irenæus

*Quemadmodum inquit, Eua per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, præuaricata verbum eius: ita, & hæc, nempè beata Virgo, per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum, obediens eius verbo.*

Quarta, est ex parte eiusdem personæ mittendæ; cum enim Deus Angelicam naturam nollet assumere, sed humanam, fuit congruum eos non omninò excludere à participatione tanti mysterij; idcircò nuntios effecit, maximè cum & hoc mysterium etiam ad eos spectaret, nam illorum ruinæ implendæ erant.

Quinta causa est ex parte mysterij, quod agebatur; erat enim Deus ex vna parte, ex altera homo; natura namque humana, diuinæ erat copulanda, nuntius igitur medius eligitur inter vtrumque, cuius natura inferior, est Diuina, & superior humana.

## *De Gratia Mariæ Virginis.*

Hieronymus in Epistola ad Principiam Virginem.

Hieron.

*Sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo Diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur,* & Coloss. 1. *confert eam pleno aluo fluenti, & Spiritus Sancti gratia redundanti.*

Sophronius Serm. de Assumptione Virginis. *Dei genitrix electa, & prælecta, ab Angelo iure salutatur gratia plena, verè plenam, per quam largo Sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura: & si in sanctis Patri-*

Sophron.

*bus, & Prophetis, gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena, in Mariam verò totius gratia, quæ in Christo est plenitudo venit.*

Idem. Maria cunctis tantò venerabilior, quantò gratiosior; & quantò virtute Altissimi extollitur ad sublimia, tantò clarior resultat in gloria: plena siquidem gratia, plena Deo, plena virtutibus, non potest non possidere plenè gloriam claritatis æternæ; quam plenissimè accepit, vt Mater fieret Saluatoris.

Ambrosius in 1. Lucæ. *Bene plena gratia dicitur, quæ solam gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur, vt ipsum videlicet gratiæ concipiat, & generet auctorem.* Ambr.

Eusebius Emissenus in Euangelio Lucæ. *Quis vnquàm tantam gratiam habuit, quantam Virgo Maria? Alijs enim ad mensuram datur, hæc autem gratia plena dicitur: considera modò quantæ ante eam, quantæ post eam, mulieres virgines fuerunt, hæc tamen sola Mater Domini fieri meruit. Magna enim, & ineffabilis gratia est, vt vna ex tot millibus eligatur, quæ cũ gratia plena sit, priusquam concipiat, post conceptionem quanta Dei abundauit gratia, quis cogitare possit?* Euseb.

Ambrosius lib. 1. de gloria, & honore filij hominis. *Accipit Maria diuisionem gratiarum, ita vt operationem virtutũ omnimodam, maximèque fidem, & prophetiam, siue omnem habet propheticam gratiam.*

Et lib. 6. in Cant. *Hæc inter Angelos, nec inter homines similem, vel primam habet Maria, vel sequentem hab'cura est, verè columba, quia gratia plena, verè electa, quæ non solum salua existeret: verum etiam salutem pararet: Qualem nunquàm oculus vidit, & qualis ab initio, quando Eua facta est, non fuit, nec est, nec erit in cogitationibus suis, in verbis suis, in factis suis, in omni odore suauitatis, in omni flore, & fructu honestatis.*

D. Bonauentura in Speculo lect. 5. *Gratia Mariam fecit miraculosam in prole, miraculoso, conceptu, & partu, dum miraculosè virgo peperit, & miraculosè Deum concepit, Deum peperit.* D. Bon.

Bernardus Homil. 3. super missus est. *Intellige prudens Virgo, quantam ex nomine promissi filij, & quàm specialem gratiam inueneris apud Deum.* Bernar.

Pe-

Petrus Damia. Petrus Damianus Serm.3.de Natiuitate Mariæ. *O nouū inquit, & inauditum Angelicæ Salutationis obsequium, plenā appellat gratia, quia ipsa in eam descendebat, per quem omni mundo collata est gratia, & in eodem sermone.*

*Quid sanctitatis, quid iustitiæ, quid religionis, quid perfectionis, singulari huic Virgini deesse potuit? quæ totius diuinæ gratiæ charismate plena fuit? Quid rogo vitia in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli plenitudinis totius diuinitatis meruit esse sacrarium? Nec mirum, si cunctorum merita transcendat mortalium, quæ & ipsam superexcedit celsitudinem Angelorum.*

Bernar. Bernardus Serm.de Natiuitate Mariæ. Inuenit gratiā, plena iam gratia, vt charitate feruida, virginitate integra, humilitate deuota; fieret nihilominus sine viri cognitione grauida, sine muliebri dolore puerpera. Quid mirum, si gratia plena erat, cum qua Dominus erat?

Et Serm.29.super Cant. *Est sagitta electa amor Christi, quæ Mariæ animam, non solum confixit, sed etiam pertransiuit, vt nullam in pectore virginali particulam vacuam amore relinqueret: sed tota virtute, toto corde, tota anima diligeret, vt esset gratia plena.*

Petrus Cluniac. Petrus Cluniacensis lib.1.Epist.5. *Non solum in omni gratia consummata, verum etiā in omni bono, & dono quod acceperat, confirmata sit.*

Riccard. Victor. Riccardus Victorinus li.2.de Emmanuele c.29. & 30. *Cum igitur in Matris vtero esset sanctificata, & ante verbi incarnationem gratia plena, in ipsa quidem incarnatione, ampliòr illi gratiæ plenitudo contigit sicut verbis illis Angelus indicauit: Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. In hac gratia porrò magis, magisque profecit, vt semper amore Diuino flagraret, gratiæque vigorem perpetuum conseruaret, quam neque per culpam, neque per negligentiam minueret, vel obfuscaret.*

D. Tho. Sanctus Thomas in 3.parte q.27.art.5. *Beata Virgo Maria tantam gratiæ obtinuit plenitudinem, vt esset propinquissima auctori gratiæ, ità quòd eum, qui est plenus omni gratia, in se reciperet, & eum pariendo quodammodo gratiam ad omnes deriuaret.*

Albert. Magnus Albertus Magnus de Laudibus Virginis cap.69.70.71.

Nol-

*Nullam omninò creaturarum censet existere, quæ ampliorem gratiæ plenitudinem, perinde ac Virgo Deipara suscipere possit, vt iure Ecclesia decantet. In me gratia omnis vitæ, & virtutis. Maria igitur vas veluti plenum, in quo nihil sit vacuum, quòdque plus liquoris recipere nequeat, posse censeri.*

Seraphicus Bonauentura in 1. Distinctione 44. dicit. *Beata Virgo, tantam habuit gratiam, quòd de facto non poterat plus recipere, & quantam pura creatura recipere potuit.* *Seraph. Bonau.*

Athanasius Serm. de Sanctissima Deipara. *Factum est, vt gratia plena appellata sis, vtpotè quæ omni gratia abundares, idque per superuentum Spiritus Sancti; Ideòque vultum tuũ deprecabuntur omnes diuites plebis, ditati scilicet, istius modi, bonis, & spiritualibus contemplationibus.* *Athan.*

Idem. *Spiritus Sanctus in virginem descendit, cum omnibus virtutibus essentialibus, induens eam gratia, vt in omnibus gratiosa esset, atque idcircò gratia plena cognominata est, eo quòd ab impletione Spiritus Sancti, omnibus gratijs abundaret.*

Epiphanius in Oratione, qua Virginem celebrat. *Aue gratia plena Dominus tecum. Vocat Sanctæ Virginis gratiam immensam, multis virtutibus exornatam, gloriæque spiritualem arcam, & auream vrnam, quæ manna cæleste continet, mare itidem spirituale, ac demum eam, quæ cherubicum thronum diuinitatis fulgore superat, ob id, quod ipsa sit plena, seu affluens gratia.* *Epiph.*

Chrysippus Hierosolymitanus in Serm. de Sancta Maria Deipara. Vocat Mariam. *Armarium vitæ, hortum Patris, pratum totius fragrantiæ, Spiritus Sancti puteum semper viuentis aquæ.* *Chrysip.*

Idem in eodem loco. *Gratia plena, quia tecum est vniuersus gratiæ thesaurus, totius gratiæ, & lætitiæ Rex, cum Ancilla.*

Bernardus Serm. 4. Assumptionis Beatæ Mariæ, circa principium. *Quid delitiæ dixerim decus Virginitatis, cum munere fœcunditatis, humilitatis, insigne distillantis charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ: prærogatiuam gloriæ singularis?*

Andreas Hierosolymitanus Serm. de Salutatione Angelica. *Andr. Hierosol.*

gelica. *Aue gratia plena: gratia plenam te appellamus, quòd omnem lætitiam ventre tuo complexa es, & stolam omninò refertam gratiæ diuinorum donorum splendore.*

Gregor. Neocæs. Gregorius Episcopus Neocæsariensis, dicit. *Quòd in Virgine totus gratiæ thesaurus reconderetur quæ sola ex omnibus generationibus, sancto corpore, & spiritu fuerit, sola ferens eũ, qui verbo portat omnia.*

Albert. Magnus Albertus Magnus Serm. 3. de Annunciatione Mariæ, & Homil.3.de beata Virgine. *Inuenisti gratiam, gratiam dico increatam, & cum illa omnem creatam spiritualem, & corporalem: Spiritualem inquam, summam nempè charitatem, & specialem summam, quæ non fuit in alijs.*

Rubert. Rubertus lib.6.in Cant. *Sicut enim luna lucet, & illuminat, luce non sua, sed ex sole concepta: Sic tu ò Beatissima, hoc ipsum quòd tàm lucida es, non ex te habes, sed ex gratia diuina gratia plena.*

Bernar. Bernardus Serm.de Natiuitate Mariæ, dicit. *Fontem vitæ Christum, Mariam verò Aquaductum esse.*

Origen. Origenes Homil. 29. in Luca. *Est plenitudo sufficientiæ, per quam Apostoli, & Stephanus eximiæ vocationi suæ satisfecerunt: Est item plenitudo singularis præeminentiæ, quæ matri Domini præ Sanctis reliquis competit. Est demum omnimoda, & omni ex parte perfecta gratiæ plenitudo, soli Christo, tanquàm fonti tribuenda, vtpotè de eius plenitudine omnes acceperint, est plenitudo Christi quasi fontis, Mariæ autem quasi fluminis, sanctorum quasi riui à flumine descendentis.*

Epiph. Mariæ gratia tanta fuit, vt permulti in tantam amentiam, & insaniam deuenerint, vt eam non tanquàm Dei Matrem solum susciperent, sed pro Deo etiam introducerent: vt patet apud Epiphanium contra Hæreses Hæresi 78. *Quemadmodum autem dicimus, nos hoc audiuisse, quosdam ità ausos fuisse, vt facillimè seipsos proiecerint in peccatũ: sic admirati sumus, cum aliud rursus audissemus, alios nimirũ rursus ità decipere, vt in tractatione de ipsa sancta semper Virgine, pro Deo hanc introducere studuerint & adhuc studeant, & furore quodam, ac amentia ducantur.* Hoc recensere volui, vt intelligamus Mariam Virginem, tantam cum ipso Deo habere conformitatem, tanquàm expressè sui in se creatoris imaginẽ, ac similitudinẽ repræsentasse, ac Dominũ

ipsum

ipſum magnificaſſe, ſiue magnum oſtendiſſe, vt pro Deo ab illis ſolum non haberetur, quos Diabolus fide Chriſti armatos inueniret; & quia eximia Mariæ ſanctitas, & perfectio, Diabolo anſa futura erat ad decipiendos miſeros mortales; propterea Chriſtus Dominus, vt eos præmuniret, nè Mariæ Matri ſuæ Diuinitatem tribuerent, ſub mulieris nomine, eam nonnunquàm nominauit: vt habemus apud Ioannem. 2. Vbi Chriſtus cum Beatiſſima Virgine, & Matre ſua loquens, dixit.

*Quid mihi, & tibi eſt Mulier? Nondùm venit hora mea.* Et apud eumdem Ioannem, dum Chriſtus eſſet in Cruce, dixit. *Mulier, ecce filius tuus.*

Huius rei locupletiſſimus teſtis nobis etiā extitit præallegatus à nobis Epiphanius contra hæreſes. Hæreſi. 79. Vbi in huius rei confirmationem, eundem Ioānis locum adducens, ſic dicit. *Epiph.*

*Reuera ſanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus: re uera erat Virgo, erat ipſa virgo, & honorata, ſed non ad adorationem nobis data, ſed ipſa adorans eum, qui ex ipſa carne genitus eſt, de cœlis verò ex ſinibus paternis acceſsit, & propterea Euangelium munit nos dicens, quòd ipſe Dominus dixerit. Quid mihi, & tibi cura eſt Mulier? Nondum venit hora mea. Quò non putarent aliqui, magis eximiam eſſe Sanctam Virginem, Mulierem eam appellauit: velut prophetans, quæ futura eſſent in terra, ſectarum, atque Hæreſeon gratia, vt ne aliqui nimium admirati ſanctam, in hanc hæreſim, eiuſque deliramenta dilabantur.*

Ecce quomodo etiam ex ſententia Diui Epiphanij, Chriſtus Dominus etiam prouidit, ne in talem homines errorem inciderent, vt pro Deo Virginem adorarent. Vide ergo quanti meriti extiterit.

Baſil. Oratione de Annunciatione. *Virgo vniuerſos Martyres ſuo ſplendore excedit, quantum Sol, vniuerſa aſtra.* *Baſil.*

D. Bonauentura in Speculo Virginis Lectione 5. *Gratia namque Mariæ gratia veriſsima gratia immenſiſsima, gratia multipliciſsima, & gratia vtiliſſima eſt.* *D. Bon.*

Idem in eodem loco. *Immenſa certè fuit gratia, qua ipſa fuit plena, immenſum enim vas, non poteſt eſſe plenum, niſi immenſum ſit illud, quo eſt plenum.*

*Maria autem vas immensissimum fuit, ex quo illum, qui cælo maior est, continere potuit. Tu ergo immensissima Maria, capacior es cælo: quia quem cæli capere non poterant, &c. Tu capacior es mundo: quia quem totus non capit orbis. Si ergo Maria tàm capacissima fuit ventre, quantò magis mente? etsi capacitas, tàm immensa fuit gratia plena, oportuit vtique, quòd gratia illa, quæ tantam impleuisse potuit capacitatem, esset immensa.*

Inter alia magnalia, quæ Dauid Propheta de Beata Virgine prophetauit, vnum fuit, *& homo natus est in ea.* Quòd homo natus erat ex ea, sed qua causa non dixit, & Deus natus est in ea? maioris dignitatis est, esse matrem Dei, quàm hominis. Qua de causa non dixit, Deus natus est in ea? Credo, quòd vsus fit tali modo dicendi, vt magis sublimaret ipsam Virginem. Si dixisset, quòd Deus natus est in ea, aliqui crederent, quòd ipsamet esset Deus, & quòd peperisset eo modo, quo Pater æternus generauit filium suum, & esset alter Deus in terra. Vt ergo clarè cognoscerent homines, quòd verè, & realiter erat mulier, & non Deus; hac de causa Dauid dixit, *& homo, &c.* Et non Deus natus est. O Virgo gloriosa, quid amplius de te dicam? tàm similis eras Deo, vt ne mundus deciperetur, falleretur, credendo quòd eras Deus, necesse fuit dicere, quòd de te natus est homo, & non Deus: & si quis quærat, iste homo, qui erat simul & Deus, inquantum Deus erat infinitus, & immensus, quomodo capere potuit in vtero virginis? Respondet Dauid, *& ipse fundauit eam Altissimus.* Deus sciens magnitudinem suam, scit etiam quid requiratur suæ magnitudini: & ideò fundauit eam, &c.

*Doctor Illumin.* Doctor Illuminatus Franciscus de Mayronis in 4. sententiarum, dicit. *Credimus citra Christum, beatam Virginem, maximè fuisse perfectam, vt plus habuerit de gratia in Matris Vtero, quàm habeant Sancti in Cælo.*

# ADDITIO.

## *Aue Gratia plena.*

FVit Virgo Maria gratia plena, quia tota plenitudo gratiæ descendit in eam, nihil vacuum relinquẽs in ea. Sic etenim vsquequaque impleta est gratia, vt nihil in ea culpa obtineret: nihil omninò culpæ relictum est, nec etiam cogitatio.

Et Nota, quòd dicitur gratia plena, non gratiarum, aut gratijs; sicut Hester 15. dixisse legitur Assuero. *Facies tua plena est gratiarum.* Non enim mirabile videtur, si multis gratijs plena diceretur, neque tàm vna, quàm plena ostẽderetur omnibus fortasse simul sumptis. Sed ita gratiarũ plena est, vt vnaquaque gratiarum plena sit. Verbi gratia, adeò plena humilitate, vt nullus in ea locus relinqueretur superbiæ. Non habent enim viri sancti illam plenitudinem, quin vel cogitatione cor eorum quandoque occupet superbia, saltem venialis. Sed speciale priuilegium fuit Beatæ Virginis, vt nec etiam cogitationem eius vitium aliquod occupauerit. Similiter sic plena castitate, vt nec cogitationem vnquam occuparet luxuria, quæ in sanctis quamquam sublimiora loca sibi vendicare contendat. Ne dum sola cogitatione contenta est, sed etiam primos motus, in affectionem irrumpere molitur. Sic & plena charitate, vt nec nouissimum, vel modicum locum, inuidia, ira, vel odium in ipsa occupauerint: & sic de singulis virtutibus. Meritò ergo dicitur gratia plena, quam sic totam impleuit gratia, vt nec venialis culpa in ipsius carne, vel anima, quantulumcumque locum sibi potuerit vsurpare.

Gratia plena, quæ in corde, & in corpore receperat totum gratiæ fontem; cui ipse fons gratiæ Christus Dominus, tantùm de sua immensa plenitudine contulit, quæ eam vsquequaque repleuit, quòd eius plenitudinis ipse factus est riuus; qui etiam priùs mentem eius repleuit, quam ventrem; & cum nasceretur de corpore, ab anima

non recessit. Ideò dicit ipse. Hier. 20. *Cœlũ, & terrã ego impleo.* Cœlũ prius, ideſt animam Mariæ: terram poſtea, ideſt carnem eius, & ventrem. Vel Cœlum, & terram, ideſt Beatam Virginem; terram per naturam, ſed Cœlum per gratiã, vnitæ enim erant in ea gratiæ: dũ quælibet gratia eam totam implebat, & occupabat, & quaſi ſibi propriã vendicabat; gratia ventris ſuper gratiam cordis: gratia fœcunditatis, ſuper gratiam Virginitatis. Gratia enim implens alijs mulieribus data eſt, eius autem, & cor, & ventrem gratia impleuit. Vel gratiam ſuper gratiam, ideſt ſuper omnem gratiam: quod enim Mater Dei effecta eſt, ſuper omnem gratia eſt. Gratia etiam, qua corpus eius, & venter impletus eſt, omnibus gratijs Angelorum, & hominum, ſublimior eſt. Item, gratiam ſuper gratiam, quaſi dupliciter gratioſa, quæ ſibi, & nobis gratiam acquiſiuit. Vel gratiam ſuper gratiam, ideſt ſuper omnes gratioſas eſt mulier ſancta, & pudorata, ſcilicet Beata Virgo, cui data eſt gratia Virginitatis; & ſuper hanc gratiam fœcunditatis, quod fuit ei ſingulariſſimum. Vnde dicitur ei, Multæ filiæ, ideſt virtutes Angelicæ, & animæ ſanctæ, congregauerunt diuitias, gratiarum, virtutum, & meritorum: tu ſupergreſſa es vniuerſas.

Gratia plena. Quia Dominus fuit cum ea, quod eſt gratia ſingularis. Dominus enim cum Sanctis Angelis eſt per gratiam, cum ſanctis hominibus non ſolùm per gratiam, ſed etiam per naturam. Vt poſſit homo dicere Emanuel, ideſt, nobiſcum Deus; ſcilicet per naturam ſocius, quod dicere non poteſt Angelus. Quia ſicut dicitur ad Hebr. 11. *Nuſquam Angelos apprahendit*, quia Angelicam naturam non ſibi voluit.

*Sed ſemen Abrahæ apprahendit*, quando in Virgine, orta de ſemine Abrahæ, naturam humanam aſſumpſit. Cum Beata Virgine, non ſolùm per gratiam fuit, & naturam; ſed etiam per aſſumptæ carnis ipſius portionem, ſine virili admixtione ſeminis: vt dicatur ei, Dominus tecum eſcluſo patris carnalis conſortio, vnde dicitur Ezech. 34. *Terra dabit germen ſuum*, ideſt Virgo, ſine carnali copula dabit filium ſuum.

Gratia plena, quia Dominus fuit cum ea longè excellentius,

lentiùs,quàm cum cæteris ſanctis, cum quibus eſt ſpiritualiter tantùm,& in corde. Sed tecum eſt, & ſpiritualiter in corde,& corporaliter in ventre.

Ad hoc propoſitum, notat Bernardus. Quòd quando Angelus dixit Virgini *Dominus tecum* non dixit, Dominus in te,ſed *Dominus tecum*. Deus enim,qui vbique æqualiter totus eſt per ſuam ſimplicem ſubſtantiam: taliter tamen eſt in irrationalibus, vt non capiatur ab eis. A rationalibus autem omnibus quidem capi poteſt per cognitionem, ſed à bonis capitur etiam per amorem. In ſolis ergo bonis ita eſt, vt etiam ſit cum ipſis propter concordiam voluntatis; nam dum ſuas voluntates iuſtitiæ eius ſubdunt, per hoc quod ab eius voluntate non diſſentiunt; Deum ſibi ſpecialiter iungunt. Sed cum ità ſit cum omnibus ſanctis, ſpecialiter tamen cum Maria; cum qua vtique tanta ei conſenſio fuit, vt illius non ſolùm voluntatem,ſed etiam carnem ſibi coniungeret,ac de ſua, & Virginis ſubſtantia, vnum Chriſtum efficeret, vel potius vnus Chriſtus fieret. Qui etſi nec totus de Deo,nec totus de Virgine;totus tamen Dei, & totus Virginis eſſet,nec duo filij,ſed vnus filius vtriuſque.Fuit igitur gratia plena,quia Dominus cum ea. Vnde Pſalmus. *Tecum principium*,ideſt filius Dei, qui dicit. Ioan.8. *Ego principium,qui & loquor vobis*. Sequitur, *In die virtutis tuæ*,ſcilicet in illa die, qua virtute diuina concepiſti. Bernar.

Gratia plena,& Dominus tecum.Tripliciter enim fuit Dominus cum illa:videlicet,Sicut Dominus cum Ancilla,Sicut ſponſus cum ſponſa, Sicut filius cum Matre dilectiſſima.Sicut ſponſus cũ ſponſa: Si enim virgines ſponſæ ſunt Agni,Quomodo non virgo virginum,Sponſa ſpõſarum?Ipſa enim meritò dicitur virgo virginum,quæ primò conſecrauit,& vouit virginitatem,abſque omni præcepto,conſilio,& exemplo. In laude aliarum virginũ,dicitur,quòd ſequuntur Agnum quocumq; ierit. Apoc.14. De Virgine autem poteſt ſecurè dici,quòd Agnus ſequebatur eam,quocumque iuit.Vnde Lucæ 11.*Deſcendit cum illis Nazareth,& erat ſubditus illis*. Item Cant.6. *Dilectus meus mihi,qui paſcitur inter lilia*. Et alibi.*Ego dilecto meo,& Dilectus meus mihi,qui paſcitur inter lilia*.

Fuit etiam Dominus cum ea, ficut filius cum Matre di lectiſſima, in ventre eius; & ex hac vnione Dei, & Dominæ Virginis, factus eſt Chriſtus, filius humanæ naturæ: factus eſt caro, & frater noſter; factus eſt Sponſus Eccleſiæ.

Fuit etiam cum ea, ſicut Dominus cũ Ancilla. Si enim beatus Populus, cuius Dominus Deus eius: Quomodo nõ eſt beatiſſima; cuius Dominus filius eius? fuit ergo Dominus cum ea, & ideò Gratia plena.

Sed Notandum eſt, quòd non dixit Angelus Mariæ Virgini, Dominus meus venit, præpara ei hoſpitium; Sicut dicere ſolent alij præcurſores. Sed hoſpitium præparatũ inueniens, & Dominum præueniſſe eum dixit. Dominus tecum. Quia quemadmodum in cœlo relinquerat, reperit apud eam. Vndè Bernardus. Victus es ò Archangele; Bernar. tranſilijt te, qui præmiſit te.

Beda Homil. de Annunciatione Beatæ Mariæ tomo 5.

Beda. *O verè glorioſa, & admirabilis ſalutatio, quantò humanæ conſuetudini inaudita, tantò Mariæ dignitati eſt congrua.*

D. Bon. Et beatus Bonauentura in Speculo Beatæ Mariæ Virginis Lectione prima ſupra illa verba.

*Aue gratia, &c. O verè dulcis inſinuatio, inſinuatur enim quàm puriſſima, quàm pleniſſima, quàm tutiſſima, quã digniſſima, quàm vtiliſſima fuit Virgo Beata: puriſſima, inquam, propter culpæ carentiam: pleniſſima, propter gratiæ affluentiam; tutiſſima, propter diuinã præſentiam: digniſſima, propter perſonæ ſuæ reuerentiam: vtiliſſima, propter prolis ſuæ excellentiã. Rectè namque ei dicitur, gratia plena, & verè plena, & ſuper plena gratia, de cuius plenitudinis exundatia reſperſa, ſic reuiuiſcit omnis creatura.*

Anſel. Anſelmus de Conceptu virginali. cap. 18. Dominus tecum, *non ſolùm Dominus filius tecum, quem carne tua induis, ſed & Dominus Spiritus Sanctus, de quo concipis, & Dominus Pater qui genuit, quem concipis.*

Vnde ſtupens, & exclamans Anſelmus, vbi ſuprà, ait. *O virgo benedicta, & ſuper benedicta, per cuius benedictionem benedicitur omnis creatura, non ſolùm à Creatore, ſed creator à creatura.*

Item prædictus Bonauent. ſequitur *per fæcunditatem tuã*

*Domina, immundus peccator est iustificatus: damnatus saluatus, & exul reductus. Partus enim tuus Domina, mundum captiuum redemit, ægrum sanauit: mortuum suscitauit.*

*Meritò ergo Maria per Aue salutatur, propter gratiæ affluentiam, & immensitatem.*

*Meritò gratia plena commemoratur, propter diuinam præsentiam, & familiaritatem. Meritò Dominus tecum, insinuatur; propter personæ suæ reuerentiam, & dignitatem. Meritò Benedicta tu in mulieribus, nunciatur, propter prolis suæ excellentiam, & vtilitatem.* Hæc omnia ex Sancto Bonauentura lectione 1. Speculi Virginis Mariæ.

Origenes Homil. 6 in Lucam. *Gratia plena, vbi in scripturis alibi legerim, non recordor; soli Mariæ hæc salutatio seruatur.*

Dominus tecum. Dominus in beatis est per gloriam, in electis per gratiam, in carne assumpta per vnionem, in omnibus per prouidentiam; Sed in Virgine, per superemi nentem quandam virtutem, & operationem. *Origen.*

Dominus tecum. Andreas Hierosolymitanus in tractatu, de Laudibus Virginis: ait. *Qui ante te, hodie vnà tecum est, & ex te paulò post nascetur.* *Andr. Hieros.*

Franco Abbas tomo 6. de Gratia Dei. *Dominus tecum est: O Virgo, non generali tantùm benedictionis gratia, qua & cum cæteris sanctis est; Verùm & singularis prærogatiua gratiæ sicut cum Matre filius. Dominus tecum: vt viscera tua sanctificet, vt in carne tua, humanam sibi naturam associet.* *Franco Abbas.*

Damasc. Oratione 1. de Beatæ Mariæ Dormitione. *O singularem Dei bonitatem. O charitatem eiusmodi, quæ nulla ratione indagari possit. Is, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Is, qui cælum, & terram implet, cuius cælum thronus, & terra scabellum pedum est, ex ancillæ suæ ventre latissimum domicilium fecit, atque in ea mysterium recentium omnium recentissimum conficit: Nam qui Deus erat, homo efficitur, & ita procreatur, vt interim Virginitatis claustra minimè labefactet. Quodnam ingens, ò Sacra Mater, atque Virgo, mysterium hoc te circumstat? Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* *Damasc.*

## *Verbum caro, &c.*

HOc Diuinum mysterium, sicut & cætera mysteria, nullo modo ratione naturali probari potest, sed omninò credi debet: auctoritas dicentis debet esse probatio. Quomodo non repugnet rationi, Theologi in 3. Subtiliter ostendunt. Hoc diuinum mysterium est tàm altum, quòd mens humana, nec Angelica, penetrare potest.

*Dionys. Areop.* Dionysius de diuinis nominibus cap. 2. *Iesu in carne apparitio & ineffabilis est sermoni omni, & omni ignota intelligentiæ, ipsi quoque antiquissimorum Angelorum primati non satis perspecta.*

*D. Iren.* Diuus Irenæus lib. 2. aduersus Hæreses cap. 48. ait. *Generationem eius inenarrabilem existentem nemo nouit, non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque Principatus, neque Potestates, nisi solus qui generauit Pater, & qui natus est filius, & spiritus sanctus.* Et Paulus 1. ad Corint. cap. 2. *Quam nemo principum huius sæculi cognouit.* Et Glosa ordinaria, per principes intende Angelos bonos, & malos, qui lumine naturali, non potuerunt intelligere istud mysterium. Et Concilium Toletanum, loquendo de isto mysterio, dicit. *Fatemur ergo Deum aliquid posse, & nos inuestigare non posse.* Et Augustinus lib. contra Felic. dicit. *Hoc fides credat, intelligentia non requirat.* Et Paulus. *Mysterium quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus.* Ad Colossenses 1.

*Glossa ordin.*

*Conc. Tolet.*

Cyrillus Alexandrinus ad reginas. Loquendo de isto mysterio, *vocat eum Sacratissimum Enigma filij Dei, & mulieris, quis intelligere potest hoc Enigma? Pater in Cælo, & Mater in terra, Enigma, in cælo sine Matre, in terra sine Patre, Enigma, inquantum est filius Matris, est temporalis, Enigma; inquantum Deus immensus, inquantum temporale, abbreuiatum est Enigma: nascitur ex muliere, sed remanet virgo Enigma: creatura generat creatorem Enigma.*

Dico etiam quòd inter omnia mysteria diuina, duo præ-

præcipuè sunt difficillima ad persuadendum; Mysterium Trinitatis, & mysterium Incarnationis: Sed mysterium Incarnationis longè difficilius mysterio Trinitatis, quia quæ dependent à determinatione libera, sunt difficiliora ad credendum, quàm sint naturalia, quia naturalia habent suum esse naturale determinatum, secundum quod intellectus potest discurrere, & inuenire essentiam illius rei; sed quæ dependent à libera voluntate, quia possunt esse, & non esse, non possumus venire in earum cognitionem. Et Aristoteles, dicit.

Quòd de contingentibus, non est de determinata veritas.

Modò in proposito, mysterium Trinitatis est naturale, & necessarium in Deo, quia Deus non potest facere quin sit Deus, & sit talis qualitatis, qualis est, & sic ab effectibus possumus deuenire in cognitionem causæ, scilicet, quòd Deus sit, & quòd sapienter regit, & gubernat; ergo habet intellectum, & voluntatem, cum quibus operatur.

Sed mysterium Incarnationis, quia fuit contingens, & liberum; non fuit possibile de eo habere aliquod signum, vel indicium, vsquequo Deus misit ad effectum, quia à decreto Dei dependebat, non solùm quò ad existentiam, sed etiam quo ad modum: itaque difficilius est mysterium Incarnationis, quàm Trinitatis. Quis enim cogitare poterat, quòd pro reparanda creatura rebelli, & ingrata; impassibilis, æternus, & immortalis, facturus esset passibilis, temporalis, & mortalis? Iudæis scandalum, gentibus stultitia videbatur.

Dico etiam, quòd mysterium Incarnationis, difficilius est mysterio Trinitatis: quia mysterium Incarnationis, includit in se, & præsupponit mysterium Trinitatis, quia si filius assumpsit carnem humanam opere Spiritus Sancti, non est possibile intelligere Incarnationem filij, nisi prius intelligo esse Patrem, qui generauit filium; & Spiritum Sanctum, qui operatus est huiusmodi mysterium. Hinc sequitur, quòd mysterium Incarnationis intelligi non potest absque mysterio Trinitatis; & mysterium Trinitatis, potest intelligi absque myste-

mysterio Incarnationis, & ita difficilius erit persuadere mysterium Incarnationis, quàm mysterium Trinitatis.

Et licet hoc mysterium non esset intelligibile apud homines, & Angelos; non erat tamen impossibile apud Deum, quia nihil est Deo impossibile, quòd non habet manifestam contradictionem; hoc mysterium non habet manifestam contradictionem, ergo non est Deo impossibile. Sic paraninphus Gabriel Sacratissimam Virginem docuit, dicens. Lucæ. 1.

Dot. sub in 3. d. 1. q. 1. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Quòd non repugnet ex parte personæ, probatur. Vnio in Deo non dicit compositionem, nec imperfectionem, quæ Deo repugnet: ergo ex parte Dei, est possibilis. Quòd non repugnet ex parte naturę, probatur; quia natura est in perfecta obedientia respectu Dei, ideò potest Deus assumere naturam sine personalitate propria, quæ posterior est ipsa natura.

Ad hanc veritatem suadendam, iuuat, quòd Iudæi dixerunt, Phinees filium Eleazari fuisse Angelum in carne, ità refert Lyranus Iosue 2. & Iudic. 2. Igitur non debent Iudæi negare hoc mysterium. Act. 14. *Cum Paulus sanasset quendam Claudum Lystris, turbæ dicebant, Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos.* Homerus odyssea 7. & 8. inquit. *Esse opinionem antiquorum, quòd Dij, in figura, & habitu pauperum, veniebant ad nos*, ex his potest veritas suaderi sic: ergo saltem vnio Dei ad humanam naturam non reputata est impossibilis apud antiquos. Argumentum, & processus, est Hiero. lib. 1. aduersus Iouinianum, parum ante primam scholiam Erasmi, vbi ad suadendam Virginitatem Mariæ, refert falsam opinionem antiquorum, dicentium. *Platonem natum fuisse ex Matre Virgine*, quibus de facili suaderetur Virginitas, & Maternitas Beatissimæ Virginis. Verba Hieronymi sunt. *Speusipus Sororis Platonis filius, & Clearcus in laude Platonis, & Anaxilides 2. libro Philosophiæ, ferunt; Perictionem matrem Platonis phantasmate Appollinis oppressam fuisse, & Platonem de partu Virginis editum fuisse arbitrantur*, quamuis supradicti errauerint; nihilominus non existimant impossibilem vnionem Dei cum humana natura, & Virginitatem, & maternitatem

posse

posse conuenire simul. Addo, quòd sibillæ filiæ Gentilium prædixerunt hoc mysterium, inter alia plura mysteria; omnium singulare argumentum, est fides; quæ teste Apostolo ad Hebræ. 11. est argumentum non apparentium.

## *De tempore, quo facta fuit Vnio Incarnationis.*

VNio humanæ naturæ ad Verbum, facta fuit in illo instanti, quo Beatissima Virgo Maria dixit. Ecce Ancilla Domini, fiat mihi, &c. Tunc in eodem instanti, & caro fuit formata ex purissimo sanguine, & simul fuit animata, & in eodem instanti à verbo assumpta; docet Gregorius in registro cap. 61. Dist. 4. dicens. *Non prius in vtero Virginis caro concepta est, postmodum Diuinitas venit in carnem: & Verbum venit in vterum, mox Verbum seruata propria virtute natura, factum est caro, & perfectus homo, idest in veritate carnis: vna itaque persona est Verbum, & caro,* &c. 18. Moralium cap. 35. *Nuntiante Angelo, & adueniente spiritu, mox verbum in vtero, mox intra vterum, verbum caro.* Probatur ex Euangelio Lucæ 2. *Et vocatum est nomen eius Iesus, priusquam in vtero conciperetur.* *Gregor Magnus*

Igitur cum Angelus dixit ad Virginem: Vocabis nomen eius Iesum, nondùm verbum factum fuerat caro, sed postea cum dixit. *Ecce Ancilla Domini, &c.* Verum amen est quòd aliqui Patres videntur sentire, quòd Incarnatio facta fuerit ante consensum Virginis, quia quando Angelus dixit Mariæ Virgini, Dominus tecum, nondùm Virgo dederat consensum. Et Chrysostomus in sua Lyturgia dicit. *Gabriele dicente tibi: Virgo Aue, cum voce incarnatus est omnium Deus in te sacrosancta Arca.* *Chrysost.*

Et Petrus Alexandrinus in Concilio Ephesino tomo 2. cap. 7. *Petrus Alexand.*

*Tum videlicet cum Angelus sacram Virginem huiusmodi oratione salutauit. Aue gratia plena Dominus tecum, hoc est Deo*

*Ver-*

D.Bern. *verbum nunc tecum est*. Et Diuus Bernardus Homil. 3. in
Petrus Missus est. *Dominus tecum, non solum mente, sed etiam ventre.*
Damia. Hoc idem videtur sentire Petrus Damianus Serm. 1.
Laur. de Natiuitate.
Iustin. Laurentius Iustinianus Serm. de Annunciatione. Intel ligendi sunt isti Patres, quòd in illo colloquio Angeli
Gregor. cum Virgine, facta fuit Incarnatio. Sicut dicit Gregorius vbi supra.

*Nunciante Angelo, & adueniente spiritu, mox verbum in vtero, & intra vterum verbum caro*: Certum est igitur Incar nationem factam fuisse, quando Virgo Angelo respondit. Ecce Ancilla Domini, &c.

Tunc naturæ vnitæ, distinctæ sine confusione manserunt, quia mysterium hoc consistit in vnione duarum na turarum, in vna persona filij Dei, nihilominus natura hu mana mansit in suo esse, & natura Diuina in suo esse: ita quòd ex ambabus non fuit facta quædam tertia natura, vt malè multi Hæretici dixerunt; quemadmodum ex ele mentis fit quædam distincta natura: Sed quælibet manet distincta, sicut cum ramus inseritur arbori, & cum anima rationalis vnitur corpori, est vera vnio, & adhuc res manent distinctæ. Docet hoc Leo Ser. 3. Natiuitatis, dicens.
D. Leo. *Qui in forma Dei fecit hominem, in forma serui factus est ho-*
Basil. *mo: & sicut formam serui forma Dei non adimit, ita formam Dei, forma serui non minuit.* Basilius Homil. Natiuitatis di cit.

*Ferrum, nigrum quidem est, ac frigidum: attamen ignitum candens est, ac ignis formam subit: & quamuis ex igne splendeat, tamen sua nigredine ignem non inficit, & dum ardet, sua frigiditate, flammam non destruit*: præmittens antea, quod nullum est perfectum exemplum, hoc manifestauit quomodo quælibet natura maneat in suo esse cum proprietatibus suis. De electro dicitur, quòd componitur ex auro, & argento, & quòd argentum ad claritatem crescit; aurum autem claritate argenti temperatum, virtutem suam non perdit.

Sic natura humana, & Diuina distinctæ manent, & hu mana acquirit perfectionem, sine diminutione naturæ diuinæ: & ex ista vnione sequitur communicatio idioma

tum

tum naturæ, vt dictum est, integræ, & inconfusæ manserunt: Sed quia re uera vnitæ sunt in vna persona diuina, sequitur, quòd ea, quæ dicuntur de homine, dicantur de Deo; & quæ dicuntur de Deo, dicantur de homine, vtpotè, si homo est mortalis, pasfibilis, &c. Deus dicitur mortuus, passus est pro nobis. Deus est, & dicitur omnipotés, sic hoc homine Christo demonstrato, dicitur hic homo est omnipotens. Ioan. 3. dixit Christus. *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo.* Quando loquebatur cum Nicodemo in terra erat, sed quia iste homo erat filius Dei, propter communicationẽ idiomatum, verè dicitur, quòd filius hominis erat in cœlo: eadem ratione quamuis humana natura nunquam fuerat in cęlo, dicitur, quòd filius hominis, vel Christus descendit de cœlo. Augustinus tomo 2. epistola 57. quæ est ad Dardanum, explicans hunc locum inquit. August.

*Secundum hominem namque in terra erat, non in cælo, vbi nunc est, quando dicebat. Nemo ascendit in cælum: quamuis secundum id, quòd filius Dei erat, esset in cælo: secundum id verò, quòd filius hominis erat, adhuc esset in terra.*

Laborant Doctores in explicando, quonam pacto filius sine Patre, & Spiritu Sancto, carnem assumpserit.

*Diuus Bonauentura in 3. Distin. 1. quæst. 2. adducit exemplum de tribus puellis, quæ vestiant vnam illarum trium, quarum vna sola manet vestita: Sic omnes tres personæ operatæ sunt mysterium Incarnationis, vna tamen illarum, nempe filius, mãsit humanitate vestitus.* D. Bon.

*Alexander Alensis tertia parte quæst. 4. membro 2. adducit historiam Sansonis Iudic. 14. De cuius voluntate Pater, & Mater acceperunt illi vxorem, solus verò Samson mansit vxoratus:* Alex. Alens.

*Tres ergo voluerunt accipere vxorem, nempe Samson, Pater, & Mater, sed solum filius accepit vxorem. Sic in præsentiarum, omnes tres personæ causarunt vnionem humanitatis; solus autem filius mansit vnitus.*

Est tamen ineffabilis ista vnio, & tàm remota à sensibus, quòd nullo modo potest videri, nec per seipsam conspici: quia verò in omni creatura est vestigium Creatoris, vt quod fide credimus, melius percipiamus, quę sit

Do-

Doctores aliqua vnionem similem; afferuntur multæ, sed ego pro Concionatoribus, vnã affero, de ramis scilicet arbori insertis, nam ibi percipit rudis populus, quomodo sub vno trunco sit duplex arbor, & duplex fructus: & cum hoc ad oculum videat, maximè disponitur ad intelligendum, quod docet fides de Christo, nempè, quòd in eo sit vna persona, & duplex distincta natura: pro qua similitudine facit illud Iacobi. 1.

Auctor Concion.

D.Tho. *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas.* Sanctus Thomas, inquit sic. *Verbum creatum insitum est cordi per prædicationem, verbum increatum insitum est humanæ naturæ per Incarnationem. Natura enim humana ante incarnationem filij Dei, erat tanquam truncus silvestris, qui, Ad Rom. 11. ex naturali excisus est oleastro, & contra naturam insertus est in bonam oliuam.*

Aliæ similitudines, vtpotè, animę, & corporis, accidẽtis ad subiectum, sunt quidem optimæ, sed sunt minus manifestæ rudi populo: Ideò ista pro Concionatoribus est optima ad instruendum populum.

Vbi facta fuerit ista Incarnatio, breuiter dico, quòd in vtero Virginis Marię; & ad hoc faciunt verba sequentia. *Virgo Dei genitrix virgo, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo.*



Ex-

# EXPOSITIO
## illorum verborum
## *Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Et illorum. Quia quem cœli capere non poterant, tuo gramio contulisti.*

Dico ergo, Deum verum, siuè totam Sanctam Trinitatem, intra Virginis vterum capi, non erat vllum miraculū, quia in qualibet parte, aut re, totius vniuersi, quantumcumque illa parua fit, est tota Trinitas; per essentiā, potentiam, & præsentiam.

Sequitur ergo Deum in quolibet loco esse, & in omnibus locis simul sumptis, & in quolibet loco esse, & in omnibus locis simul sumptis, & in qualibet creatura, & in omnibus creaturis simul sumptis. Et sic dicendum est, Deum verum, siue totam Sanctam Trinitatem, intrà Virginis vterum capi, non hoc speciale aliquod miraculum fuisse.

Quando ergo Ecclesia in laudem Virginis dicit; *Quē cœli capere non poterant, tuo gramio contulisti:* non est sensus, quòd vterus Virginis eum totaliter contulisset, ita vt in alijs rebus, aut locis nullatenus existeret, sed quòd benedicta Virgo eum in vtero suo tenuit totum, scilicet non manente aliqua parte eius, aut aliquid de essentia eius, siue natura, quod intra Virginis vterum non esset: hoc autem de cœlo identidem dicendum est, quia cœ-

lum

lum semper in se Deum totum tenuit, siue Beatissimam Trinitatem,& semper continuit,licet non solùm Deus in cœlo existeret, sed etiam in omnibus alijs locis; & sic quantum ad hoc cœlum, & Domina nostra Virgo æqualia sunt:nam eo modo, quo Domina nostra continebat in se filium Dei, siue Sanctissimam Trinitatem, continebat illum cœlum.Et quando dicitur;Quem cœli capere non poterant,tuo gremio contulisti.Est sensus, quòd licet Deus secundum se, totus in cœlis sit, tamen non est sic in eis, quod cœli totaliter contineant, & claudant eum, quòd non sit in alijs rebus, quia in omnibus rebus est.

Sic autem quamuis Sacra Scriptura in modum miraculi ponat, Deum in vtero Virginis capi, qui intra totum cœlum non capiebatur,non est miraculum; sed dicendũ est,quòd licet filius Dei, aut Beata Trinitas, in vtero Virginis tota existeret,ita quód nulla pars, aut aliquid ibi deesset;tamen nón sic in vtero illo erat, quòd in nullo alio loco,nõ realiter esset,quia cum filius Dei carnem assumpsit, & nouem mensibus in vtero Virginis fuit; stabat etiam in toto vniuerso,scilicet in cęlo,terra, aere,atque mari:tunc ergo sicut verum est, quòd cœlum in se concludere Deum non valebat; ita & in Virginis vtero totaliter capi non poterat.

Ecclesia autem,in laudem Dominæ nostræ, faciendo inter eam, & cœlum differentiam, ponit hanc continentiam tanquam miraculum : differentia autem continentiæ hæc est, quia licet filius Dei, in Virginis aluo subsistens,in omnibus rebus vniuersi esset,tamen de nulla omnium rerum carnem assumpsit,præterquam de vtero Virginis benedictæ,& in hoc fuit aliquid speciale. Sic enim ait Paulus in Epistola ad Hebræos cap. 2.

*Paulus Apost.* *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehēdit*, idest quòd filius Dei non assumpsit aliquem Angelum,ad vnitatem hypostaticam,siue suppositalem, siue aliquam rem,cum quælibet res assumptibilis esset à verbo;sed assumpsit ad hanc vnitatem semen Abrahæ, scilicet Beatæ Virginis sanguinem,quæ erat de semine Abrahæ per descendentiam.

Ex-

Expoſitio illius Prophetiæ Iſaiæ cap.7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, &c. Sciendum eſt, quòd Achaz Rex, timebat à facie duorum Regum, ideſt Raſim regis Syriȩ, & Regis Phaceæ filij Romeliæ, qui cōuenerant, vt acciperent regnum eius: hunc Achaz quamquam impium, Deus conſolaturus, prædixit liberaturum eum de manu duorum horum Regum, & eos contriturum. Ad hoc autem, dedit ſignum ſcilicet. *Ecce Virgo concipiet*, &c. ideſt, Virgo benedicta Domina noſtra, concipiet, & pariet filium: & ſicut antequam conciperet, & pareret, erat Virgo; ſic concipiendo, & parturiendo, remanebit Virgo.

Hic oritur dubium, iſtud ſignum promiſſum fuit Regi Achaz, ad conſolationem, vt non timeret Reges ſuper ſe venturos; Sed ſignum de Chriſti Natiuitate non fuit tale, vt poſſit conſolari Regem Achaz, & populum timentem, cum iſtud futurum eſſet poſt multa tempora, accidit enim quaſi per ſexcentos annos poſt.

Quid ergo videbatur attinere iſtud ſignum ad ea, quæ Regi Achaz prænuntiabantur? nihil forſan? Reſpondeo, quòd aliquando ſignum reperitur poſt rem ſignatam. Vt habetur 4. Regum 19. Vbi, cum timetet Ezechias Regem Senacherib, dedit Deus Regi Ezechiæ ſignum dicens: tibi autem Ezechia hoc erit ſignum, comede hoc anno, quod reperieris. In ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur. In tertio anno, ſeminate, & metite, &c. Et ſic dabatur ſignum, quòd vſque ad tres annos complendum erat, tamen id, cuius ſignum erat, in eadem nocte completum eſt, ſcilicet mortui ſunt omnes, qui veniebant cum Rege Senacherib. Factum eſt igitur eadem nocte, uenit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aegyptiorum centum octoginta quinque millia. Sicut ergo in hoc fuit ſignum poſt iſtam rem ſignatam, ita in eo, quod dicitur de Achaz, & de Virgine, quæ conceptura, & paritura erat, datum eſt in ſignum, & poſt venturum erat.

Poteſt etiam dici, quòd Deus volebat dare Regi Achaz aliquod ſignum corroboratiuum, & demonſtratiuum eius, quod euenturum prænunciabatur, & quòd iſtud ſignum præcederet rem ſignatam, ſicut in cæteris ſanctis

L Pa-

Patribus fiebat; ipse tamen malitia sua demeritus est,& fuit datum signum,quòd esset posterius,per quod nō certificaretur de re signata, quamuis euentura erat: & patet,quia quando Isaias primò accessit ad Achaz, denuncians ei, quòd non esset id, quod consiliati fuerant duo Reges prænominati,non dixit ei signum, quod in littera habetur,scilicet; *Ecce virgo concipiet.* Sed dixit: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo,siue in profundum,&c.* Et manifestū est,quòd Deus vellet ista facere; nam cum suaderet Isaias Regi Achaz,vt peteret aliquid istorum, manifestum est,quòd si ipse petiuisset fieri, quòd fieret;aliàs enimmā datum istud,& persuasio prophetię delusoria esset,& sic esset signum datum præcedens res signatas: quòd autem Achaz impedierit,notum est, quia Isaiàs dixit ei;Pete tibi signum, respondit, non petam.

Potest etiam dici,istud signum parituræ Virginis, non Achaz Regi, sed domui Iuda fuisse promissum; vt patet ex contextu,vbi ita legimus. *Audite ergo domus Dauid;propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet,&c.*

Itaque non fuisse id signum promissum, vt Achaz de soluenda obsidione certus redderetur: sed in detestationem eius impietatis, qua signum postulare recusabat,ne signo edito,& patrato,Dei potentia, Diuinitasque splendesceret; voluit Deus signum aliud longè sublimius, & admirabilius polliceri ,ad magnitudinem suæ potentiæ declarandam,quòd futuris temporibus non esse quidem Achaz,sed domus Iuda impletum conspiceret. Viegas in Apoc.cap.12.Comment.3.sect.14.

*Viegas.*

*Vide Tostatū in Leuit. c. 12.q.7. 8.q.10. & 11.et Matth. c.1.et 1. Para.*

De quo fuit conceptus Christus in vtero Virginis? *Damascenus lib.3.dicit.Quòd fuit conceptus de purissimis sanguinibus Virginis.*

Si Damascenus per istos purissimos sanguines, intelligit sanguines venarum;malè dicit, quia ex sanguine venarum,non potest fieri conceptio, cum locus Conceptionis,& formationis fœtus, non possit esse in venis, sed in matrice; & tamen in matrice non est sanguis aliquis,nisi qui vocatur menstruum, ergo ex menstruo necesse est fieri Conceptio.

Item, si ex sanguine venarũ in Virgine Christus fuisset conceptus, non diceretur Christus propriè filius Mariæ, vel ipsa non vocaretur ita propriè Mater Christi, sicut aliæ mulieres vocantur Matres filiorum suorũm: hoc autem esset tollere totum bonum Virginis, quia maxima dignitas eius, in qua ipsa excedit omnes mulieres; immò & omnem creaturam, est, quòd sit Mater Christi, qui est verus Deus; si autem imperfectam rationem maternitatis habet, tolletur sibi multum de dignitate maternitatis: oportet ergo, quòd ad hoc, quòd ipsa sit verè Mater Christi, quod ipsa in conceptu Christi fecerit, quod aliæ fęminæ faciunt, concipiendo filios suos. Aliæ autem fęminæ non solum ministrant materiam, de qua fiat conceptus, sed etiam per quandam virtutem actiuam, disponunt illam ad hoc, quod sit apta, & propinqua, vt possit fieri conceptus.

Istud autem est, quia sanguis absolutè, siue in viro, siue in fœmina, non est materia apta, propinqua ad fætũ formandum: Ideò in fœminis digeritur sanguis ille purus, & alteratur, & sic disponitur, vt sit materia propinqua, & apta ad conceptum: quia sanguis ille purus, & rarus, qualis est in venis, non est materia apta ad formationem fętus, sed oportet magis densari, & digeri, & alterari secundum calorem. Et hoc fit in fœminis à virtute generatiua, & iste sanguis alteratus, & aliqualiter densatus per virtutem generatiuam fœminæ, mediante calore tanquàm instrumento, vocatur menstruum, & est, de quo fit Conceptio in matrice. Et hoc apparet, quia puellæ non possunt gignere, vsque incipiant habere menstrua, & postquam desierint habere menstrua, etiam non possunt gignere, nisi supernaturaliter. Sicut Genes. 18. de Sarra, quòd cum esset prouectæ ætatis, desierant fieri muliebria; Ergo menstruum est materia apta ad formationem fętus. Ergo Corpus Christi non fuit conceptum de sanguine, qui erat in venis, sed de menstruo. Cum autem dicit Damascenus, quòd Corpus Christi fuit formatum de purissimis sanguinibus, benè dicit, si intelligit de sanguinibus menstrualibus, quos natura seruat ad formationem fętus, qui sunt puriores, & præciosiores, quàm sanguines

venarũ. Et quia aliquis posset dicere, quòd Corpus Christi, licet non fuerit formatum ex semine virili, fuit ibi aliqua alia materia de humoribus Virginis, ad tollendum hoc, dixit Damascenus, quòd fuit formatum de purissimis sanguinibus, idest non fuit ibi aliqua alia materia, nisi sanguis purus, qui est sanguis menstrualis.

Et ista Conceptio Christi facta fuit in instanti, & non successiuè: Conceptiones hominum, & aliorum animalium, fiunt successiuè: quia Conceptio dicitur perfecta formatio corporis animalis, & non completur in viro, nisi vsque ad diem quadragesimum, à decisione seminis: & in fœmina, vsque ad diem nonagesimum. Ergo vir non concipitur in instanti, sed in quadraginta diebus, & fœmina in nonaginta, vt ait Aristot. lib. 9. de Animalibus.

In Christi Conceptione, non fuit ista successio, sed in instanti facta est, scilicet subitò ipsa materia menstrualis, quæ iam sufficienter erat præparata per Beatam Virginem, quantum poterat præparari naturaliter, accepit formam, & figuram corporis humani, & animam, & assumptæ sunt istæ partes humanæ naturæ in vnitatem Diuinæ personæ.

Item oportet dicere secundum fidem, quòd subitò fuerit facta ista Conceptio, quia humana natura, non fuit prius assumpta à verbo, quàm esset perfecta tota, secundum speciem suam: nam partes humanæ naturæ non sunt per se assumptibiles, sed ratione totius, vt dicit Scot. in 3. sent. d. 2. q. 2. §. ideo quantum, &c. & S. Tho. 2. sent. dist. 2. Corpus autem Christi non nisi per animam est assumptibile. Proprietates autem, & accidentia humanæ naturæ, non dicuntur de filio Dei ante assumptionem, cũ propter ipsam naturam assumptam, fiat communicatio idiomatũ: ergo quidquid humanum de filio Dei dicitur, non potuit præcedere conceptionem naturæ humanę. Conceptio autem de filio Dei, dicitur. *Qui conceptus est de Spiritu Sãcto.* Oportet ergo, quòd conceptio Christi non præcedat tempore materiam carnis completam, quia quando esset incompleta, non esset assumpta, cum nondùm esset ibi natura humana; & sic per conceptionẽ illius carnis imperfectæ, nõ diceretur Christus cõcipi. Oportet ergo, quòd

Chri-

Christus simul conciperetur,& conceptus esset, & tūc in eodem instanti,Christus est homo, & concipitur,& conceptus est,& naturam humanam assumpsit. Et sic necesse est ponere subitaneam Christi fuisse conceptionem,scilicet,quòd in eodem instanti, conuersus est sanguis menstrualis in carnem, & perfectē organizatum est corpus,& anima sibi vnita est,& persona diuina illam naturam assumpsit.Et sic non fuit Christus prius homo , quàm esset natura humana assumpta à verbo: & ista est causa , quare Deus,& homo in Christo non sunt duæ personæ,sed vnica,scilicet quia natura humana Christi, nunquā fuit per se suppositata,sed idē fuit instans, quando ista facta sunt; & Verbo vnita sunt, ita vt non potuerit acquiri ibi aliqua propria suppositalitas in natura humana , fuisset tamen hoc factum,si persona verbi non assumpsisset naturam humanam in ipso instanti,quò cepit esse : Si autem postea assumpsisset, necesse erat, quòd destruxisset suppositalitatem præexistentem , vt partes naturæ inciperent suppositari,& subsistere subsistentia verbi. Hoc autem non erat conueniens, quia destruere præexistentem suppositalitatem,non erat aliud,nisi destruere vnum hominem,qui iam esset,& partes eius sumi à verbo,vt iam non essent partes illius hominis,qui prius fuerat;sed partes ipsius personæ verbi.Nam licet potuerit Christi assūptio fieri de partibus iam præexistentibus in supposito, non tamen fuit conueniens, propter causam dictam,sed solùm, quòd verbum diuinum assumeret quandam naturam humanam particularem,quæ in eodem instanti formaretur,vel ad esse deduceretur.Sit ergo cōclusio,quòd Corpus Christi in instanti fuit formatū perfectē, in parua quātitate,sicut vna apis, & vsque ad quadragesimum diem crescendo peruenit vsque ad illam quantitatem ad quam alij homines; & sic nullum corpus humanum proportionaliter fuit vnquam tàm paruæ quantitatis,aut esse potuit in principio suę humanitatis,sicut CorpusChristi: verum est, quod in illis quadraginta sex diebus creuit,& peruenit ad tantam magnitudinem, in quāta sunt alia corpora humana,in principio suæ conceptionis,quę finitur illo die quadragesimo.

Propositiones negandæ, vel concedendæ in hac materia.

1 In Christo est vnica persona Diuina, quæ vniuit sibi in tempore naturam humanam: & in hac vnione consistit hoc mysterium, duæ naturæ sunt in Christo, humana, & Diuina, & sunt tres substantiæ, Diuinitas, Anima, & Corpus.

2 Ista persona Diuina, assumpsit personam humanam, est hæretica, nullo modo concedenda, quia tunc reuera non esset vnio substantialis: nec Beatissima Virgo esset Mater Dei. Nam ideò homo est Deus, & Deus homo, quia humanitas non existit per se solitariè, & ideo Beatissima Virgo, est Mater Dei, quia non genuit humanitatem per se solitariè, sed hominem Deum.

3 Ista natura Diuina, vniuit sibi naturam humanam, est vera: quia prima propositio in hac materia est; quòd natura humana est vnita verbo; & quia essentia est idem cum verbo, ideò quòd immediatè est vnitum verbo, est vnitum essentiæ mediatè: & quia vnio fuit mediatè ad essentiam, Pater, & Spiritus Sanctus non sunt homo.

4 Ista, essentia Diuina est incarnata, conceditur à Magistro in 3. distin. 4. concedit eam Medina 3. parte qu. 3. art. 2. Sed melius erit eam declarare, & non absolutè pronuntiare, ne videantur significare, quod natura Diuina immediatè fuerit vnita carni, & facta homo: mediatè dicendum sicut prius.

5 Istæ propositiones: Natura Diuina est nata, natura Diuina est passa, est mortua; omnino sunt negandæ, quia in abstracto videtur significari, quòd prædicatum conueniat subiecto secundum se; in concreto bene conceditur, quòd Deus est mortuus, Deus est passus.

6 Ista, Deus. Factus est homo, est vera. Habetur in Symbolo: *Et homo factus est*. Et Ioan. 1. *Verbum caro factum est*.

7 Ista, Homo factus est Deus; negatur vt impropria, non tanquam falsa: quia solum significatur quòd homo est Deus per factionem. Si diceretur, Quidam homo factus est Deus; non esset tuta: quia significaretur quod quidã homo præexistens ante vnionem, factus est Deus: quod est error.

8 Ista,

8 Ista, Christus est prædestinatus, est vera: quia est homo non reprobatus: etiam est vera ista, Christus est prædestinatus filius Dei. Paulus. Sanctus Tho. 3. parte quæst. 24. art. 1.

9 Ista, filius Dei est prædestinatus est falsa: quia prædestinatio est ex gratia, & filio Dei omnia conueniunt ex natura, non ex gratia.

10 Ista, Natura humana Christi, est prædestinata, est vera.

11 Ista, Christus inquantum homo est filius Dei adoptiuus; non est proferenda in concione, sed non est hæretica.

12 Ista, Christus est bis genitus, bis natus in æternitate à Patre, in tempore ex Matre, est vera.

13 Ista, Christus est creatura, non est hæretica, est tamẽ fugienda in concione, quamuis concedant eam Sancti.

14 Ista, Christus incepit esse, nullo modo in concione est proferenda.

15 Sicut in Christo fuit duplex natura, sic duplex voluntas; humana, & Diuina: insuper appetitus sensitiuus.

16 Voluntas humana Christi, libera, absoluta, & efficax, semper fuit Deo conformis; oppositum est error: secundũ velle conditionatum voluit non mori, sed absolutè voluit mori. Oblatus est, quia ipse voluit. Isaiæ 53.

17 Christus secundum quód homo, erat minor Patre: iuxta illud Ioannis. *Pater maior me est.* Ideò potuit mereri sibi nomen, super omne nomen, gloriam corporis, non gloriam animæ, quam sine merito habuit ab instanti Cõceptionis: nobis meruit gratiam, & gloriam, & omnia quæ ordinantur ad nostram iustificationem, & hoc de iustitia, opus verò incarnationis fuit merè gratis; cætera ex meritis Christi nobis dantur.

18 Anima Christi ab instanti suæ Cõceptionis fuit beata in portione superiori, non autem in portione inferiori: & ideò dicebat. *Tristis est anima mea, &* [illegible] dest portio inferior.

19 Tria, Christi conceptum admirabilem [illegible]dunt. Primum, quòd non viri semine, sed spiritus sancti virtute factus est. Secundum, quod vno, eodemque momento, sta-

tim post Virginis assensum, sanctum Christi corpus omnibus suis membris, & lineamentis absolutum fuit. Tertium, quòd Anima carni prius coniuncta non fuit, quàm & ijsdem Diuinitas in propria hypostasi vniretur.

## *Verbum caro factum est.*

DVplex est Verbum; mentale, & vocale. Verbum mentale erat filius ante Incarnationé; quia sicut verbum mentale latet interius, non potest deponi nisi per vocem; sic filius qui prius latuit apud Patrem, mundo patuit per Incarnationem. Dicitur autem filius Dei verbum multiplici ratione.

Prima ratio, quia sicut verbum, mentem, quæ in se inuisibilis est indicat; Sic filius Patrem, qui in se inuisibilis est, mundo manifestauit. Vnde Exod. 33. Dicit Pater, *Non videbit me homo, & viuet*, & Ioan. 1. Canonica quarta. *Deum nemo vidit vnquam.* De qua manifestatione dicit Christus Ioannis 17. *Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi.*

Secunda ratio, quia sicut de corde, vel mente inuisibiliter procedit verbum; sic filius incompræhensibiliter de Patre. Vnde dicit Pater.

*Eructauit cor meum verbum bonum*, cor, ideſt secretum Diuinitatis. Vnde filio dicit Pater. *Ex vtero*, ideſt Diuinitatis secreto, *ante luciferum genui te.* Processit ergo verbum de mente, vel corde, & absque oris læsione, venit in os in incarnatione, ideſt in Beatam Virginem, quæ dicitur os ecclesiæ, quia pro ecclesia semper orat.

Tertia ratio, quia sicut verbum ad hoc, quòd mentem indicet, vocem induit; sic filius Dei, ad hoc, quod Patrem indicaret, carnem assumpsit, induit auté verbum de corde, vel mente exiens, humanam vocem in Ore, & Christus à Patre procedens, carnem humanam in Virgine, quę est os ecclesiæ, vt supra. Benè autem caro Christi dicitur vox, quia quicquid fecit in carne prædicat nobis, & docet nos quid debeamus facere. *Omnis Christi actio, nostra est* August. *lectio.* ait Augustinus de hac voce dicit. Ioan. in Apoc. 1.

Con-

*Conuersus sum, vt viderem vocem, quæ loquebatur mecum.*

Quarta ratio. Quia sicut Verbum vocem induit, mediãte officio linguæ: sic filius carnem mediante Spiritus Sancti operatione, qui in linguis igneis apparuit vehementer; Vnde dicitur conceptus de Spiritu Sancto.

Quinta ratio. Quia sicut verbum in ore, voce assumpta ab ipso ore procedit, absque ipsius oris læsione; & si bonum fuerit verbum, ipsum os reddit commendabile: Sic filius Dei carnem sumens ex Virgine, ex ea processit absque corruptione, & dolore in sua Natiuitate. Vnde dicitur. *Tanquam sponsus procedens, &c.* Vnde & Virgo Beata propter hoc prædicatur ab omni generatione, & sicut bona species, quæ diu moram fecit in ore, os ipsum reddit aromaticum. Sic Christus qui se appellat cinamomũ, & balsamum aromaticum, odoriferam reddidit matrem suam. Vnde & dicitur ipsa rosa plantata in Hierico, quod interprætatur odor oris, vel odor eius. Item, sicut vox, vel verbum, intrat locum conclusum, & exit ab eo: sic Dei filius, virginis vterum. Item, sicut voce transeunte, manet verbum; sic carne filij transeunte per mortem, Diuinitas mansit impassibilis.

## *Verbum caro factum est multiplici ratione.*

PRima ratio. Verbum, idest filius Dei, caro factũ est, ut caro fieret Deus. Vnde Ioan. 1. *Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Recipiendo enim filium Dei per fidem, nos carnales efficimur filij Dei.

Secunda. Quia homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, secundum animam vnitus est filius Dei carni nostræ, vt dicit Paulus ad Philipp. 2. *In similitudinẽ hominum factus*, &c. vt homo similis esset creatori, tàm in carne, quàm in anima, & saluaretur in vtroque.

Tertia. Quia carnales sumus, & carnem diligimus, factum est Verbũ caro; quia quodlibet simile, naturaliter appetit suum simile. Et ideò factus est nobis similis secũdum carnem, vt ipsum appeteremus, & diligeremus.

Quar-

4 Factus est Christus caro tenera, vt esset cibus infantium, qui in Diuinitate erat refectio Angelorum. Et ideò dicitur, quòd panem Angelorum manducauit homo.
5 Venit filius Dei tectus nube carnis, vt videri posset à nobis, & agnosci Idelphonsus, *qualiter ingressus est Christus in Virginem, nemo nouit: qualiter egressus, egressio sola cognoscit, absque veste Deus (vt ita dicam) ingreditur, qui vt certè dicam carne vestitus egreditur.* Itē Nota, quòd sicut hoc verbum semel venit ad nos, & caro factum est, vt habitaret in nobis. Sic quotidie venit ad nos in spiritu, vt habitet in nobis. Parab. 8. *Delitiæ meæ esse cum filijs hominum.*

## *Verbum caro factum est.*

FVit verbum istud actiuum, *quia omnia per ipsum facta sunt* Ioan. 1. fuit passiuum, quia pro nobis passus est in cruce. Fuit deponens, quia deposuit in cruce peccata nostra, quæ tulit in suo corpore super lignum 1. Petri 2. fuit neutri generis, quia nec purus Deus, nec purus homo. Fuit Communis, quia Deus, & homo.

Item, Verbum caro factum est. Notantur tria. Primum veritas Incarnationis Christi. Contra Manichæum, qui dicit, Christum assumpsisse corpus phantasticum; ideò dicitur caro. Item humilitas, non quælibet, sed vltima; quia non dicit, Verbum factum est anima, vel homo, sed caro: & assumpsit inferiorem partem. Item, non dicit, verbum factum est homo, quamuis benè dixisset, quia non assumpsit peccatum. Nec dicit, Verbum factum est anima, quia non assumpsit ignorantiam, sed caro, quia defectus carnis assumpsit tertio notatur vtilitas, vbi dicitur. Et habitauit in nobis.

Primò vt carnis obbrobrium tolleret, quia per peccatum Adæ factus est omnis homo mendax, & iniquitas, quia nemo bonus, nisi solus Deus. Ideò dicitur Verbum, quasi verum bonum, contra malitiam, caro contra falsitatem.

Aliter Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, vt

vt iam non tantum Emmanuel, ideſt nobiscũ Deus voca ri poſſit,ſed etiam nominetur in nobis Deus; expiæſſius enim ſonat,in,quàm, cũ, quia cum,dicit communionem, ſiue conſortium, in vero dicit vnionem.

Et Nota, quod quando dicitur, Verbum caro factum eſt,nomine carnis ſignatur humana natura, conſtans ex corpore,& anima:& ideo potius dicitur caro,quàm homo,vt ſignificaret quod totam ex vna carne naturam carnis aſſumpſit, niſi diceretur, factus eſt homo ex duplici carne,ſicut aliorum hominum ipſius caro generata videretur. Venit igitur verbum creans, vt crearet verbum creatum,ſcilicet hominem;nam omnis creatura verbum eſt.Sicut dicitur. *Iſa.39.Non fuit verbum, quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua.*

Venit quoque filius naturalis, vt filios in adoptionem præpararet;venit Alpha ad O,vt O,reuolaret ad A.Venit primus ad nouiſſimum,vt nouiſſimus exaltaretur ad primum,primus quidem inter rationabilia Deus eſt. homo nouiſſimus,venit principium,& finis,vt ſic hominem cõſummando finiret,& ipſum faceret principiũ.Venit ſplẽdor gloriæ ad vmbram mortis. Venit candor in nigredinem,quia facies omnium vt nigredo ollæ. Venit ſpeculũ ſine macula,ad faciem maculoſam. Venit via ad errantes,veritas ad mendaces,vita ad mortales,& huiuſmodi; & hoc totum nobis præſtitum eſt per Mariam.

Et Nota,quod in vtero virginali, tria mirabilia facta ſunt.

Primum mirabile, quia ibi Deus factus eſt homo,antiquus dierum puer,Verbum, infans, æternus,temporalis, immortalis,mortalis,immẽſus,paruulus,Leo,Agnus,creator,creatura,Verbum caro factum eſt. Hiere.31. *Creauit Dominus nouum ſuper terram, Mulier circumdabit virum,* perfectum ſcientia,& virtute.

Secundum mirabile,quia qui fecit ventrem,factus eſt in eodem ventre;hoc eſt magnum mirabile, ſicut ſi quis faceret domum,& poſtea naſceretur in eadẽ domo. Ideo dicitur in Pſal.

*Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei, homo natus eſt in ea,& ipſe fecit eam altiſſimus.*

Se-

Tertium mirabile, quia venter ille maiorem se continuit, id est Deum, quem totus non capit orbis, &c. Isai. 45. *Verè tu es Deus absconditus* in vtero virginali. De magnitudine enim illius dicitur. *Iob* 11. *Excelsior cælo est Diuinitate, quia verus Deus, inferno profundior humilitate, quia verus homo, longior terra, mensura eius per longanimitatem, latior mari, per charitatem.*

Item fœcunditas huius vêtris, tria beneficia exhibuit.

Primum iugum antiquæ captiuitatis amouit.

Secundum quod Diuinæ indignationis iram pacificauit.

Tertium quod notam humanæ iniquitatis deleuit. Captiuus enim tenebaris. O homo, per Mariam liberatus es. Offensam Dei incurreras, per Mariam reconciliatus es. Iniquus, & peccator extiteras, & per illã iustificatus es. Quid enim dulcius libertate, post captiuitatem? Iustificatione post impietatem? reconciliatione post offensam? Ad Mariam ergo, tota iustorum vita, deuota desideria, sanctæ meditationes, iustæ operationes, crebræ gratiarũ actiones, & cætera huiusmodi respicere debent, cum ex his omnibus præcipuè honoretur, quæ præ cæteris sanctis omnibus causa æternæ salutis operata est nobis. Age ergo tu, in tantis Mariæ respirans beneficijs, & ad ipsam, vota tua, & desideria conuerte, & dulce tibi sit, hãc fœcunditatem semper inquirere, &c.

## *Qua de causa ex Virgine voluerit Christus nasci.*

Ambr. *Ambrosius Serm. 37. Adam de terra virgine natus est, & Christus de Maria Virgine procreatus.*

Aug. *Augustinus Serm. 5. in Natali Domini. Primus Adam de limi materia figuratur, ecce etiam nunc secundus Adam, qua si de intacta, ac rudi terra Virginis de carne formatur.*

## *Secunda Causa.*

TErtullianus lib. de carne Christi. *Non decebat vt ex semine humano Dei filius nasceretur, ne si totus esset filius hominis, non esset & Dei filius, nihilque haberet amplius Salomone.* Ergo iam Dei filius ex patris Dei semine, idest spiritu, vt esset hominis filius, caro ei sola erat ex hominis carne sumenda, sine viri semine. Tertull.

Maximus Homil. 3. in Natali Domini. *Dei filius ab intacta natus est fœmina, vt Deum pariter, & hominem, testaretur partus humanus, & Deum probaret æterna virginitas.* Maxim.

Ignatius martyr. Epistola ad Heronem Diaconum. *Decebat namque Creatorem, non consueto, sed peregrino, & admirando vti partu, vtpotè omnium opificem.* Ignatius Martyr.

## *Tertia Causa.*

AVgustinus Serm. 7. in Natali Domini. *Diligamus præ omnibus castitatem, quia vt placere hanc sibi Christus ostenderet, pudicitiam vteri virginalis elegit.* August.

## *Quarta Causa.*

A*Vgustinus Serm. 10. in Natali Domini. Talis eligitur Virgo de toto mundo, quæ tantum haberet meritum, vt Dei filium in semetipsam susciperet, & post partum omni modo virgo permaneret.* August.

Basilius de humana Christi generatione. *Tantam Mariæ virginitatem, ac puritatem extitisse, vt in aliis fœminis nihil æquale, Deoque gratius reperiretur.* Basil.

## *Quinta Causa.*

SAnctus Tho, opusc. 3. c. 37. *Quandoquidem Christi corpus per Spiritum Sanctum formari debuit, oportuisse prorsus eam fœminam, de qua suum Christus corpus assumpsit, spiritualibus maximè donis imbui, ac repleri, vt non solùm*

eius

*eius anima virtutibus fœcunda, sed venter etiam prole diuina prægnans esset, vnde oportuit, non modo mentem eius à peccato immunem esse, sed & corpus eius ab omni corruptela carnalis concupiscentiæ elongari.*

Ambrosius lib. de Institut. Virg. cap. 5. *Non enim de terra, sed de cælo vas sibi hoc, per quod descenderet Christus elegit, & sacrauit templum pudoris.*

Ambros.

Sophronius Serm. de Assumptione Virginis. *Christum sponsum Virginum, idcirco matrem Virginem elegisse, vt ipsa omnibus esset exemplum castitatis, in qua velut in speculo refulgeat forma virtutis.*

Sophron.

## Sexta.

August.

AVgustinus de Sancta Virginitate capitulo 6. *Oportebat caput nostrum, propter insigne miraculum, secundum carnem nasci de Virgine, quo significaret, membra sua de Virgine Ecclesia, secundum spiritum nascitura.*

Gregor. Magnus

Gregorius Magnus in Psal. 4. pœnitentialem. *Sicut Maria Christum peperit Virgo, & post partum incorrupta permansit, ita Mater Ecclesia filios Dei sine dolore generat, & Virgo semper illibata perseuerat.*

S. Ambr

Sanctus Ambrosius lib. 2. in Lucam tom. 5. *Maluit Dominus aliquos de ortu suo dubitare, quàm de Matris pudore, sciebat enim teneram esse Virginis verecundiam, & lubricam famam pudoris, neque putauit ortus sui fidem, matris iniurijs astruendam, magis voluit, vt aliqui dubitarent, an esset filius Dei, siue Ioseph, quàm quòd Mater eius esset Virgo, et non maritata, & ideò voluit nasci de Matre maritata, ne Mater eius esset suspecta Adulterij, &c.*

Bernardus Homil. 1. super missus est. *A sæculo enim non est auditum, vt aliqua simul mater esset, & Virgo.*

Bern.

Idem Serm. 4. in Vigilia Natiuitatis Domini. *O verè nouitas inaudita, Virgo peperit, & post partum inuiolata permansit: fæcunditatem prolis cum carnis integritate, & gaudium matris habens cum virginitatis honore.*

Franco Abbas

Franco Abbas tom. 6. de gratia Dei. *Dignum enim erat,* in-

*inquit, vt qui corruptam in Adam massam sanare veniebat, non de semine corruptionis, sed de potentia Spiritus Sancti nasceretur.* Quæsita est ergo sponsa speciosissima, inter filias hominum, de cuius vtero tanquam sponsus de thalamo procederet, speciosus forma præ filijs hominum. Quæsitum est dignum sapientia Dei signaculum, sub quo signaret mysterium à sæculo absconditum, &c.

## ADDITIO.

DE Matre Virgine nasci decuit, vt in matre mortali, conciperetur mortalis, & in Virgine conciperetur iustus: necesse enim erat, vt quicunque per matris corruptionem conciperetur, ex peccato originali conciperetur iniustus, & hæc est Prima causa.

Secunda. Vt sicut per Euam Virginem facta fuit humani generis perditio; ita per Mariam Virginem fieret eiusdem reparatio. Vnde canit Ecclesia: *Paradisi porta per Euam cunctis clausa est, &c.*

Tertia. Vt qui in cęlis habebat Patrem sine Matre, haberet in terris Matrem sine Patre: & sic quasi duobus testibus probaretur Christi Diuinitas, in Matris Virginitate, & in Patris Diuinitate.

Bernardus Homil. 2. super Missus est. *Deus siquidem (Deus enim est quem peperit) Matrem suam singulari cælestibus donaturus gloria, singulari in terris prævenire curauit & gratia, qua videlicet ineffabiliter & intacta conciperet, & pareret incorrupta.* Bern.

Porrò Deum decebat huiusmodi Natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceretur, talis congruebat, & Virgini partus; vt non pareret nisi Deum. Prouidè factor hominum, vt homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, immò condere matrem, qualẽ & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata, immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus. Voluit & humilem, de qua mitis, & humilis corde prodiret: harum

in se virtutum necessarium omnibus, saluberrimumque exemplum ostensurus, dedit Virgini partum; qui ei iam ante, & virginitatis inspirauerat votum, & humilitatis prærogauerat meritum. Alioquin quomodò Angelus eã insequentibus gratia plenam præuuntiat, si quippiam vel parum boni, quod ex gratia non esset, habebat; Vt igitur quæ Sanctum Sanctorum conceptura erat, pariter, & paritura: sancta esset corpore, accepit donum virginitatis, vt esset & mente; accepit & humilitatis. His nimirum Virgo regia, gemmis ornata virtutum, geminoque mentis pariter, & corporis decore præfulgida; specie sua, & pulchritudine sua in cœlestibus cognita; cœli ciuium in se prouocauit aspectus; ita vt & Regis animam in sui concupiscentiam inclinaret, & cœlestem nuntium ad se educeret de supernis.

*Franco Abbas.* Et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Franco Abbas tomo 6. de gratia, ita ait. *Ne timeas pudicitiæ speculum, æstum libidinis, virtute Altissimi adumbraueris.*

*Euthim.* Euthimius ita interpretatur. *Virtus Dei te proteget, & potentem faciet ad huius rei operationem.*

Dionysius Carthusianus Virtus Altissimi: *hoc est omnipotens Deus Pater obumbrabit tibi, idest, suam potestatem immensam tuæ capacitati contemperabit, vt eius influentiam ferre queas.*

*Theofil.* Theofil. Obumbrabit, *hoc est, conteget te, & vndique circumdabit: sicut auis obumbrat pullos suos, totos alis complectens.*

*Athan.* Athanasius Serm. de Deipara. *Obumbrabit, inquit, virtus Altissimi, corrobans Virginem, & diuinæ vmbræ imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis, videre posset, quatenus possibile est, Deum formæ expertem in se concipi.*

Bernardus Serm. 3. de Ascensione. *Vnde, inquit, & Virgini spiritus legitur obumbrasse, ne vehementiori reuerberata splẽdore, ad candidissimam illam lucem, purissimumque fulgorem Diuinitatis, etiam illius Aquilæ acies posset hebetari.*

*Gregor. Nissen.* Gregorius Nissenus Serm. de Natiuitate Domini. *Ad filium traducit Altissimi Dei virtus, qui est Christus, superuentu Spiritus sancti in Virgine informatur.*

## *Virgo parturiens, clausa remansit, &c.*

AVgustin. tract. 121. in Ioannem. *Corporis Christi moli, vbi Diuinitas erat, ostia clausa non obstiterant, ille quippe non eis apertis intrare potuit, quo nascente virginitas Matris inuiolata permansit.*

Et lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8. *Non credunt, inquit, qui etiam Dominum nostrum Christum, per integra virginalia, matris enixum, & ad discipulos suos ostijs clausis ingressum fuisse non credunt.*

Gregorius Nissenus in Natalem Domini. *O Beatum vterũ, qui bonitatis præsentia, ad se animi traxit bona, in reliquis enim omnibus vix animus purus spiritus sancti præsentiam capit, hic autem caro fit spiritus receptaculum.* Gregor. Nissen.

Epiphanius Serm. de Laudibus Virginis: *O vterum impollutum, habentem circulum cælorũ, qui Deũ incõprehensum, in te verè comprehensum portasti: O vterum celo ampliorem, qui Deum in te non coarctasti. O vterum, qui cælum es, septem circulis constans, & capacius illis exištis. O vterum septem celis sublimiorem, atque latiorem. O vterum, qui es octauum cælum, septem firmamentis celsius. O vterum habentem inextinguibile lumen septies lucentis gratiæ.* Epiph.

Augustinus Serm. 35. de Sanctis. *O virgo Dei Genitrix gloriosa, ò sublimis puerpera, cuius visceribus auctor celi, terraque committitur.* August.

Et Serm. 9. de Tempore. *O fæmina super fæminas, quæ & virum non cognouit, & virum in vtero circumdedit, quæ concubitu carnali non tangitur, & tamen carnea prole, de spirituali semine gratulatur.*

Andreas Hierosolymitanus. *Nam qui matricem, præter omniũ spem, vt in Sarra, Rachel, Rebeccha, Elisabeth, prolificã in senectute reddere põt, virginem quoque grauidam exhibebit.* Andr. Hieros.

Ruffinus in Symbolo Virginis partum, & contra Iudæos, & contra Gentiles, argumentis etiã cõfirmat: quorum quædam E, natura alia ex figmentis gentilium ducta sunt. *Et quid mirum videtur, ait, si virgo conceperit: cum Orientis auem, quam phenicem vocant, in tantum sine coniuge* Ruffinus

*nasci, vel renasci constet, vt semper vna sit, & sibi ipsi nascendo, vel remanendo succedat?*

*Apes certè nescire coniugia, nec fatus nexibus edere: omnibus palam est. Gentiles credebant Mineruam de cerebro Iouis natā fuisse. Venerem de spuma maris. Pollucem, & Castorem de ouo. Mirmidones ex formica. Homines ex lapidibus à deucalione. Et Pyrra iactis natos esse credunt.* eadem argumenta sequitur Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 12.

Hieron. Et tamen non est impossibile apud Deum omne verbum. Verbum autem hic, & in multis alijs locis, pro rebus debemus accipere; inquit Hieronymus li. 6. in Hiere. cap. 21. Sic dicitur Genesi 20.

*Quid fecisti verbum hoc?* idest, rem istam, & Exodi 18. *Non est bonum istud verbum, quod tu facis.* Exod. 9. *Cras faciet Dominus verbum istud in terra,* & Psal. 56. *Tota die dolore afficiebant me verba mea*, idest negotia Esai. 39. *Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in tota domo sua.* Act. 5. *Nos sumus testes horum verborum,* idest harum rerū. Igitur nihil est impossibile apud Deum Eccl. *Omne, quod voluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est.*

Bern. Bernardus Serm. 4. de Annunciatione. *Apud Dominum idem est facere, quòd loqui, & loqui, quod velle. Meritò ergo noueris non esse impossibile omne verbum.* Paralitico dixit. *Surge, & ambula.* Lazaro dixit, *Veni foras, & statim prodijt qui erat ligatus,* & tandem dicitur Deus omnipotens, ergo omnia potest, ergo potuit facere, vt Virgo Maria conciperet, & pareret, & Virgo remaneret. Itaque Verbum, seu pro re, seu pro Dei promissione sumatur; secum importat facultatem, vt neque in ipsis naturæ difficultatibus hæreas, cum etiam impossibilia nobis perficiat.

# ADDITIO.

## De Partu Virgineo.

DE glorioso partu Virginis, sine tristitia, & dolore, admirabili. *Isa. 66. exclamat. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius peperit masculum. Quis vnquam tale, aut quis huic simile?* Et sunt hic quatuor notabilia, videlicet; Quę peperit, Quomodo peperit, Quem peperit, Qualem peperit. Quæ peperit, innuitur cum dicit, peperit, innuitur enim quòd aliquem peperit. Admirabile verò nomen eius, quasi ineffabile tacuit, quòd est Virgo Mater: modum notauit, cum ait; Antequam parturiret. Quem peperit, innuit, vbi dicit, peperit. Cuius nomen quasi ineffabile tacet, quod est Deus homo, Verbum infans; Qualem peperit, vbi ait. Masculũ. Propter hæc quatuor, dicit, quòd nunquam auditum fuerit tale; vt Virgo Mater, Deus homo, Verbum infans; sed tale decuit esse nostræ redemptionis initium.

Intrauit enim nostra ruina per mulierem, de solo viro productam, propter hoc decuit, vt esset nostra redẽptio, & reparatio per virum, de sola muliere productum, vt esset simile in contrario: mirabile fuit, quòd Dominus de solo Adam primo homine, mulierem produxit: mutatum fuit mirabile, cum de sola muliere secundus Adam productus est. Hæc est quarta generatio, de qua dictum est Abrahæ Genes. 15. *Quòd semen eius, quarta generatione de seruitute Aegyptiorum liberatum exiret*

Primum generationis genus fuit plasmatio, quando Adam de terra plasmatus est.

Secundum de Costa formatio.

Tertium propagatio sic enim filij hominum de parentibus secundum propagationem nascuntur.

Quartum verò genus, est de sola muliere propagatio, sed hæc quarta generatio data humano generi, semini Abrahæ causa extitit exeundi de Aegyptiaca seruitute, quasi à Diaboli tyrannide.

Secundum mirabile, Qualiter peperit. Vnde dicitur; Antequam parturiret, peperit; parturire, est ante partum, & in partu laborare.

Quid est ergo, antequam parturiret, peperit, nisi quòd non præcedente, vel concomitãte dolore partum edidit? Sed quis audiuit vnquam tale? Lex enim data est mulieribus, *In dolore paries filios.* Gen. 3. *Mulier cum parit, tristitiam hab.* I. Io. 16.

Lex igitur naturæ est, quòd mulier primò parturiat, antequam pariat. Sed Maria non fuit subdita huic legi, quia sine dolore, idest, sine naturalium læsione, peperit Saluatorem.

Tertium mirabile. Quem peperit, scilicet Deum hominem, & hoc necessitati humani generis congruebat; pacem enim inter Deum, & hominem purus homo reformare non potuit, quia in eadem damnatione cum reo erat. Ideo conquærebatur Iob cap. 9. in persona generis humani, dicens.

*Non est, qui vtrumque possit arguere, & ponere manum suam in ambobus.* Solus Christus Deus homo factus, & hominem arguere potuit, & Deo obsistere ne feriret. Vides ergo quàm congruum vocabulum Redemptoris Deus homo; & hoc longè ante prophetarum erat. Isa. 54.

*Redemptor tuus fortis Israel, Deus omnis terræ vocabitur*

Tria in Incarnatione facta sunt mirabilia; Deus homo, Verbum infans, & cor credẽs. Verbum, quod in principio erat apud Deum, verbum, quod dixit Pater, & facta sunt omnia: Verbum, quo intonante in iudicio audient pulueres, & in corpora reuertentur: Verbum, quo in passione lapides scissi sunt, & monumenta aperta sunt. Sed dicet quis, quomodo si Verbum est, infans est? Si enim infans, non fatur; si non fatur, Verbum non est. Quomodo ergo, & verbum, & verbum est, & verbum non est? Ideo cum Isaia dicamus; *Quis audiuit vnquam tale?* Audisti verbum, audi Infantem. *Luca 2. Dictum est pastoribus. Inuenietis infantem, &c.*

Intrante enim hoc infante in Aegyptum, corruerunt simulacra Aegypti.


Quar-

Quartum mirabile scilicet, Qualem peperit, quia masculum, idest, bellatorem: bellatorem decuit, quia tunc fortis armatus custodiebat atrium suum, idest mundum: & erat in pace possessio eius, idest genus humanũ. Luc. 11 Sed pugnante, & congrediente Domino contra Diabolum in passione *princeps mundi huius eiectus est foras*. Ioan. 12. Et tunc impletum est illud Isa. 19.

*Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos*: Ecce apparet, qualem Virgo genuit.

Audi etiam de Matre. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Quantum hoc esse putas? quàm magnum? quàm mirum? quàm insolitum? quàm stupendum? quale, vel quàm magnæ rei signum? A sæculo non est auditum, Virginem concepisse, Virginem parere, & post partum inuiolatam permanere. Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ.

In eo, quòd dicitur Virgo conceptura, & Virgo paritura, apertè monstratur, quòd vtraque futura erat munda, & caro generans, & caro generata. Poterat ergo solus huius puerperę filius, pro hac parte, cantare canticum nouum Domino. Sine iniquitatibus conceptus sum, & sine peccato concepit me Mater mea.



# EXPOSITIO

## illorum verborum.

## *Et non cognouit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.*

## *Matth. 1.*

ALiqui exponunt, non cognouit eam, ideſt non cognouit Ioſeph poſtquam Maria concepit, quantæ dignitatis erat, ſed poſtquam peperit, cognouit eam, ideſt quantæ dignitatis ipſa erat: quia à conceptu vſque ad partum, dignitas Virginis erat inextimabilis, quia erat dignior toto ſæculo. Et ſic in iſta dictione, donec, non poteſt fieri aliqua calumnia.

Sed iſta expoſitio non quadrat litteræ, quia quando Scriptura Sacra loquitur de cognitione, intelligit de carnali, vt Geneſ.4. *Adam cognouit vxorem ſuam.* Et Matth. loquitur de accipere vxorem, & parere. Ergo magis accommodata eſt cognitio carnalis, quàm aliqua alia.

Alij exponunt de cognitione vultus, ſcilicet, quamdiù Maria tenuit Chriſtum in vtero, fulgebat vultus eius, quadam glorifica claritate: ita vt Ioſeph non poſſet aſpicere in eam, nec cognoſcere vultum eius, propter infirmitatem oculorum, ſicut non poſſumus ſolem intueri, ſicut fuit de Moyſe, quãdo ſtetit cum Domino in monte: quia ex conſortio ſermonis Domini, erat facies eius cornuta, & quando venit ad populum, non poterat populus intendere in vultum eius, propter fulgorem; ſed oportebat Moyſem vultum ſuum velare, cum loqueretur. Exod. 24.

Postquam autem peperit Maria, cognouit eam Ioseph: idest, potuit cognoscere vultum eius, quia cessauit ille fulgor, egresso Christo de vtero. Sed ista expositio non quadrat litteræ, quia iste fulgor durasset nouem menses, quamdiù Christus fuit in vtero Virginis, & sic non solùm Ioseph, sed omnes alij, cum quibus loquebatur, & conuersabatur Maria, non potuissent respicere in eam, & suspicarentur, quòd esset malefica, & quòd opere magico illum fulgorem faceret. Et sic Domina nostra pateretur scandalum.

Vera responsio est, quòd Matthæus loquitur de cognitione carnali; sicut Hieronymus super Matth. Et quia aliqui dicere poterant, quòd Ioseph carnaliter cognouit Mariam: ideò expressit, & dixit: & non cognouit eam, vt crederemus, quód de Spiritu Sācto Christus conceptus est.

Circa illud aduerbium, donec, dico, quòd non semper importat alium actum sequi, sed aliquando potest esse, quòd nullus actus sequatur. Vt in Psal. 109. Dicit Pater ad filium. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos meos scabellum pedum tuorum.*

Non est tamen sensus, quòd postquam Deus subijceret inimicos Christi pedibus eius, desineret sedere ad dexteram Patris, quia in æternum sedet, cum sit filius eius naturalis, & consubstantialis: & necesse est eum semper esse æqualem Patri, quod est esse ad dexteram.

Et accipiendo etiam secundum humanitatem, nunquā cessabit sedere. Immò subiectis inimicis, videbitur humanitas Christi esse in maiori gloria, quòd importatur per sedere ad dexteram.

Nam quando inimici Christi non erant sibi subiecti, eo viuente cum eum impugnabant, erat Christus secundùm humanitatem in minori honore; & tamen tunc sedebat adhuc ad dexteram Patris, secundùm æqualitatem naturæ.

Post resurrectionem autem, quando inceperunt inimici eius subijci sibi, cępit humanitas sua esse in maiori honore. Nam dixit Apostolis. *Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terra*: Ergo à fortiori tunc sedet à dextris Dei.

Et sic non ponitur, donec, nisi ad tollendum dubium; quia dubium erat, an antequam essent subiecti Christo inimici sui, sederet ad dexttram Dei: quia de post, non erat dubium, cum post esset honorabilior. Ideò cum dicitur, Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos etiam innuitur, quòd sedeat à dextris Dei in æternum. Sic etiam dicitur Psal. 142.

*Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Non est autem sensus, quòd postquam Deus misertus fuerit nobis, debeamus oculos nostros ab eo auertere, sed semper debemus habere oculos nostros ad ipsum.

Ità hic solùm ponitur, donec, ad tollendum dubium, quia solùm erat nobis dubium, an Maria cognita fuerit à Ioseph ante Christi Natiuitatem; cum non fiat Conceptio naturaliter sine semine: Posteà verò non erat aliqua causa dubitandi, cum Maria posteà non concepit, nec peperit.

Ideò dicere, quòd Ioseph non cognouit Mariam, donec peperit filium, est dicere, quòd nunquàm cognouit eam; sed virtute Spiritus Sancti fuit Christus conceptus.

Sed aduertendum est, quòd quando dicitur, quòd virtute Spiritus sancti facta fuit Conceptio Christi; non intelligitur, quod solùm persona Spiritus Sancti, operata sit Conceptionem Christi: sed quod tota Trinitas, Conceptionem Christi operata est. Nam opera Trinitatis ad extrà indiuisa sunt, quia omnes tres personæ operantur singulas res per vnicam, & eandem operationem.

Miraculum ergo, quod in Christi Conceptione fuit, à tota Trinitate simul factum est. Nec potuit vna persona operari, alia non operante: quia tunc posset vna habere principium operatiuum, quod non haberet alia: & tamé falsum est, quia natura est principium operandi, & illa est eadem numero in tribus.

Ergo non potest vna operari, quin alia operetur. Sicut si tres possent habere eũdem oculum numero, non posset aliquis eorum videre per illũ, quin viderent omnes tres, quia omnium trium est, & æqualiter omnium trium.

Item

Item dicendum,quod non solum tres personæ operantur simul eandem rem,sed etiam operantur vnica operatione,licet ipsę sint tres,cum principium operandi sit idem: & multiplicatur operatio, à multiplicatione principij operatiui, sicut dixi de tribus habentibus eundem oculum,nam cum simul viderint, nõ erunt tres visiones,sed vnica visio, quia vnicus est motus in sensu, cum sit vnicum organum,& vnica est species immutans.
Itá dicendum,quod cum tres personæ operantur, quælibet earum æqualiter operatur. Nam æqualitas,vel inæqualitas operationis, prouenit ex maioritate,vel minoritate principij operatiui: Sed principium operatiuum est idem in tribus,quia est idem numero: Ergo est operatio æqualis inter eas; sicut in tribus habentibus vnum oculum,quilibet trium videt, sicut alius, quia ille oculus est idem respectu cuiuslibet eorum.

Necesse est igitur, non solùm istam operationem Conceptionis Christi,factam esse simul à tota Trinitate, non distinguendo aliquam personam, cuius sit illa operatio, magis quàm alterius; sed etiam omnes alias operationes à tota Trinitate esse,necesse est,quod intelligitur de operationibus propriè dictis,quæ sunt ad extrà: nam in Diuinis sunt quidem actus notionales, vt giguere,& spirare,& gigni,& spirari, qui non vocantur propriè operationes,sed actus,seu productiones,& istę conueniunt singulis personis,quia per istos constituuntur, & producuntur,& tota Trinitas, siue natura Diuina, non habet aliquem actum notionaliter; quia non gignit,nec gignitur, non spirat,nec spiratur:loquendo ergo propriè de Christi Conceptione, non est conceptus de Spiritusancto,sed de tota Trinitate.

Verum est,quòd Spiritus sanctus potest accipi substantialiter,vel personaliter, substantialiter tota Trinitas,siue natura Diuina, vocatur Spiritus sanctus, quia Deus spiritus est.Ioan.4.Et etiam est sanctus, quia Deus nihil contaminatum habet, ideò vocatur Spiritus sanctus. Et tunc idem est dici, Christum esse conceptum de Spiritu sancto,quod esse conceptum opere diuino, per totam Trinitatem.

Quia tamen communiter Doctores antiqui, & etiam moderni, accipiunt Spiritum Sanctum hic, & in alijs locis personaliter, poterit accipi personaliter, & tunc dicemus, quòd licet non operatus fuerit solus Spiritus Sanctus Christi Conceptionem, ei tamen appropriatur propter tria.

Primò, propter causam Incarnationis, quæ consideratur ex parte Dei. Est enim Spiritus Sanctus amor Patris, & filij; prouenit tamen ex maximo Dei amore, quòd filius Dei carnem assumeret. Vt dicitur Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: Ergo per Spiritum Sanctum, qui est amor, hoc factum esse dicitur.

Secundò conuenit hoc ex parte naturæ assumptę, quia cum dicitur, facta conceptio per Spiritum Sanctum, innuitur, quòd natura humana assumpta est à filio Dei, in vnitate personæ, nõ ex aliquibus meritis nostris, nec per dignitatem naturæ humanæ, sed ex sola gratia, quæ soli Spiritui Sancto attribuitur.

Tertiò conuenit ex termino Incarnationis; ad hoc enim terminata est Incarnatio, vt homo ille qui concipiebatur, esset Sanctus, & filius Dei: Vtrumque eorum attribuitur Spiritui Sancto. Nam per ipsum efficiuntur homines filij Dei. Ad Galat. 3.

*Quoniam estis filij Dei, misit Deus Spiritum filij sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater*: etiam per Spiritum Sanctũ, Sancti efficimur. Ideò ad Rom. 1. Vocatur spiritus sanctificationis. Sicut ergo alij homines per Spiritum sanctum, sanctificantur spiritualiter, vt sint filij Dei adoptiui: ita Christus per Spiritum Sanctum, est in sanctitate conceptus, vt esset filius Dei naturalis: & ideò quando dicitur.

*Quòd enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, idest, fœtus formatus in ea, non est formatus, vel organizatas, per spiritum seminis masculini, sed per spiritum Dei, qui sanctus est, vel vocatur Spiritus Sanctus. Sed Notãdum est, quòd Damasc. 3. sententiarum suarum dicit, *quòd obumbrauit super Mariam Dei sapientia, & virtus, velut diuinum semen*, vbi videtur, quod Spiritus sanctus se habuerit pro

Damasc.

se-

semine in conceptione Christi. Hieronymus contrarium tenet, ideſt, quòd *Spiritus Sanctus non fuit pro ſemine*, & bene dicit, quia abſurdum eſt eredere, quòd Spiritus ſanctus fuerit pro ſemine, ideſt, quòd oppoſuerit aliquod ſemen corporale, vel aliquam virtutem corporalem loco ſeminis. Hierony

Sed Damaſcenus intelligendus eſt, quòd Spiritus ſanctus fuit pro ſemine, ideſt, quòd ipſe virtute ſua ſupernaturali, ſuppleuit in Conceptione iſta, quicquid feciſſet ſemen maſculinum, ſi ibi fuiſſet; & ſic intelligit Hieronymus.

Fuit etiam Virgo poſt partum, & faciliùs erat Virginem eſſe poſt partum, quàm prius: nam ſi ante conceptũ, & in partu Virgo fuit, à fortiori poſt partum, cum nulla neceſſitas corruptionis maneret, quia, vt conciperet neceſſe erat naturaliter perdi Virginitatem, vel ſaltem ſuſcipere ſemen, vt pareret, omnino neceſſarium erat naturaliter fieri corruptionem, vt tamen poſtea incorrupta maneret, nihil obſtabat, niſi voluntas, cum iam nec concipere, nec parere, quicquam neceſſe erat. Iſta Virginitas perpetua Mariæ deſignata fuit in Ezechielem, per portam clauſam in domo Domini, quæ nunquam aperietur, & vir non intrabit per eam.

Auguſtinus in quodam Sermone exponens, dicit. Auguſt.

*Quid eſt porta clauſa, niſi Maria ſemper intacta? Quid eſt, homo non tranſibit per eam, niſi quòd Ioſeph non cognoſcet eã? Et quid eſt, Deus ſolus ingreditur, & egreditur per eam, niſi Spiritus Sanctus impregnauit eam? Et quid eſt, clauſa erit in æternum, niſi quòd Maria, Virgo eſt ante partum, & Virgo in partu, & Virgo poſt partum?*

Et conueniebat Virgini, remanere Virginem poſt partum, propter multa.

Primò quia derogaret hoc perfectioni, & dignitati Chriſti; quia ſicut ſecundum naturam Diuinam eſt Vnigenitus Dei patris, tanquam perfectus filius; quo exiſtente, non eſt neceſſe alium gigni: ita decuit, vt eſſet vnigenitus Matris, quia velle alios gignere, erat innuere, quòd iſte non erat perfectum bonum, & ſolatium Matris, ita vt eo exiſtente, Mater adhuc alios filios cuperet.

Se-

Secundò fecisset iniuriam Spiritui sancto, cuius sacrarium fuit vterus Virginis, in quo carnem Christi formauit. Vnde non decebat propter honorem Spiritus sancti, vt quis conaretur illud pollüere, quòd Spiritus sanctus fœcundauerat, & specialiter consecrauerat.

Tertiò derogasset dignitati, & sanctitati Mariæ, quæ in gratissima videretur, si hoc filio tanto, contenta non esset; & si Virginitaté, quæ in ea miraculosè seruata fuerat, spontè perdere vellet, per carnis concubitum.

Quartò si Ioseph hoc attentaret, esset sibi imputandũ ad magnam temeritatem: cum Angelus reuelasset ei mysterium, scilicet, quòd Spiritus sanctus Virginem fœcundauerat. Quòd ergo ipse vellet nunc violare templum Spiritus sancti, esset summa temeritas.

Quinto. Quia si Maria post hoc, ab aliquo vellet cognosci, videretur hoc esse, propter solum desiderium libidinis: nam matrimonium istud factum fuerat, vt haberetur ista proles, non quidem ex eo, sed vt cõseruaretur per illud. Nihil ergo erat iam necessarium pertinens ad matrimonium, cum proles perfecta haberetur: ergo velle cognosci post hoc, propter incontinentiam, & infirmitatem carnis esset, quæ imperfectio non est ponenda in Virgine.

Sextò. Quia retrocederet Virgo à proposito suo. Nam quando Angelus dixit ei, quòd conciperet Messiam, quodammodo turbabatur, ne per hoc oporteret eam cognosci à viro, dicens. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Ergo à fortiori intendebat postea, quando non esset necessitas concipiendi, manere in perpetua continentia. Sed post Christi Natiuitatem non fuit aliqua necessitas concipiendi: Ergo Maria post hoc seruaret incorruptionem, nisi mutaret propositum. Mutare autem propositum in tali re, est magna imperfectio: quia. Nemo mittens manum ad aratrum, &c.

Beata Maria concipiendo Christum, fuit Virgo. Ecce virgo concipiet. Isa. 7. & quatuor de causis debebat Maria concipiendo remanere virgo.

Primo propter patris sui mittentis dignitatem conseruandam.

Cum

Cum enim Christus sit verus,& naturalis filius Dei, non fuit conueniens,quòd alium patrem haberet,ne dignitas Dei Patris communicaretur alteri.

Secundò fuit conueniens ipsi Christo, qui est verbum Dei. Verbum autem absque omni corruptione cordis concipitur,immò cordis corruptio, non permittit perfectam verbi Conceptionem,& quia caro sic fuit assumpta à Verbo Diuino, quòd esset caro verbi Dei: conueniens fuit, quòd ipse de Matre, sine corruptione matris conciperetur, sicut Verbum de Patre sine corruptione genitum est.

Tertiò conueniebat hoc propter dignitatem humanitatis Christi,in qua peccatum locum habere non debuit, cum per ipsam omnia peeccata tollerentur. Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei*,idest innocens sicut Agnus, qui tollit peccata mundi: non poterat autem in natura iam corrupta, ex concubitu nasci caro,sine infectione aliqua.

Quartò fuit conueniens, propter finem Incarnationis Christi;quę ad hoc fuit,vt homines renascerētur in filios Dei,non ex voluptate carnis, nec ex voluptate viri, sed ex Deo:idest,ex virtute Dei,cuius rei exemplar apparere debuit in Christi conceptione.

Fuit etiam Virgo Maria, Virgo in partu,& conueniebat propter tria.

Primò propter proprietatem eius,qui nascebatur, qui est Verbum Dei. Verbum autem,non solùm in corde absque corruptione concipitur, sed etiam absque cordis corruptione de ipso procedit: Vt ergo ostenderetur illud esse corpus verbi Dei,conueniens fuit,vt ex incorrupto virginis vtero nasceretur.

Secundò fuit conueniens, quantùm ad effectum Incarnationis Christi: nam ad hoc venit, vt nostram corruptionem tolleret; non ergo fuit conueniens, vt virginitatem Matris nascendo corrumperet. Vnde Augustinus in quodam Sermone de Natiuitate Domini,ait. *Quòd fas non erat, vt per eius aduentum violaretur integritas,qui venit sanare corrupta.*

Tertiò,ne Matris honorem nascendo diminueret, qui parentes præceperat honorandos.

Erat

Erat enim valde inconueniens, vt cum Virginitatem Matris, in conceptu supernaturaliter custodierat, in partu illam perire permitteret.

*Epiph.* Vnde Epiphanius lib.3.tom.2.Here.78. *Quis vnquàm, aut quo sæculo ausus est proferre nomen Sanctæ Mariæ, & interrogatus non statim intulit Virginis vocem?*

Ex ipsis enim nominibus epithetis, etiam virtutis signa elucent. Dignitates etenim appellationem acceperũt iusti vnicuique decenter, & pro ut congruum fuit. Et Abrahamo quidem impositum est epitheton, amicus Dei, & non dissoluetur: Iacob verò vt Israel vocetur, & non alterabitur. Et Apostolis Boanerges, hoc est, filij tonitrui, & non relinquetur. Et Sanctæ Mariæ vox virgo, & non mutabitur: quia ipsa non concipiet, nec pariet filium de semine suscepto, sed de Spiritu sancto; idcircò immaculata permanebit. De quo Bernardus in quodam sermone, inquit.

*Bernar.*

*Putas enim quia dicturus Moyses mulierem, quæ peperisset filium, immundam esse: non timuerit super matre Domini blasphemiæ crimen incurrere: & idcircò præmiserit suscepto semine?*

*Alioquin nisi parituram præuidisset sine semine Virginem: quæ necessitas erat de suscepto semine fieri meationem?*

*Patet itaque, quòd lex ista Matrem Domini non includit, quæ non suscepto semine, filium peperit.* Hæc omnia Bernar, Ser. 3. de Purificatione.

*Doctor Illum.* Vnde dicit Franciscus de Mayronis, Doctor Illuminatus in sermone occurrentis solemnitatis. Quòd Moyses in institutione huius Sacramenti, clarè prophetauit, *quòd Virgo erat paritura sine viri semine, quia dicit, si suscepto semine pepererit masculum*: nam quando quis in aliqua lege, vel pacto, aut promissione, vel iuramento apponit conditionem, per hoc dat intelligere, quòd casus ille quandoque eueniet, vel saltem euenire potest, alioquin illa conditio vana esset apposita.

Tertiò non fuit in filio Virginis tantum assimilatio naturæ humanæ, quia in eo fuit etiam sublimitas naturæ diuinæ. Virgo enim peperit filium, & sibi similem quantùm ad naturam humanam, & sibi dissimilem quantùm

ad

ad naturam diuinam; & ideò obligatio legalis in ea locũ habere non potuit.

Quartò non indiguit purificatione, ratione mysterij, siue significationis: Lex enim præcepit, vt puer quadragesima die, puella octuagesima die in Templo præsensentarentur; quia vsque ad illud tempus organizatur corpus masculi, & fœminæ, & infunditur anima. Sed istud mysterium, siue significatio, non habuit locum in Christo: quia in eodem instanti Conceptionis suæ, fuit plenè organizatum corpus eius, & anima eidem corpori infusa: & vtrumque, scilicet anima, & corpus, Diuinitati vnitum fuit, & statim perfectus Deus, & perfectus homo fuit.

Cum modò probatum fuerit, quòd Beata Virgo non indiguerit purificatione, quare voluit istam legem obseruare?

Respondeo primò, ratione humilitatis, decebat enim, vt Virgo, quæ propter humilitatem suam electa fuerat Mater Dei, subderet se legis ceremonijs, ne præ alijs se ostenderet singularem; quòd fuisset signum superbiæ.

Secundò vt approbaret legem veteris testamenti, hoc præcipientem.

Tertiò, Vt obseruaret legem, licet enim Princeps sit solutus suis legibus, tamen decet secundum leges viuere: Christus voluit seruare legem, quam ipse dederat, licet ad eam non teneretur per naturam suam, nec Mater eius ex priuilegio, & gratia.

Quartò, Vt verificarentur ea, quę prædixerant Prophetæ de Præsentatione Christi in templo. Aggæi. 11. vbi dicit. *Adhuc vnum modicum est, & ego mouebo cælum, & terram: & veniet desideratus cunctis gentibus, et implebo domum istam gloria* scilicet templum Salomonis.

Quinta ratio, sponte se legi subiecta esse voluit, vt ab illa lege liberaremur. Vt dicit Beda supra: intantùm autẽ est lex purificationis ablata, quòd mulier si vult, potest eadem hora, qua filium peperit, intrare templum Dei, ut ei gratias refferat. S. Thom. in 3. par. sum. q. 37. art. 3. addit dicens. *Et vt iustificatio legis in suis membris spiritualiter impleretur.* Beda. D. Tho.

Sex-

Sexta ratio, Vt occultaretur Diabolo se esse matrem Dei Augustinus 3. de Trinitate, dicit. *Quòd Diabolus multa potest virtute suæ naturæ, à quibus tamen prohibetur diuina virtute.*

August.

Vndè virtute suæ naturæ poterat Diabolus cognoscere matrem Dei non fuisse corruptam, sed Virginem remansisse: prohibitus tamen est à Deo cognoscere modum partus diuini. Nam in infantia Christi oportebat impedire malitiam Diaboli, ne eum atrius prosequeretur, quando Christus nec pati dispofuerat, nec virtutem suam ostendere volebat: sed omnibus alijs infantibus se similem exhibere.

Vndè Leo Papa in sermone Epiphaniæ, ait. *Quòd, Magi inuenerunt Iesum quantitatis paruum alienis opibus indigni- gentem, fandi impotentem; & nulla ab humana infantia generalitate discretum.* Cum ergo Beata Virgo venit hodierna die in templum, vt purificaretur, occultatum fuit Diabolo, quòd ipsa esset Mater Dei. Multa alia possent adduci, quæ breuitatis causa omitto.

## De Purificatione Virginis.

Beda.

Beda in Lucam ca. 2. Nota. *Quòd non omnis mulier pariens, sed ea, quæ suscepto semine peperit designatur immunda, rituque legis docetur esse mundanda, ad distinctionem videlicet illius, quæ virgo concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus: non ergo filius, qui nobiscum Deus est, non Mater, quæ Spiritu Sancto operante peperit, victimis hostiarum, quibus purgaretur, indigebat, sed vt nos à legis vinculo solueremur: sicut Dominus Christus, ita beata semper Virgo Maria, legi est sponte subiecta.*

Guarr.

Guarricus Serm. 1. de Purificatione. *Maria non tàm purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendauit, implendo legem, significando spiritualem.*

Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgoquè permansit? Suscepit tamen mater totius puritatis purgationis speciē, vt simul obe-

obedientiſſimæ humilitatis virtutem, & euangelicæ purificationis inſinuaret veritatem.

Auguſtinus lib. de quinque Hæreſibus cap. 5. aduerſus Manichæos diſputans. *Stulte, vnde ſordes in Virgine matre, vbi non eſt concubitus cum homine Patre? Vnde ſordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo, eſt perpeſſa dolorem?* Auguſt.

*Vnde ſordes in domo, ad quam nullus hoſpes acceſſerit: ſolus ad eam Dominus, & fabricator venit, veſtem, quam non habebat, induit, eam, quam ſicut inuenit, clauſam reliquit? Sicut ille natus eſt ſolus, inter mortuos liber; ſic iſtius, ex qua natus eſt, matris pudor, ſolus eſt integer.*

Heſichius Homil. 2. de Laudibus Virginis. *Mariam vocari portam clauſam in Oriente ſitam, quæ clauſarum portarum regem introduxit, atque iterum eduxit. Nequaquam enim, inquit; Rex gloriæ dum conciperetur, aut ederetur, vuluæ tuæ portas prorſus aperuit, neque Virginitatis vincula laxauit: vocauit te hortum concluſum, & fontem ſignatum, is, qui ex te ortus eſt ſponſus; vt prædixit in canticis. Hortus concluſus, &c.* Heſich.

Leo Magnus Serm. 2. de Natiuitate Domini. *Oportuit enim, vt nouo naſceretur ordine, qui nouam impollutam ſinceritatis gratiam humanis corporibus inferebat, oportuit vt primam Genitricis integritatem naſcens incorruptio cuſtodiret, & complacitum ſibi clauſtrum pudoris, & ſanctitatis hoſpitium, diuini ſpiritus infuſa ſeruaret.* Leo magnus.

Bernardus Sermon. 3. Purificationis. *Verè ô Beata Virgo, verè non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione. Sed numquid filio tuo opus erat circumciſione? Eſto inter mulieres tanquàm vna earum: nam & filius tuus, ſic eſt in numero puerorum.*



# ADDITIO.

SEd quare Beata Virgo voluit purificari? S. Thom. in 3.par.sum.q. 37.dicit.

*Quòd non indigebat purificari, nec ratione sui parturientis, nec ratione prolis, nec ratione legis, nec ratione mysterij, siue significationis.*

Primò non indigebat ratione sui, nihil enim purificatur, nisi immundum; sed ipsa tota erat mundissima, & spiritu sancto sanctificata: *Spiritus sanctus superueniet in te.* Filius Dei sanctificauerat eius ventrem.

Secundò non indigebat purificatione ratione prolis, quia in filio nulla fuit impuritas, sed omnimoda sanctitas, *candor lucis æternæ*, quo ad animam lucidam; *& speculum sine macula*, quo ad carnem immaculatam; & imago bonitatis Dei, quo ad Diuinitatem veram.

Tertiò non indiguit purificatione ratione legis, lex enim purificationis posita Leuit. 12. tria supponebat; scilicet fractionem Virginitatis. Vnde dicit, mulier, quæ significat sexus fractionem, in concipiendo, & pariendo. Supponit etiam seminum commixtionem, & ideò dicitur, si suscepto semine.

Tertiò supponit assimilationem, vt, scilicet filius sit similis parentibus in natura: Ideò dicitur, peperit masculum.

Ista autem tria in Virgine non fuerunt. In ea non fuit fractio virginitatis, sed perpetua illibatio, quia fuit Virgo ante partum, in partu, & post partum. Ibi etiam non fuit seminum commixtio, quia non concepit ex seminum commixtione; sed ex mystico spiramine, & ideò ad hanc legem non tenebatur, in qua ipsa non comprehendebatur.

Quando enim aliqua lex datur sub conditione, non obligat nisi illos, quos tangit illa conditio. Cum ergo dicat lex, Mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit, &c.

Concluditur quòd Beata Virgo, quæ non peperit suscepto

ſceptoſemine,non fuit immunda;quia obligatio ſub conditione,non ligat ante impletam conditionem. Dicit enim Gloſſa ſuper Leuit.12. quòd Moyſes Spiritu Dei cognoſcens quòd Beata Virgo debebat concipere, & parere filium ſine ſeminis ſuſceptione, & conſequenter non fieri immũda,myſterialiter addidit.*Si ſuſcepto ſemine*,&c. quaſi diceret.Nemo intelligat hanc obligationem immũditiæ contrahendæ, compræhendere Matrem filij Dei, quia impolluta permanſit ſancta. Et poſt pauca dicit. Quomodo audent impetere impollutam Virginem, & quæ digna facta eſt, habitaculum fieri filij Dei? & ad hoc delecta eſt ex multis millibus Iſrael,quo vas & habitaculum dignum eſſet,in ſignum ſolum partus.

## *De Viſitatione Virginis Mariæ.*

Concilium Baſilienſe ſeſſ.43. *Virgo Beatiſſima cæleſti edocta nuntio,& Spiritu ſancto duce,aſcendẽs cum feſtinatione in Montana,cum feſtinatione humilem Zachariæ domum intrauit:Ieſus enim,qui in vtero illius erat, feſtinabat adhuc in ventre matris Ioannem poſitum ſanctificare,& ipſa Virgo glorioſiſſima,cognatam Eliſabeth viſitans, non minus illam ſua viſitatione, quàm fructuoſo ſalutauit colloquio*. Hæc, & multa alia ex concilio. *Concil. Baſiliẽſ.*

Si quæramus cauſam, quare Beata Virgo viſitauerit Eliſabeth;variæ quidem ſunt.

Ambroſius lib.de inſtitutione virg.ca.7.*Viſitauit Ioannem Baptiſtam,& in vtero Matris priuſquàm naſceretur,exultauit infantulus obſecutus, antequàm genitus. Nec immeritò integer corpore, quem in tribus menſibus oleo quodam ſuæ præſentiæ, & integritatis vnguento Domini, mater exercuit.*

Hoc idem dicit in expoſitione iſtius Euangelij, *Tantùm profuit eidem Ioanni,vt ille oleo gratiæ imbutus, corporis caſtimoniam,& mentis innocentiam conſequeretur*:Vult dicere, quòd in iſta viſitatione vnctus fuit oleo gratiæ, fuit factus caſtus,& innocens. *Ambr.*

Ambr. Addit Ambrosius lib. de Institut. virgin. vbi supra. *Si primo ingressu tantus profectus extitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, & repleretur Spiritu sancto mater infantis, & quantùm putamus vsu tanti temporis, qui tribus nempe mensibus in illis ædibus diuersaretur, Sancta Mariæ addidisse præsentiam?*

Hoc totũ accepit ab Origene Hom. 10. in Luc. vbi ait. *Si eo quod tantùm venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, exultauit infans in gaudio, & Spiritu sancto plena Elisabeth, prophetauit ea, quæ in Euangelio scripta sunt, & in vna horâ tantos profectus habuit, nostræ conscientiæ relinquitur considerandum, quid in tribus mensibus, Ioãnes profecit, assistente Maria, Elisabeth.*

Cyrillus. Cyrillus lib. de recta fide, ad Reginas. *Salutatio Sanctæ Virginis Mariæ, Iesum ferentis in vtero, Ioannem mouit ad prophetiam.*

Eusebius Emiss. Eusebius Emissenus feria 6. in Aduentu. *Quemadmodum Mariæ aduentus, singulare gaudium, eximiumque fructum, Zachariæ, ac eius vxori, simul & filio attulit, ita vicissim eiusdem Virginis discessus, mærorem, ac luctum, in illis omnibus excitauit.*

Bernar. Bernardus Serm. 1. de Assumptione Virginis. *Si Ioannis paruuli nondùm nati, anima liquefacta est, vt Maria locuta est: & vox salutationis eius, ipsos in gaudio exultare facit infantes; multò maior & amplior cælitu est exultatio, qui vocem tantæ Virginis audire, & videre, & beata eius frui præsentia meruerũt.*

Beda. Beda Homil. de Visitatione. *Intrat Virgo domum Zachariæ, non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed vt congratulatura de dono, quòd conseruam recepisse Elisabetham didicerat.*

Eusebius Eusebius Emissenus Homil. de Visitatione Virginis. *Maria ad Elisabeth, Christus ad Ioannem, Domina ad Ancillam, ad seruum Dominus venire non dedignatur.*

Tertull. Tertullianus in lib. ad vxorem. *Non excusat mulierem, quamuis coniugatam, à visitandis infirmis.*

Beda. Beda vt supra. *Sanctissima Virgo, eandem quam Angelo exhibuerat humilitatem, hominibus quoque curauit exhibere.*

Pe-

Petrus Rauennas Serm.de Ioan.Baptista.*Per vocem virginis, facta est sanctificatio præcursoris.* *Petrus Rauen.*

Chrysostomus super cap.2.Lucæ. *Ideò Christus erit Mariam salutare Elisabeth, vt sermo procedens ex vtero Matris, vbi habitabat Dominus, per aures Elisabeth ingressus, descenderet ad Ioannem, vt illum vngeret in Prophetam.* *Chrysost.*

D.Bonauentura lect.4 Speculi.*Exurgens Maria, &c. Abijt inquam, vt visitaret, vt salutaret, vt ministraret.* *D.Bon.*

Ambrosius in Luca lib.2.cap.1.tom.3.*Quæ propter officium venerat, officio inhærebat.* *Ambros.*

Origenes Homil.7.in Luc. *Abijt Maria cum festinatione, festinabat Christus, qui in vtero illius erat, adhuc in ventre matris positum sanctificare Ioannem: festinabat ire, ne diu videretur in publico.* Notat Glosa.

## ADDITIO.

Beata Virgo salutauit Elisabeth.

Primò propter pietatem, pietas enim ipsam ad hoc induxit: Quòd in spiritu præuidit Salomon Cant.3.dicens.*Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij,* fuit namque Beatissima Virgo virgula, id est flexibilis ad pietatem, quam etsi habuerit ad omnes vniuersaliter, particulariter tamen, & præcipuè exercuit eam circa Elisabeth.

Dicitur autem ex aromatibus, quia fuit plena odoribus omnium gratiarum.

Additur autem vniuersi pulueris pigmentarij: quia omnes gratias, quas alij sancti habuerunt particulariter, ipsa habuit vniuersaliter.

Secundò eam visitauit propter sanctitatem, Maria enim venit ad Elisabeth, & Christus ad Ioannem, vt ipsum sanctificaret.

Petrus Rauennas in quodam sermone, sic ait. *Petrus Rauen.*
*Idcirco etiam Maria post conceptum ad Elisabeth properat: quia Christus, qui in vtero suo erat, Ioannem adhuc paruulum in ventre matris positum, sanctificare festinat.*

Tertiò eam visitauit propter congratulationem, & officiositatem. Vnde Ambrosius, in occurrentis diei Homilia, inquit.

*Ambr.* *Morale est omnibus, vt qui fidem exigunt, fidem astruant.*

Quartò visitauit eam, propter Spiritus Sancti gratiam eleuantem. Vnde Ambrosius vbi supra, ait.

*Ambr.* *Quo enim iam Deo plena, nisi ad superiora virgo cum festinatione conscenderet? nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia.*

Quintò visitauit eam propter humilitatem, eandem enim, humilitatem, quam Angelo Maria exhibuerat, dicens. Ecce Ancilla Domini. Hominibus etiam exhibere curabat, & ideò festinanter abijt in montana, & Zachariæ domum intrauit, vt Elisabeth visitaret, ac prægnanti vetulæ iuuencula ministraret. Vnde Ambrosius, vbi supra, ait.

*Ambr.* *Didicistes virgines pudorem Mariæ, discite humilitatem: Venit propinqua ad proximam, iunior ad seniorem, nec solum venit, sed etiam prior salutauit. Nouerit deferre senioribus, sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis: est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, vt inferior adiuuetur. Beatissima Virgo Maria, ad Beatam Elisabeth. Dominus noster Christus Iesus ad beatum Ioannem.* Hæc Ambrosius.

## *De Sapientia Virginis.*

*Bernar.* BErnardus Serm. de Beata Maria. *Licet enim Deus in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret vt amicis, quædam tamen credendum est præ cæteris, Matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius docuisse, quædam ei secretiùs intimasse.*

Quia Maria, parabolas, enigmata legalia, & mirifica gesta, dicta, opera auidius ebibit, & sincerius, luculentiusque alijs edidit.

*Rubert.* Rubertus super illa verba. *Confidit in ea cor viri sui, in anima Sancta Virginis, ibi fides experta est, quod de semetipsa*

*hic audiuit : confidit in ea cor viri sui*, etenim ibi vir suus. cor suum aperuit, apertione planè magna, & ineffabili.

Ità cor suum illi aperuit, vt ipsam substantiam verbi æterni in corde suo concepti, de corde suo, ante sæcula geniti, mitteret in mentem, & in vterum virginis valde fidelis.

Anselmus de excellentia Virginis cap.7. *Licet ipsi Apostoli per reuelationem Spiritus sancti edocti in omnem fuerint veritatem, incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius, ipsa per eum spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem intelligebat, ac per hoc multa eis per hanc reuelebantur, quæ in se, non solùm simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat.* *Ansel.*

Rubertus Abbas in cap.2. Matth. *Post Ascensionem Christi, Beatæ Virgini fuit tempus loquendi, & hoc amicis, idest sanctis Apostolis, & talia loquendi, qualia prius portare non potuissent.* *Rubert.*

Beda Homil. de Sanctis in Aurora Natalis Domini tomo 7. *Maria secreta Dei, ore tacito, vigili cum corde sedula, sedula scrutabatur.* *Beda.*

## ADDITIO.

### *De Sapientia Mariæ Virginis.*

FAcillimè veritas sapientiæ Mariæ comprobatur, si quomodo locuta est cum Angelo attendatur. Quis enim in iuuene puella non miretur tantam sermonis constantiam, interrogationis prudentiam, fidei facilitatem; nimirum quia datum est cordi eius lumen intelligentiæ, dedit enim ei, qui se iunxit ei, & sentire fideliter, & proferre vtiliter, & efficaciter adimplere.

Ad sapientiam autem illius pertinet, quod de ea dicitur. Luc. 2.

*Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.*

In hac autem auctoritate, commendatur Maria à per-

fecta memoria, quia cõseruabat omnia verba hæc, ideſt, verba Euangelij, non verba otioſa, &c. Conferebat in corde ſuo, non ſolùm verba, ſed & facta illa, quæ circa ſe viderat impleta, cum his, quæ in prophetis legerat implenda.

Dixerat ei Angelus. *Ecce concipies in vtero*, prædixerat Iſai. 11. *Ecce virgo concipiet*. Nouerat ſe de ſtirpe Dauid ortam, nouerat ſe concepiſſe in Nazareth de Spiritu ſancto, nouerat ſe peperiſſe in Bethleem. Iuxtà vaticinium Micheæ 5. *Et tu Bethleem terra Iuda, &c. ex te exiet dux.*

Item Luc. 2. iterum dicit. *Et Mater eius ideſt, Chriſti, conſeruabat quaſi ſub ſignaculo, dicit Gloſa: omnia verba hæc*, omnia quæ de Domino, vel à Domino dicta, vel facta cognouit, ſiue quæ intellexit, omnia memoriæ commendauit, vt cum tempus prædicandæ, vel ſcribendæ, incarnationis eius adueniret, ſufficienter omnia pro ut eſſent geſta, poſſet explicare quærentibus. Et ita quatuor Euangeliſtas, multa docuiſſe creditur, eorum, quæ ſcribebant. Ideò dicit ipſa Cant. 5. *Tulerunt mihi pallium meum*, ideſt, à me rapuerunt reſerationem ſecretorum filij mei, quæ prius tegebam quaſi ſub nubilo, & velamine ſilentij, & erant occultata apud me.

Non enim decebat, vt vas cœleſtis ſapientiæ expers eſſet à ſapientia; vndè & ipſa oſtendit ſcripturarum notitiam, & eorum quæ ad ſanctos patres dixerat Dominus ſe habere, in cantico ſuo dicens. *Sicut locutus eſt ad Patres noſtros, Abraham, &c.*

*Sapientiam enim omnium antiquorum exquiſiuit, ideſt, & corde quæſiuit, & in prophetis vacauit: narrationem virorum nominatorum conſeruauit, & in verſutias parabolarum ſimul introiuit, occulta prouerbiorum exquiſiuit, & in abſconditis parabolarum conuerſata eſt.* Eccleſ. 39. Sic expone, Sapientia antiquorum omnium, ideſt, doctrinam Patriarcharum, & Prophetarum; Vel, ſapientiam omnium antiquorum, ideſt, ſaporem, & cognitionem cœleſtium, quam antiqui habuerunt, exquiſiuit, ideſt, extra alia quæſiuit; & in Prophetis, ideſt in Propheticis intelligentijs vacauit, alijs curis contemptis.

Narrationem, ideſt doctrinam virorum nominatorum

rum, ideſt Apoſtolorum, & Euangeliſtarum, quorum nomina ſunt in libro vitæ. Et in verſutias parabolarum, ideſt in obſcuras, & occultas ſubtilitates, ſimul introiuit, diligenter perſcrutando ſenſus Sacræ Scripturæ.

Occulta prouerbiorum, ideſt ſenſum miſticum, & moralem exquiſiuit, ideſt ex toto corde quæſiuit. Et in abſconditis, ideſt in occultis allegorijs figuratiuarum locutionum intelligendis conuerſata eſt, ſtudendo, & meditando.

Si hæc omnia verè dicuntur de quolibet vero ſapiente, multò verius dici poſſunt de Matre ſapientiæ, & de Virgine Sanctiſſima.

Item, Ipſa eſt mulier ſenſata, & tacita. Eccl. 6. Senſata enim fuit quærendo.

Quomodo fieret quod ei promittebatur, vbi dixit. *Quomodo fiet iſtud? &c.* Et ſenſatior, conſentiendo vt fieret; quando dixit. *Ecce Ancilla Domini*, &c. Senſatiſſima, Deum laudando, & magnificando de ſuſcepto beneficio, dicens. *Magnificat anima mea*, &c. Vndè potuit dicere illud Eccleſiaſtes 1. *Præceſſi ſapientia omnes, qui fuerunt ante me, & Anima mea contemplata eſt multa ſapienter*: quod fuit, quando cogitabat, qualis eſſet Angelica ſalutatio, *& didici*, quod fuit, quando conferebat omnia, quæ dicebantur in corde ſuo, & hæc eſt conſuetudo ſapientis.

Item deſignata eſt Maria per Abigail 1. Reg. 25. Quæ erat mulier prudentiſſima, & ſpecioſa; cuius ſapientia, & ſubtilitate verborum, Nabal ſtultus ad tempus à morte liberatus eſt; & Mariæ ſapientia, & ſubtilitate orationum mundus quoque infatuatus liberatus eſt.

Item Eccleſ. 39.

*Collaudabunt multi ſapientiam, & vſque in ſæculum non delebitur.* Ibidem, *Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius annunciabit Eccleſia*. Item de ea ſpecialiter dicitur Prouer. in fine. *Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius.*

Aperuit os ſuum multa docendo, &c. & lex clementiæ, ideſt Euangelij, quæ docet clementiam. Vbi Chriſtus dicit Matt. 9. *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.*

Lex enim antiqua seueritatis erat, quæ docebat reddi oculum pro oculo, dentem pro dente; sed lex Euangelij clementiæ est, quia peccata remittit, quia reos absoluit, vt Adulteram; quia damnatos in Paradisum reducit.

Item ratione sapientiæ, dicitur Eccl. 24. de illo Rege nato de Dauid, *qui adimplet quasi Phison sapientiam*, qui, scilicet Rex, adimplet, idest perfectè implet sapientiam, idest Beatam Virginem, quæ sapientia dicitur emphaticè, quia sapiens super omnes; vel quia mater sapientiæ, idest Christi. Et paulò post, *qui adimplet quasi Eufrates sensum eius*: impleuit enim eam quantùm ad cognitionem scripturarum.

Qui enim aperuit Apostolis sensum, vt intelligerent scripturas: multò fortiùs Matrem impleuit spiritu sapientiæ in intellectu, superueniente in eam Spiritu sancto, immò descendente in eam sapientia, idest filio Dei, qui scientiarum Dominus est, & qui prius, quàm alijs ciuitatibus, nouem mensibus euangelizauit cordi eius, & incerta, & occulta sapientiæ suæ manifestauit ei: nec solùm nouem mensibus, immò & toto tempore, quo iuuenis, idest filius habitauit cum Virgine.

Item ratione sapientiæ, dicit ipsa de se. Eccles. 24. *Profundum Abyssi penetraui, idest profunditatem scripturæ.*

Item, ipsa post filij Ascensionem, facta est magistra Apostolorum, & Prædicatorum Euangelicorum. Et tunc impleta est prophetia illa Micheæ 4.

*De Sion exibit lex, idest noua, & Verbum Domini de Ierusalem*, idest de Beata Virgine; per Syon, & Ierusalem designata.

Item, quia filius ei reuelauerat incerta, & occulta sapientiæ suæ: ideò dicit ipsa. Cant. 1. *Introduxit me Rex, idest Christus in cellaria sua*: idest, manifestauit mihi secreta scripturarum sanctarum, quæ dicuntur cellaria; quia ibi est panis fortium, lac puerorum, Vinum deuotorum, & omnia necessaria animæ, sicut in cellario necessaria corpori. Benè autem dicit, quòd introduxit eam Rex, idest, intus duxit, scilicet vsque ad medullam sensus spiritualis. Vnde ipsa dicit. Profundum Abyssi penetraui.

De

## *De Pulchritudine Corporis Mariæ.*

COmmuniter expositores applicant ad Virginem verba illa Cant. *Io. Dã.*

*Pulcherrima inter mulieres, & pulcherrima mulierum.*

*Pulchra vt luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorũ acies ordinata. Pulchra es, & decora, sicut Ierusalem.*

Ioannes Damascenus oratione 1. de Natiuitate Mariæ. *Appellat eam venustatem naturæ oleo, inquit, digna filia humanæ matris naturæ venustas, primigena Euæ correctio .. O Sanctissima filia mulierum ornamentum, certabant inter se secula, quodnam ortu tuo gloriaretur.*

Dionysius Carthusianus libr. 11. de Laudibus Virginis cap. 39. dicit. *Interiorem illam Virginis puritatem, & sanctitatem, in eius facie visibiliter radiasse, tantamque fuisse, vt opus fuerit eiusmodi radiationem diuinitùs temperari, quo posset cum hominibus conuersari.* *Dionys. Carthus.*

De Moysi facie habemus, *quòd non poterant respicere in eam, propter claritatem vultus eius, & hoc ex consortio Dei;* à fortiori, Beata Virgo; quia maius consortium, & familiaritatem cum Christo habuit.

De Sancto Stephano habemus, quòd cum lapidaretur, *astantes intuebantur vultum eius, tanquàm vultum Angeli, stantes inter illos.*

Epiphanius de Laudibus Mariæ Virginis. *Solo enim Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ, cœlestis, ac terrena lingua minimè sufficit, immò verò nec Angelorum.* *Epiph.*

Dionysius Areopagita. *Quando vidit Virginem, ita dixit. Testor Deum, qui aderat in Virgine: nisi me tua diuina eloquia docuissent, hanc verum Deum esse crederem.* *Dionys. Areop.*

Tam pulchra erat Virgo Sanctissima, vt sponsus suus Christus Iesus dixerit. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.*

Ambros. lib. de Institutione Virginis cap. 7. *Tanta erat*

*eius gratia, vt non solùm in se virginitatis gratiam seruaret, sed etiam his, quos inuiseret, integritatis insigne conferret.* Niceph. Vide retrò de virtutibus Mariæ, Nicephorum lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ. cap. 23.

Eccles. Sancta Ecclesia in eius laudem. Ego Mater pulchræ dilectionis.

Albert. Magnus Albertus Magnus lib. de Laudibus Beatæ Virginis. *Mariam non potuisse non eximia forma, & incomparabili pulchritudine præditam esse, quæ multò rectius in ipsa, quàm in Hester, Iudith, Rachel, & Rebeccha, Mariæ typum exprimentibus prædicetur. Habuit, inquit, summum, & perfectissimum in pulchritudine, quod potuit esse in mortali corpore, secundùm statum viæ operante natura. Sicut enim Christus fuit speciosus forma præ filijs hominum: ita Virgo speciosissima, &c. inter filias hominum.*

## ADDITIO.

### *Pulchritudo corporalis Mariæ.*


SI quis autem quærat, de pulchritudine corporali Beatæ Virginis, congruëtissimè mihi videtur posse dici, & credi, eam præ filiabus hominum speciosam; quę speciosum forma, non solum præ filijs hominum; sed etiam præ millibus Angelorum, suæ carnis substantia vestiuit vnigenitum Dei. Non enim conuenienter tota pulchra; & sine macula appellaretur, nisi secundum dispositionem, & figuram corporis, & colorem faciei pulcherrima, & sine macula appareret: intantùm quòd nemo plené poterat ipsius faciem intueri. Vnde dicitur Matth. 1. Quòd *Ioseph accepit Mariam, & non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Chrysost. Chrysostomus in cap. 1. Matth. 2. Expositio tomo 2. dicit.

*Quòd Ioseph verè non cognouit eam ante, cuius fuerat dignitatis, quæ vnigeniti Dei facta fuerat Mater, sed postquàm peperit, tunc cognouit eam, quia speciosior, & dignior facta fuerat, quàm totus mundus.*

Hinc

Hinc aliqui dicunt, quòd Ioſeph, Mariam videre non poterat facie ad faciem, quoniam Spiritus ſanctus eam à conceptione filij Dei penitùs impleuerat, ita quòd non cognoſcebat eam, propter ſplendorem vultus eius. Simile legitur de Moyſe. Exodi 34. *Quòd nō poterant filij Iſrael intendere in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius, quia cornuta apparebat facies eius, ex conſortio ſermonis Domini.* Quid æſtimas de ſplendore faciei Matris ipſius verbi? de cuius pulchritudine, Sol & Luna mirantur.

De pulchritudine verò, & excellentiſſima membrorum eius honeſtate, loquitur quidem ſic. Ad membrorum Beatæ Virginis excellentiam ſingularem, laudes humanas addere neceſſe non eſt; cum ex vita illius ſanctiſſima, totius virtutis forma reſplendeat, intantùm quòd concupiuit Rex ſpeciem ſuam, ideſt Chriſtus decorem ſuum.



SED

# SED INCIPIAMVS laudare Mariam,

## A pulchritudine singulorum membrorum, & sensuum: & Primo à Capite.

## Cant. 7.

### De Capite Mariæ.

*CAput tuum vt carmelus, & coma capitis tui, sicut purpura Regis, iuncta carnalibus.*
Caput tuum, ideſt mens tua; & comæ tuæ, ideſt cogitationes tuæ, tinctæ ſunt in memoria ſanguinis dominicæ paſſionis, & ſic affectæ ſunt cogitationes tuæ, quaſi recentem viderent ſanguinem, de filij vulneribus diſtillantem. Item, caput Mariæ, ideſt mens, comparatur carmelo, propter eminentiam contemplationis, & diuinæ ſcientiæ; & propter pinguedinem gratiarum, ex quibus fructus bonorum operum multiplex,

## *De Comis Mariæ.*

DE Comis Virginis poteſt exponi, quod dicitur de Comis filij. Cant.5. *Comæ eius ſicut elatæ palmarum; nigræ quaſi coruus.* Comæ, ideſt ſanctæ cogitationes eius, capiti Chriſto per amorem adhærentes ſicut elatæ, ideſt ſicut folia palmarum: quæ ideò dicuntur elatæ, quia erectæ, & in ſublime tendentes, meditando iugiter de cęleſtibus; parum, aut nunquàm de terrenis; ſicut & folia palmæ directè tendunt in ſurſum, contra morem aliarum arborum. Nigræ quaſi coruus, propter humilitatem; humitas enim dicitur ab humo, cuius color proprius nigredo eſt. Vel nigræ, quia ex doloribus, quos paſſus eſt filius, denigratæ.

## *De capillis Virginis.*

CAnt.5. dicitur de Chriſto. *Caput eius, aurum optimum.* Benè autem cogitationes Virginis, comis comparabiles ſunt, & capillis. Capilli ſunt molles, ita Virgo benigna. Sunt flexibiles, & Virgo compaſſiua. Sunt exangues, & Virgo ſine carnali affectione. Sunt inſenſibiles, & virgo patiens. Sunt tenues, & virgo pauper. Sunt macilenti, & virgo ſobria. Sunt longi, & virgo perſeuerans. Sunt inſonori, & virgo non murmurabat. Sunt rotundi, & virgo æterna cogitabat. Cōtinuò creſcunt, & virgo ſemper meditabatur. Huiuſmodi capillis, ideſt meditationibus, & cogitationibus ſanctis, ornabatur coram Deo mens ipſius Beatæ Virginis, & erant magna pars illius internæ pulchritudinis, quam Rex regum Chriſtus Dominus concupiuit, & dilexit. Item ratione capillorum dicitur de Maria. Cant.4. *Cypri cum nardo, nardus & crocus.* Crocus crines habet aureos; quales ad litteram virginem credimus habuiſſe, & ego vidi. Verè enim cogitationes eius fuerunt aureæ, quia ortum habebant à capite aureo deitatis: vt dictum eſt ſupra.

## De Oculis Mariæ.

Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es. Oculi tui columbarum. Bis dicit, ecce; vnam demonstrationem faciens ad oculum, aliam ad intellectum Bis dicit, pulchra; ad innuendum, quòd in ea est, quod miretur oculus carnis afforis; & quod diligat ab intùs oculus mentis.

Item Cant. 4. Vulnerasti cor meum, Soror mea sponsa; vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Alia litera, excoriasti, siue percussisti nos corde, totam videlicet Trinitatem. Vulnerasti cor meum, vulnere charitatis, non doloris; idest me ad amorem tuum delectabiliter attraxisti, vt te profundè diligerem de corde meo; in vno, idest in vnitate oculorum tuorum, scilicet affectus, & intellectus, qui in te ita sunt vnum, quod nō aliud desiderat affectus, nisi quod desiderandum indicat intellectus. Vulnerasti cor meum, in vno crine ceruicis tuæ, habet alia littera, idest in vnitate cogitationum tuarum, quæ sic adhærent Christo capiti suo, quòd nihil aliud dicunt, nisi illud Psal. Vnam petij à Domino hanc requiram. Vel per vnum crinem designatur eius humilitas singularis, & vnica. Sequitur colli tui in hoc notatur, quòd Beata Virgo, non solùm fuit humilis in mente, sed etiam in voce; quia collum continet guttur, in quo formatur vox: sicut de ali quibus dicitur. Non clamabunt in gutture suo. Significatur humilitas verborum eius, quia per humilitatem sonuit verbum obedientiæ, dicens. Ecce Ancilla Domini. Ergo per vnum crinem, singularis humilitas mentis eius: & quia additur colli tui. Singularis, & vnica humilitas vocis eius, & hac duplici humilitate, tàm profundè vulnerauit cor ipsius Christi vulnere amoris, quòd facta est ei soror, & sponsa, quòad humanam naturam, quam assumpsit ex ea, in qua vulneratus est ad mortem in patibulo crucis. Itē Cant. 5. dicitur de oculis sponsi, & potest exponi de oculis Mariæ. Oculi eius, sicut columbæ super riuos aquarum, quæ lacte sunt lota, & resident iuxta fluenta plenissima. In columba notatur simplicitas, & innocentia: quæ videlicet co-

lumbę

lumbæ super riuos aquarum sedentes, & aquas conspiciunt, quæ in præsentiarum fluunt; & illas, quæ iam fluxerunt, & illas, quæ affluũt. Sic & oculi Virginis, per simplicitatem, & innocentiam columbini, perspicaciter conspiciunt in speculo Trinitatis, præterita, præsentia, & futura.

Oculi etiam eius comparantur columbis, quæ lacte sunt lotæ, quia respectus eius, pietatis, & misericordiæ dulcedine profusus est. Et isti oculi subtiliter vident, vt columbæ, quia resident iuxta fluenta plenissima, idest iuxtà aquas salutaris sapientiæ.

Item oculi eius, sicut columbæ, idest casti, & simplices super riuos aquarum, idest iuxtà fluenta scripturarum, in quibus Virgo studebat, quæ lacte sunt lotæ; in lacte sunt duo, candor, qui ad castitatem, & dulcedo, quæ debet referri ad pietatem. Vnde petimus: illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.

## De Genis Mariæ.

*Sicut fragmen mali punici, ita Genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecùs latet.* Mala punica, sunt mala granata; & dicuntur punica, à punica regione, in qua crescũt & abundant: Granata verò dicuntur propter multitudinem granorum, & fracta maiorem emittũt odoris fragrantiam, quàm integra. Fragmen etiam mali punici, ruborem ostendit, & candorem, in genis decor, & species consistit.

Dicitur Beata Virgo speciosa, propter ruborem pulchritudinis naturalis, verecundiæ virginalis, eximiæ charitatis, & patientiæ singularis, & immortalitatis: & etiã propter immunitatem peccati, absque eo, idest præter illud, quod intrinsecùs latet, soli Deo cognitum, nemini manifestum. Nam quanta sit Mariæ species, ille solus nouit, qui dedit. Vel absque eo, quod intrinsecùs latet, idest absque interna virtutum pulchritudine, quæ omnes homines latuit, etiam seipsam.

## De facie Mariæ.

NIgra ſum, ſed formoſa: facies Virginis erat formoſa præ filijs hominum, licet eſſet aliquantulum nigra: non fuit, nec eſt, nec erit facies in vniuerſo mundo, ita lineata, profilata, & colorata, vt Virgo Maria. Erat Nigra, ſed formoſa; nigra tribulatione, ſed formoſa charitate; nigra in terris, formoſa in cœlis: nigra oculis inſipientium, formoſa intellectu ſapientium: nigra exteriùs preſſuris tribulationum, formoſa interiùs decore virtutum: Nigra ſum animi mærore, quia decolorauit me Sol, filius meus in paſſione ſua; ſed ſum formoſa conſtantiâ fidei: *Nigra ſum ſicut tabernacula Cedar*, tabernacula cedar extrinſecè erant aperta, ruuida, quia pellibus animalium tegebantur, ſed interiùs erant pulchra. Sic Maria exteriùs videbatur nigra, ideſt cum macula, ſed interiùs formoſa, quia carebat, omni macula, & omni virtute adornata eſt. *Sicut pelles Salomonis*: pelles Salomonis erant pulcherrimæ, molles, & fortes, & more pellium excarnatæ, & extenuatæ; hyacinthinæ, & rubricatæ. Talis erat Maria, fortis patientia, mollis obedientia, ab omni carnali voluptate ſeparata, extenuata per paupertatem, & humilitatem. hyacinthina per cõtemplationem, & deſiderium ſupernorum, rubricata in paſſione filij.

## De Naſo Mariæ.

CAnt. 7. *Naſus tuus, ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.*
Damaſcus interpretatur ſanguinem bibens. Hic eſt Diabolus, qui ſemper ſitit bibere ſanguinem peccatorum.
Contra eius inſidias opponitur naſus, ideſt Virgo Maria, quæ præſentit eius malitiam, & à longè, quaſi de ſpecula præuidet: Vnde & Turri comparatur, à qua de lon-

ge

ge inimicorum videntur incursus. Ipsa ergo, & à longe respicit contra hostem, & sicut turris fortiter pro nobis se ei opponit. Et dicitur Turris Libani, quasi in Libano monte sita, quia candor interpretatur, vt per hoc ostendatur, quod candore virginitatis, tanquam pede conterere valeat caput serpentis, idest concupiscentiam. Vel etiam quo ad se, fuit turris Libani, fundata supra petram, idest Christum, cui soli innitebatur. Vnde Cant. 8. *Innixa supra dilectum*, quæ scilicet turris Libani est stabilis per fidem, & respicit contra Damascum, idest contra peccatum.

## *De Labijs Mariæ.*

CAnt. 4. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.*

Labia Ecclesiæ, sunt labia Beatæ Virginis: quæ dicuntur sicut vitta, quia crines, idest iustos ne effluant capiti, & inuicem suis orationibus, & exemplis constringit, & adunat; ne per errores, & vitia dispergantur, & eos vinculo pacis, & mutuæ charitatis colligat.

Dicitur autem vitta, à vinciendo, quia ex ea, capilli, idest iusti vinciuntur, instar vitis ligatæ. Vel ad litteram, Labia Mariæ, quibus formabat dulcia verba sua, dicuntur coccinea, quia ad amorem Dei, & proximi inflammant.

Coccineum enim flammeum habet colorem. Quibus etiam labijs, dulcissimas orationes suas, pro nobis format in conspectu vnigeniti sui. Item Cant. 5. *Labia eiius lilia*: scilicet labia Virginis pudica erant, & casta.

## *De Ore Mariæ.*

E*Loquium tuum dulce, mel & lac sub lingua tua, fauus distillans labia tua*; quando exorabas pro genere humano, &c.

## De Gutture Mariæ.

CAnt.4. *Guttur tuum, sicut vinum optimum.* Guttur tuum, ideſt preces ex gutture procedentes, ſicut vinum optimum, quod conſolatur, & releuat dolores afflictorum. Vel ſic, Guttur tuum, ideſt verba ex gutture procedentia, ſicut vinum optimum, Chriſto ſcilicet per deuotionem ſapida ſuauiter pungitiua, ſtimulant enim pigros ad currendum, amandum, & orandum. Pũgunt etiam orationes eius cor filij: Vnde ipſe dicit ei. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa.* Sunt etiam verba eius omni vino dulciora, per internam conſolationem, quæ cor hominis lætificant, vt ei ſicut filio poſſit dici. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua.* Vel Guttur tuum, ideſt Doctrina, quæ continetur in verbis tuis, ſicut vinum optimum, quia deuotos delectat.

## De Collo Mariæ.

CAnt.1. *Collum tuum, ſicut monilia.* Et Cant.7. *Collum tuum, ſicut turris eburnea.* Virgo Maria eſt Collum Eccleſiæ, propter coniunctionem diuinitatis, quæ per caput, & humanitatis, quæ figuratur per corpus: quia in vtero eius facta eſt coniunctio diuinæ, & humanæ naturæ, & vnitum genus humanum Chriſto capiti ſuo, vt in humana natura ſimus vnum cum eo.

Dicitur virgo collum, quia coniungit caput corpori, ideſt Chriſtum Eccleſiæ, cuius ipſe eſt caput, & ipſa corpus: & hoc duplicitur, ſcilicet corporaliter Chriſtum gignendo, & ſpiritualiter ipſum peccatoribus reconciliando. Vel collum, quia vniuerſis mẽbris poſt caput, ſupereminet in corpore, & ipſa poſt Chriſtum, qui caput noſtrum eſt, eſt excellentiſſimum membrum Eccleſiæ.

Collum, quia niſi corpus collo adhereat, non poteſt capiti adhærere: Sic, qui huic collo non adhæret vera dilectione,

ctione, non potest vniri Christo, qui caput est sanctæ Ecclesiæ. Et sicut mediante collo formantur verba humana; sic ipsa coram filio, nostra est aduocata. Et sicut mediante collo descendit in corpus quicquid ei est necessarium, cibi, potus, medicinæ, & huiusmodi: sic & ipsa mediante, venit ad nos Christus, qui medicina est nostrarũ animarum; & cuius caro, & sanguis, verè cibus est, & potus. Item, à Collo verbum emittitur, & ex ea verbum Patris incarnatum nobis apparuit; & nobis per eam à Patre transmissa est vera salus. Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius.*

Sequitur, *Sicut monilia*, quæ dicuntur à muniendo, vel monendo.

Per collum verbum emittitur: Et Maria sic munita erat virtute discretionis, vt quodcunque verbum emittebat, vel ad gloriam Dei, vel ad humilitatem sui, vel ad vtilitatem proximi pertineret. Iuxta illud Eccl. 43. *In sermone eius composita sunt omnia.* Vel Monile dicitur à monendo; quia Maria quæ prima vouit virginitatem, verbo, & exemplo monet omnes ad castitatis virtutem.

## De Manibus Beatæ Mariæ.

Cant. 5. *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima*; per manus opera, per digitos operum discretio.

Myrrha probatissima perfectissima carnis, & carnaliũ voluptatum mortificatio. In his autem verbis ostendit Maria impletum in ipsa, quod Angelus ei promiserat, dicens. Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te*, &c. Spiritus Sãctus superuenit in ea, & sic eam vestiuit desuper, quod totum, quod in ipsa erat carnale, absorptum est Spiritu, & carnalitate mortificata, solus in ea dominabatur spiritualis affectus.

Dicit ergo. *Manus meæ distillauerunt myrrham*: nam in spirituali gratia sic absorpta sum, quod nihil in me vixit de carnali concupiscentia, vel mundana, quin potius manus meæ, & digiti mei, idest opera mea, &

operum meorum discreta distinctio, perfectæ mortificationis testimonium proferebant.

Item, de manibus sponsi, dicit sponsa, & congruè potest intelligi de manibus Mariæ. Cant. 5. *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis:* tornatura cæteris artibus promptior est, atque velocior, regulam iustitiæ tenet, & opus suum pulcherrimè circumcidit. In eundem modum omnia opera Christi, vel Mariæ circumcisa fuerunt, vt licet cum quadam operandi promptitudine, & celeritate fierent; nunquàm tamen à iustitiæ regula deuiarunt. Vel tornatiles dicuntur manus Mariæ, quia sicut ars tornandi promptior est alijs artibus: Sic Maria ad benefaciendum promptior omnibus sanctis. Aureæ per charitatem, quæ signatur in auro, quia ex mera charitate, nobis impendit dona misericordiæ, gratiæ, & gloriæ. Implens illud Apostoli ad Corinthios 16. *Omnia verba in charitate fiant.*

Plenæ hyacinthys, quia nihil aliud, quàm cęlestia prę mia in suis operibus intendebat. Plenæ etiam dicuntur manus Virginis operibus bonis, quia abundantius omnibus creaturis benefacit ipsa, vel filius per ipsam. Vndè de ipsa dicitur. Sapientię 7. *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, idest dona gratiarum.*

## *De Vberibus Mariæ.*

CAnt. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Ibidem. *Memores vberum tuorum super vinum.* Cant. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli.* Cant. 4. *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa.*

Differentia est inter vbera, & Mammas: vbera propriè sunt virginum, & Mammæ Matronarum. Et Beata Virgo vtrumque habere dicitur, vbera, & Mammas; quia virgo est, & Mater est, quod nulla alia. Sed de hoc alibi. Et erunt vbera tua sicut botri vineæ. Cant. 4. *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Item Cant. 2. De suis vberibus dicit Maria dilecto filio suo. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, & ibi dabo tibi vbera mea.*

*mea.* Item Cant. 8. *Soror nostra paruula est, & vbera non habet.* Item Cant. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli*: duo diminutiua, hinnuli, & gemelli, significant duplicem humilitatem, interiorem, & exteriorem.

## *De ventre Virginis.*

CAnt. 7. *Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus lilijs*;

Vbi expresſè videtur, gaudium, & lætitiam, quòd venter Virginis attulit mundo. Rustici non habent lętitiam, quando seminant frumẽtum, quia nesciunt, an benè, an malè se habebit; nec lætantur quando succidunt ipsum frumentum, quia maximum laborem, & calorem sentiunt; nec gaudent quãdo triturant ipsum frumentum, quia vltra laborem, & calorem, sunt sæpè pluuiæ, & tempestates; Sed gaudent quando frumentum est purificatum, tunc faciunt montem, & circumdant floribus.

Venter virginis fuit aceruus tritici, quando peperit filium, attulit mũdo summam lætitiam. Sed aduerte, quòd venter Virginis fuit vallatus lilijs, quia quando peperit, non amisit virginitatem.

Item nulla res affert tantum gaudium alicui Ciuitati, sicut frumentum; quia si in vna Ciuitate venerit abundãtia armorum, afferet lætitiam tantummodo militibus. Si venerit abundantia librorum, afferet lætitiam solùm doctoribus.

Si venerint vestes pretiosæ, afferrent lætitiam nobilibus; & sic de singulis.

Sed quando venit abundantia frumenti, omnes plaudent manibus, quia omnes indigent pane, tàm nobiles, quàm ignobiles; tàm diuites, quàm pauperes; tàm potentes, quàm impotentes. Sic fuit venter virginis, sicut aceruus tritici, quia attulit vniuersalem consolationem toti mundo, quia omnes indigebant tritico, & frumento filij sui. Item, *venter tuus sicut crater tornatilis*; in cratere ponitur vinum, & aqua, & ita in modũ vniuntur, quòd non

possunt separari: Sic in vtero virginis, diuinitas, & humanitas ita fuerunt vnita, quòd nunquàm potuerunt separari. *Quod semel aßumpsit, nunquàm dimisit.*

Damas.

## De Vmbilico Mariæ.

CAnt. 7. Dicit ei sponsus. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquàm indigens poculis.* Per Vmbilicum, infirmitas carnalis concupiscentiæ designatur. Vnde per Iob *virtus beemoth in vmbilico ventris eße dicitur*.

Iob.

Sed in Virgine fic aruit vmbilicus, vt esset quasi lignum aridum, nullum habens humorem carnalis concupiscentiæ, & quasi opus tornatile, velut crater circumcisus est eius vmbilicus interius, exterius ab omni tentatione exteriori, & interiori.

Vel aliter: *Vmbilicus tuus*, idest castitas tua est, *sicut crater tornatilis*, idest rotunda, & perfecta, quia casta es in corde, in membris, in motibus, & in sensibus; sicut opus tornatile, rotundum est, & perfectum: nunquàm indigẽs poculis, quia nunquam patitur sitim carnalis concupiscentiæ, qui enim sitit, poculis indiget. Vel sic. *Nunquàm indigens poculis*, idest irrigatione gratiæ, quia tota gratia plena erat. Vel *Nunquam indigens poculis* quia filius eius, qui est vitis vera, subministrat dona gratiarum.

## De Pedibus Mariæ.

QVàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.

Solent paruuli, & serui alicuius Nobilis, & delicatæ personæ, maximam curam, & vigilantiã habere, ne ipse Dominus nudos pedes sine calceamento, in solo, vel in frigida humo ponat, ne videlicet humor aliquis, qui ægritudinis sit causa, in eum ingrediatur. Sic diuina prouidentia factum est, vt hæc delicatissima Virgo, vbi primum è lecto omnipotẽtiæ Dei per creationem exiuit, statim pedes eius, hoc est suum principium, quod fuit sua Sacratissima cõceptio, esset vestita gratia, nè aliquis humor peccati in

eam ingrederetur,& ipsam interficeret;quapropter omnes gressus huius Sacratissimæ Virginis pulcherrimi fuerunt.

Gressus Assumptionis in cœlũ pulcherrimus fuit, quia in corpore,& anima assumpta fuit in cœlum.
Gressus Resurrectionis pulcher fuit, quia non expectauit diem Iuditij,sed post exequias resurrexit.
Gressus mortis pulcher fuit, quia in gratia mortua est.
Gressus vitæ,quia miraculis plena.

Gressus Natiuitatis, quia sancta antequam nata. Et Gressus Conceptionis non debet esse differens ab alijs gressibus: ergo pulcher, ergo sine peccato Originali fuit concepta.

## ADDITIO.

### *Pulchritudo Virginis.*

DVplex fuit pulchritudo Virginis:Spiritualis, & corporalis;siue interna, & externa.

Dicamus primò de pulchritudine interna, quæ consistit in virtutibus animæ. Dicit sponsus Virgini matri suæ.Cant.4.*Tota pulchra es amica mea*, idest ab originali peccato præseruata. Item,*Tota pulchra es*,idest ab actuali, quia fomes in ea penitùs fuit extinctus; & ideò *Tota pulchra* in opere, *tota pulchra* in corpore,*& macula non est in te*,idest in corde. *Matth.* *Tota pulchra* in opere per simplicitatem Matt.6. *Si oculus tuus simplex fuerit,totum corpus tuum lucidum erit. Tota pulchra* in corpore,per virginalem castitatem. Sapien.4. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate, &c. Tota pulchra* in corde,per humilitatem, quòd est esse sine macula.Ideò in figura Mariæ dictum est de Hester 2. cap.eiusdem. *Erat Hester formosa valde, & incredibili pulchritudine,omniumque oculis gratiosa,& amabilis videbatur:* formosa valde per charitatem, quæ est forma virtutum:incredibili pulchritudine per insolitam castitatem. Inauditũ enim erat à sæculo,aliquam personam ante Beatam Virginem emisisse votum Virginitatis.

Quòd

Quòd votum ipsa prima emisit, absque omni humano præcepto, consilio, & exemplo, sola inspiratione Spiritus sancti: & ideò dicitur eius pulchritudo incredibilis, vel incredibilis pulchritudo in superlatiuo gradu, virtutũ omnium plenitudo. Vnde Isa. 56. *Quis audiuit vnquam tale?*

Omniumq; oculis gratiosa & amabilis videbatur per humilitatem suam, quam respexit Deus; quia vbi amor, vbi oculus.

Et Nota, quòd dicit oculis omnium, primò oculis ipsius Trinitatis, quæ eius humilitatem respexit, & speciẽ eius desiderat intueri. Vndè dicunt ei Pater, & filius, & Spiritus sanctus. Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sunamitis, &c.* In hoc etiam quòd dicitur, *Vt intueamur te*, ponitur verbum plurale; notatur Trinitas personarum.

Secundo oculis Angelorum, & omnium beatorum, qui in eam sicut in filium desiderant intueri.

Tertiò oculis hominum, creditur enim, quòd ferè nullus posset eam intueri, quamdiu fuerit in mundo, qui eam statim non amaret, nunquàm tamen malè fuit adamata.

Aliter. *Tota pulchra es* in corpore, & anima; in corpore per incorruptionis integritatem, & omnium sensuum puritatem, in anima, non solùm tota pulchra per humilitatem, sed pulcherrima per virtutum omnium perfectam plenitudinẽ. Vnde dicitur. *Pulcherrima mulierum*. Cant. 5. Dicitur etiam *Pulchra vt Luna*, ideſt vt vniuersalis Ecclesia; quia quicquid alij sancti pulchritudinis habent in parte, habet ista in toto. Nemo enim sanctorum inuẽtus est similis illi in humilitate, nemo in charitate, & sic de singulis virtutibus. Verè enim pulcherrima, quæ tot habuit in se pulchritudines, quot virtutes, & singulas in superlatiuo gradu; ità vt dicere poterat. *In me omnis gratia vitæ, & veritatis.*

Omnis gratia, nulla enim defuit ei virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec scientia Prophetarum, nec patientia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec puritas Virginum; ita vt Fulbertus Carnotensis, Homilia approbatæ consuetudinis.

*Fulbert. Carnot.*

Con-

*Confidenter asserimus, quod nullo genere virtutum vacabat.* Constanter etiam asserimus, quod anima ipsius, & caro, quam elegit, & habitaculum sibi fecit sapientia Dei patris ab omni immunditia, & malitia, purissima fuit. Attestante Scriptura:

*Quoniam in maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sapientiæ 1.

*Tota pulchra* dicitur Maria, quia omnes virtutes actiuæ, omnes virtutes contemplatiuæ in ea conuenerunt, & præ omnibus creaturis admirabilem effecerunt, & hæc etiam fuit eius incredibilis pulchritudo: Per virtutes actiuas, habuit voluntatem mundissimam; per speculatiuas, mentem purgatissimam.

Tota igitur fuit pulchra; in carne, puritate virginitatis: & in voluntate, perfectione actionis: & in mente, consumatione speculationis. Et nec in carne habuit maculam contagionis, nec in mente rugam duplicitatis. Et talem sibi Christus, Matrem & sponsam exhibuit, *non habentem maculam, neque rugam.* Ephes. 5.

*Tota pulchra.* Est aliqua creatura tota deformis, vt Diabolus, & quicunque scienter in peccato mortali demoratur. De quibus dicitur. Tren. 4. *Denigrata est super carbones facies eorum.*

Est alia creatura, partim pulchra, partim deformis, vt Iustus, nullum habens mortale, licet multa venialia. Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Et Ioan. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.*

Est etiam tertia creatura, tota pulchra, vt puer decedens post baptismum, vel anima exiens à Purgatorio, vel anima exiens à corpore cum satisfactione.

Est alia creatura pulcherrima, vt illi, qui fuerunt sanctificati in ventre matris. Est & altera creatura, plusquam pulcherrima (si dici potest) & ista fuit Virgo Maria, quæ a peccato originali fuit præseruata.

Aliter. *Tota pulchra* dicitur Maria principaliter ex diuini verbi generatione, qui est splendor paternæ gloriæ. Ad Hebr. 1.

*Qui est candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sap. 7. *In quem desiderant Angeli prospicere.* 1. Pet. 1. *Tota pulchra.*

Sicut

Sicut enim ferrum ab igne extractum, non solùm ignitum, immò totum est ignis. Et sicut aer illustratus à Sole, qui dum inflammant aerem suum, ei imprimit calorem, induitque colorem, totus Sol efficitur. Et velut aquæ gutta in dolium vini optimi infusa, tota transit in saporem, in odorem, & in colorem vini. Et sicut vitrum cādidum, & purum, illustratum à Sole, transit in splendorem, & colorem solis. Et sicut lana candida, & pura, tincta in sanguine muricis, vel conchilij, tota coloratur secūdum qualitatem tincturæ. Sic Anima Mariæ Spiritu Sancto repleta, & maximè luce illa cęlesti idest, filio Dei in eam descendente, non solùm iam affectu, sed tota est deificata, per similitudinem, non per vnionem, vt humanitas Christi. Sic enim affici, deifici est. Et sicut Dei filius carnem assumens ex ea, infirmatus est vsquequaque. Sic quandò de eius substantia filius carnem induit, ipsa Beata Virgo quoddam diuinum nobis ineffabile ex Dei omnipotētia mutuauit. Vndè & dicit Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Quid autem sit illi dilectus, quid illa dilecto, non dicit; quia quid tantum est, quod ad ipsum explicandum verba deficiunt, & istud inscrutabile est viatori; quia credere præcipimur, discutere prohibemur. Quidam tamen sic exponunt.

*Dilectus meus mihi, & ego illi*, idest ille ex me sola, & ego illum solū genui. Si enim qui adhæret Deo, quod fit per dilectionem, vnus spiritus est cum illo, vnitate amoris, & gratiæ; quomodò non magis anima Mariæ, à qua nunquā recessit, & corpus, in quo nouem mensibus habitauit incarnata sapientia, deificata sunt; & à filio qui ignis est, tota facta sunt ignita? Sicut enim aqua in nuptijs conuersa est in vinum. Ioan. 2. Vbi nec accessit vinum, nec recessit aqua, sed alterum factum est aliud: non successionis vice, sed in mutationis origine. Sic & Maria, priùs quasi aqua purissima, in Spiritus sancti superuentione, & filij Dei cōceptione, quasi conuersa est in vinum, super omnia post Christum lætificans cor hominis: & fortè quia ipsa hoc modo, & aqua fuit, quæ potus est pauperum; & Vinum, quod potus est diuitum. Ideò dicit Ecc. 24. *Qui bibunt me, adhuc sitiunt.*

Et

Et Nota, quòd Maria non solùm dicitur pulcherrima, sed etiam speciosa; idest omni corporali, & spirituali specie repleta. Quare canit ei Ecclesia. *Speciosa facta es, & suauis.* Habuit speciositatem oliuę Eccl. 24. *Quasi oliua speciosa in campis.* Speciositatem columbæ. De ea dicitur. *Vidi speciosam sicut columbam.* Speciositatem Libani. Cant. 5. *Species eius, vt Libani.* Speciositatem cęli Eccl. 44. *Species cæli in visione gloriæ.* Speciositatem ignis Numeri 9. *In nocte operiebat tabernaculum, quasi species ignis*, quia charitas Mariæ protegit Ecclesiam in tribulatione. Habuit Speciositatē Solis. Sapientia 7. *Est enim speciosior Sole.* Fuit Virgo Maria Oliua, per effectum pietatis. Columba, per lenitatem mā suetudinis. Libanus, per candorem virginitatis. Ignis, per protectionem, vt dictum est. Cœlum per fœcunditatem ventris sui. Sol, per generationem filij. Quia sicut Sol sine sui corruptione gignit radium, sic & Virgo filium.

Vnde congruenter de ea canit Ecclesia, in eius Assumptione. *Vidi speciosam, sicut columbam, ascendentem, &c.* Verè Maria speciosa, quæ omni speciositati comparatur. Speciositati arborum. Vnde de ea dicitur. *Quasi Cedrus.* Speciositati Hortorum, & fontium; Vnde *Hortus conclusus fons signatus, Soror mea sponsa.* Speciositati Gemmarum, *Venter tuus eburneus distinctus saphiris, & manus eius tornatiles aureæ plenè hyacinthis.* Speciositati luminum. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens.* Speciositati herbarum. *Nardus mea dedit odore suum.* Speciositati florū. *Sicut plantatio Rosæ in Ierico. Et sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Adæ.* Speciositati fructuum. *Sicut fragmen mali punisci.* Speciositati ædificiorum: Vnde dicitur. *Arca, Tronus, Solium, Nauis,* & huiusmodi. Speciositati vasorum Ecc. 43. *Vas admirabile opus excelsi.* Ideò de ea in Cāticis dicitur. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Ecce, admirationis vox est, reliquum commendationis est Iteratio verò pulchritudinis, est signum duplicis pulchritudinis, interioris in virtute, & exterioris in conuersatione: siue pulchritudinis corporalis, & spiritualis. De spirituali dictum est, minus tamen sufficienter.

## De Dignitate Matris Dei, & eius Virginitate.

Eusib. EVsebius Homil. super illa verba. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est. *Verè vtique magna inquit, & tàm magna, quàm magna nulli vnquam alteri fecit, & facturus est.*

Bernar. Bernardus Homil. 1. super missus est. *An Deum & hominum, & Angelorum Maria suum audacter appellat filium dicens. Fili, quid fecisti nobis sic? quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis & pro magno habent, quod cum spiritus ex conditione, & gratia facti sint, & vocati Angeli: Qui facis Angelos tuos spiritus. Mariam autem matrem se agnoscens: maiestatē illam, cui illi cum reuerentia seruiunt, cum fiducia suum nuncupat filium.*

Idem Serm. 2. de Incarnat. verbi. *Ipsa est, inquit, Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogatiua Mariæ, quod filium vnum, eundemque cum Deo, Patre meruit habere communem.*

Dionys. Richel. Dionysius Richelius lib. de præconijs, & dignitate Mariæ art. 6. *Ex quo Deus, quod Mariæ erat assumpsit, & induit, ipsi nisi fallor, quod suum est, rependit: assumpsit autem ex ea naturam, gratiamque refundit.*

Clementissimus itaque creator, qui à principio Angelos, ac demum homines electos, tàm gratuitè, tamque misericorditer, ac superfluenter, illustrauit, & docuit: à quibus vtique nihil suscepit, quorum nondùm bonis eguit, quid illuminationis, & gratiæ præstitisse credēdus est, cuius est sibi substantiam induit, cuius lacte nutritus, cuius insuper diligentia educatus consistit, cui se tàm incōparabiliter obligauit?

Decebat prorsus, si non nimis decipior, nec vatem, neque Apostolum Dei ipsius coæquari genitrici; vt tanta cordis sapientia Incarnationis materiam, atque mysteriū Christique naturas, personalitatem, & item proprietates cognoscerent; quemadmodum illa, cui tàm ineffabili,

li, immensaque gratia impertitum est, vt per eam Prophetarum implerentur vaticinia, Regem quoque Apostolorum, ac sæculi Saluatorem effunderet.

Sanctus Thomas in 1. sententiarum. *Non dubitat infinitatem quandam dignitatis illi personæ, quæ Dei mater est attribui oportere.* S.Thom.

Dionysius Richelius lib. 2. cap. 8. de præconio, & dignitate Virginis, *eò quod Maria veri, omnipotentisque Dei mater vera facta sit, tantam gratiæ plenitudinem contineri, quantauè ipsa quidem Virgo, nisi Dei contempletur essentiam prospicere possit.* Dionys. Richel.

Cardinalis Cusanus in Dialogo de Annunciatione Virginis dicit. Cardin. Cusan.

*In eo quod matrem Domini asserimus: omnem ferè laudem, contineri, atque superari, ac idcircò vulgares illos titulos, quibus Maria Regina Cælorum, mater Angelorum, & hominum, iubilusque Prophetarum appellatur, ad illam iure referri: Quid multis? Inter omnia nomina, quæ purè quidem creaturæ competunt, nullum eò maius, atque excellentius, præterquam Dei matrem nuncupare.*

Tertullianus lib. de Resurrectione carnis. *Vocat Mariam beatissimam, & gloriosissimam, quia mater Christi est.* Tertull.

Metodius orat. in hypo. domini. *Radix venustissimi floris, mater Creatoris, nutrix nutrientis, eius, qui cuncta comprahendit, comprehensio, quæ nullius rei indigno, sed tamen carnem, non habenti Deo fuerit carnem mutuata.* Metod.

Origenes Homil. 1. ex collectis in vnum varijs, in has voces prorumpit.

*O inenarrabilis suauitas: O ineffabile, magnumque sacramentum: ipsa eademque Virgo, ipsa, & mater Domini, ipsa est genitrix, ipsa eius Ancilla, plasmatio eius, ipsa quæ genuit.* Origen.

*Quis vnquàm ista audiuit? quis vidit talia? & quis cogitare potuit, vt mater virgo esset, & intacta generaret, quæ, & Virgo permansit, & genuit? & sequitur cuius mater Dei vnigeniti Domini, & regis omnium, plasmatoris, & creatoris cunctorum, illius qui in cælis sine matre, & in terra est sine Patre, ipsius qui in cælis secundum Deitatem, in sinu est Patris, & in terris, secundum corporis susceptionem, in sinu est Matris.*

Petrus Damianus Serm. de Natiuitate Beatæ Mariæ. Petrus Damian

Qua

Petrus *Quæ lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum tremore obediunt elementa?*

Cyrillus. Cyrillus ad Reginas. *Mariam vitæ genitricem, pulchritudinis matrem, & magnificentiæ, lucisque parentem appellat.*

Hesych. Hesychius Hierosolymitanus Serm. 2. de Sancta Deipa[ra] vocat eam. *Mater lucis, stella vitæ, Dei thronus, templum maius cœlo, cathedra non inferior, cathedra cherubica, Arca vitæ, quæ ipsa Noe arca sit latior, longior, illustriorque, hæc inquit vniuersum Trinitatis complementum. Quandoquidem, & spiritus sanctus adueniebat, atque hospitabatur, & Pater obũbrabat, & filius vtero gestatus inhabitabat. Vides quanta & qualis est Deipara virginis dignitas; Vnigenitus enim Dei filius, mundi conditor, velut infans ab ea gestabatur.*

Damas. Damascenus lib 4 cap. 15. orthodoxæ fidei. *Reuera Domina facta est omnium creaturarum, quum omnium creatoris facta est Mater.*

Iustinus Martyr. Iustinus Martyr in lib. Quæstionum quæst. 136. *Non quamlibet è vulgo fœminarum Deus elegit, quæ genitrix Christi fieret, sed quæ mulieres omnes virtute anteiret; non abs rè eiusmodi virtutis nomine, matrem suam Beatam deprædicari voluit, per quam virtutem, honore eò digna habita est, vt viro mater fieret.*

Fulgent. Fulgentius lib. de Laudibus virginis. *Tali ergo, tantæq; personæ, nihil tandem ad honoris cumulum accedere maius potest, quàm vt Dei filium virgo conciperet, & virgo mater ederet, hac nempè dignitate facta est venerabilis ipsis etiam Angelorum ordinibus sacris.*

Grisolo. Grisologus Serm. 12. *Virgo te gratia matrem præstitit non natura, genitricem te dici pietas voluit, quam non sinebat integritas, in tuo conceptu, in tuo partu creuit pudor, aucta est castitas, integritas roborata est, est solidata Virginitas, omnes perseuerauere virtutes.*

Damas. Damascenus lib. 4. cap. 15. de fide Orthodoxa. *Dei filium, & vnigenitum, Mariæ quoque filium vnigenitum esse, vtpotè, qui de purissimo matris huius sanguine corpus humanũ, in sacro eius vtero formatum assumpserit, ita vt qui conceptus, & natus est de ipsa virgine, non homo tantùm, neque Deus tantùm: Sed homo, & Deus: nec solus filius hominis, sed etiam Emmanuel, id est nobiscum Deus, meritò appelletur.*

Ri-

Riccardus Victorinus.lib.2.de Emmanuele *Pensa si potes quæ, & quanta sit ista mirificentia, Virginem concipere, Virginem parere, & post partum Virginem permanere; existima, si vales, quæ, & qualis sit ista mirificentia, partum Virginis ab hora Conceptionis suæ, omnem plenitudinem accipere, & in humanitatis veritate, plenitudinem diuinitatis obtinere, singularis gloria, specialis est gratia beatæ Virginis Mariæ, quæ cum virginitatis honore genuit, & peperit filium; nec qualemcumque, sed Deum: meritò igitur dictum, meritò dicendum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Riccard. Victor.

Bernardus in Serm. Ex verbis Apoc. Signum magnum, *quod verum Deum, & Dei filium genuit, vt idem ipse Dei, atque hominis filius, vnus omnino Deus, & homo prodiret ex Maria; abyssus est luminis, nec facile dixerim, quod vel Angelicus oculus, ad huius fulgoris vehementiam non caliget.* Bernar.

Ildephonsus.lib.de virginitate Mariæ.cap.11. *Conceptionis, & generationis modum in Maria, omni miraculo mirabiliorem, omni opere potentiorem, omni signo augustiorem esse.* Ildephõ.

Epiphanius de laudibus Virginis. *O Virgo sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti: Stupendum est enim miraculum in cœlis, mulier amicta Sole. Stupendum miraculum in cœlis, mulier gestans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in cœlis, alter thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in cœlis, mulieris filius, qui & ipsius, & sæculorum est Pater. Stupendum miraculum in cœlis, thalamus virginis habens filium Dei, Deum sponsum Christum.* Epipha.

Bernardus Ser. 1. Assumptionis Mariæ, circa medium. *Nec in mundo locus dignior virginalis vtero templo, in quo filium Dei Maria suscepit; nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimauit.* Bernar.

Proculus Episcopus in oratione in Concilio Epheseno. *Hæc spiritualis secundi Adam Paradisus: hæc vnitarum inter se officina: hæc salutaris reconciliationis panegyris. hæc thalamus, in quo verbum humanam carnem sibi desponsauit. hæc animatus naturæ rubus, quem diuini partus ignis non combussit. hæc verè leuis illa nubes, quæ super Cherubim sedentem, in corpore suo gestauit. hæc vellus mundissimum cælesti pluuia madens, ex qua pastor ouem induit. hæc Ancilla, & Mater; Virgo, & Cælum. hæc sola Pons est, per quem Deus ad hominem* Procul. Episcop.

*descendit. hæc admirandæ illius Economiæ tela, ex qua, & in qua, ineffabili quodam modo admirabilis illius vnionis tunica confecta. Cuius quidem textor extitit Spiritus sanctus nutrix virtus ex alto obumbrans, lana vetusta, villosaque Adam pellis, trama impolluta virginis caro, radius thesiorius immensa gestantis gratia, artifex verbum per auditum illapsum. Quis vidit, quis audiuit talia? Incircumscriptus Deus, vterum inhabitat, quem cæli non capiunt, venter complexus est Virginis.*

*Andre. Hierosol.* Andreas Hierosolymitanus in explicatione Angelicæ salutationis: *Est virgo, & mater, sancta tellus, ex qua nouus Adam, ineffabili fictione formatus nascitur: est sacrum Dei fermentum, quo tota generis humani massa conspersa, & ex quo Christi corpus tanquam panis conficitur.*

*Hesich.* Hesichius, vt supra. *Peperit, & vterum non aperuit: concepit, & vuluam non corrupit: eduxit infantem, & vterum signatum reliquit, lac suppeditauit, vbera tamen intacta conseruauit: portabat puerum, pueri tamen patrem non agnoscebat: Mater effecta est, quæ minimè sponsa fuit: nutriebatur filius, & non inueniebatur Pater. Ager fructum edebat, & fructus carebat cultore, messis reddebat, quæ semen non acceperat: currebat fluuius, & fons quacumque ex parte clausus erat, vt perspicuum fieret, te matrem esse factam, & tamen non esse passam ea, quæ mulieribus accidunt.*

*Petrus Grisolo.* Petrus Grisologus. Ser. 143. de Annunciatione Virginis. *Verè benedicta Virgo, quæ & virginitatis possidet decus matris, & pertulit dignitatem. Verè benedicta, quæ & diuini germinis suscepit gloriam, & regina extitit totius castitatis. Verè benedicta, quæ fuit maior cælo, fortior terra, orbe latior; nam Deum, quem mundus non cepit, sola cepit: portauit eum, qui portat orbem, genuit genitorem suum, nutriuit omnium viuentium nutritorem.*

*Anselm.* Anselmus de Excellentia Virginis cap. 2. *Quamuis igitur hoc solum de sancta Virgine prædicari, quæ Dei mater est: excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest, & altissimum quid habeat.*

*Bonauẽ.* Bonauentura in speculo beatæ Virginis. lect. 10. *Ipsa est, qua maiorem Deus facere non potest; maiorem mundum facere posset Deus: maius cælum facere posset Deus: maiorem matrem, quàm matrem Dei non posset facere Deus.* Et in confirma-

firmationem huius rei, adducit Bernardum homil.2. super Missus est, *neque enim decebat Deum alia mater quàm Virgo, neque Virginem alius filius quàm Deus. Quia nec maior inter matres, nec maior inter filios nasci potuit.* Bernar.

Sibilla Tiburtina. *O nimium felix cælo dignißima Mater, quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem.* Sibilla Tiburt.

Sanctus Ambrosius lib.2. de Virg. *Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine contagione corporis generauit?* Ambros.

Bernardus. Ser.2. Assumptionis. *O verè lilium vitæ, quod solum fuit dignum portare pretium salutis.* Bernar.

Anselmus de excellentia Virginis cap.3. *Intendat mens humana, & contempletur: videat, & miretur, vnum filium consubstantialem Deus Pater genuit: hunc sibi vnicum, & omnibus modis æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eum ipsum, in rei veritate, esse beatæ Mariæ vnicum, ac naturalem filium.* Anselm.

Bernardus Ser.2. de Annunciatione Domini, circa medium. *Ipsa est nostra Virginis gloria singularis, & excellens prerogatiua Mariæ, quòd filium suum eundem cum Deo Patre, meruit habere communem.* Bernar.

Expositio illorum verborum. *Quæ sola fuisti digna portare regem cælorum, & Dominum.* Vtrum Domina nostra digna fuit, vt de ipsa filius Dei carnem assumeret; quia si digna fuit, non fuit in hoc vllum miraculum: Si autem digna non fuit, mirabilis fuit dignatio Domini, ex ipsa carnem assumere.

Sed aduertendum est, Dominam nostram perfectiorem fuisse, & semper esse omni quacunque creatura; & hoc non perfectione naturæ, quia omnes Angeli perfectioris naturæ sunt omnibus alijs rebus, atque hominibus, quantæcunque perfectionis illi sint; Sed perfectione gratiæ, & virtutum, atq; specialium priuilegiorum: Deus namque beatæ Virgini specialem gratiam, virtutes, atque priuilegia contulit super omnes creaturas; & sic in cœlis super choros Angelorum, atque omnium intelligentium creaturarum collocata est; sicut de ipsa cantat Ecclesia. *Exaltata est sancta Dei genitrix, super choros Angelorum &c.* & tamen omnia ista, & si pleraque alia, ei Dominus contulisset,

tuiffet, non sufficiebant ad efficiendum eam dignam Dei genitricem.

Nam concesso quòd Deus dedisset in centies millecupla quantitate virtutes, atque priuilegia Virgini benedictæ, supra id, quod contulit; non tantum ei contulisset, quòd esset digna Mater eius, imò dico, quòd si Deus vsque ad finem mundi semper gratiarū cumulos in beata Virgine continuè adaugeret, erat impossibile eam ad tantum peruenire cumulum, vt Dei digna genitrix efficeretur; quia dignitas dicit æqualitatem, aut dignam esse matrem filij Dei, est esse æqualem filio Dei. Sicut in naturalibus, Pater, & Mater, & Filius, sunt vnius specificæ perfectionis, siue substantialis gradus æqualis: Sic ergo concedentes Virginem dignam esse Dei Matrē, concedere cogemur, eam Deo æqualem. Necessariò ergo concludendum est, eam nō esse dignam genitricem, nec in hoc aliquis me Virginis hostem esse iudicet, cum sub eius sola protectione guberner; nullo (inquam) modo, laudes eius diminuo, aut honori, & gloriæ eius quicquam detraho. Sicut enim nullam iniuriam Virgini infero, eam creaturam fore appellando; ita ei nullum obbrobrium facio, si eam Deo non esse æqualem fateor, aut si dico non dignam fuisse Dei genitricem.

Virginem ergo Dominam nostram, non dignam effici matrem Dei, effici matrem Dei miraculum est, admirabilis dignationis, bonitatisque; sine termino fuit tantum velle humanam exaltare naturam, vt carnem de vna fęminarum assumere dignaretur, quantæcumque illa perfectionis, atque virtutis foret: quantacumque illa bonitate polleret, ad eum videndum digna non habebetur, quantò magis ad eum concipiendum, & ex vtero emittendum: & cum obijcitur, quòd Sancta Ecclesia de ipsa cantat; Tu sola fuisti digna portare regem cęlorū, & Dominum. idest, Tu fuisti digna, quòd in vtero tuo, haberes filium Dei, qui est rex cęlorum; & hoc est esse matrem dignam Dei. Respondetur, quòd aliquid esse dignum aliquo dupliciter intelligi potest. Vno modo dignitate naturæ, quæ vocatur dignitas æquiualentiæ; Alio modo dignitate congruentiæ, siue complacentiæ.

Digni-

Dignitate naturæ, siue æquiualentiæ, Virgo non fuit digna portare regem cęlorum, quia non fuit tantus valor suus, aut dignitas naturalis; vt Mater Dei effici mereret.

Item, si Virgo naturalem dignitatem ad hoc, vt Dei genitrix esset, habuisset, potuisset naturaliter effici Mater Dei; sed falsum est. Quia nisi fuisset magna illa Dei bonitas, atque infinita dignatio, vt ad nos redimendum, carnem humanam assumere dignaretur, nunquàm de Virgine carnem assumeret, nec ipsa foręt Dei genitrix effecta. Sic inquit Ioan. 4. *Propter nimiam charitatem, qua dilexit nos Deus, filium suum misit propitiationem pro peccatis nostris.* Ergo ex dignatiua charitate, non ex naturali dignitate, aut aptitudine factum est.

Secundùm autem secundum dignitatem, quæ dignitas congruentiæ, aut complacentiæ dicitur, dicendum necessariò Dominam dignam fuisse fieri Dei genitricem; Quia cum Deus filius redempturus esset genus humanum, carnem assumens humanam, congruum, atque valde expediens fuit, eum de illa fœmina carnem assumere, quàm in virtutum, priuilegiorumque excellentia præfecerat cæteris creaturis.

Assumendo identidem dignitatem complacentiæ, Virgo Maria digna erat fieri Dei genitricem; quia licet secundum naturam digna non existeret, placuit tamen Deo suam illam efficere genitricem: & licet ipsa in se digna non foret, Deus tamen illam tanquàm dignissimá acceptabat, aut eam dignissimam reddere dignabatur: & hoc modo Domina nostra digna fuit, vt Mater Dei efficeretur. Cum autem Ecclesia de Virgine cantat; *Tu sola fuisti digna portare regem cælorum, & Dominum*. Non intelligit de dignitate æquiualentiæ naturalis, sed de dignitate congruentiæ, aut complacentiæ: & sic assumendo carnem eius, verum est, eam fuisse dignam, vt dictum est.

# ADDITIO.

## De dignitate Matris Dei.

GLoriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Nulli dubium est, quin Maria sit ista Ciuitas, & gloriosa dicantur de ea, quia beatam dicunt omnes generationes. Ciuitas dicitur ciuium vnitas. In Virgine fuit vnitas, quia in ea caro non concupiuit aduersus spiritum, nec spiritus aduersus carnem, nec aliquid rebellionis, aut contradictionis in corpore eius, vel anima fuit; Sicut in Arca Noe, omnia animalia pacifica erant. Sic in Virgine motus sensualitatis fuerunt pacifici, ideo summus habitator ibi pacificè hospitatus est, & ibi in pace factus est locus eius. Ciuitas Dei, ad differentiam Ciuitatis Babyloniæ, quę Diaboli est, in quam Dominus non ingreditur. Ciuitas Dei, quia tota fuit Dei, & nullius nisi Dei; quia in ea nihil habuit pars aduersa. Ideò dicit ipsa. Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ideò etiam Dilectus totiens vocat eam suam in Canticis, dicens. *Amica mea, Columba mea, Soror mea, Sponsa mea, &c.* Item, Ciuitas Dei, quia sola digna tanto rege, tanto Pontifice, tanto fundatore, tanto habitatore. Ideò dicitur in Psal. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in Ciuitate Dei nostri*. Commendatur autem Ciuitas hæc à multis, & ante omnia à fundamentis. Vndè. *fundamenta eius in montibus sanctis*. Et nota, quòd propheta præuidens in spiritu dignitatem, & excellentiam huius Ciuitatis, scilicet Virginis gloriosæ, quasi vehementer admirans gloriam ipsius, ex improuiso prosilijt in hæc verba. *Fundamenta eius in montibus sanctis*. idest, in Patriarchis, Regibus, & Prophetis. Dicit, ergo, fundamenta eius sunt in montibus sanctis, idest in Patriarchis, &c. Ex quibus originem traxit, sicut patet in Genealogia Christi. Vel, fundamenta eius sunt montes sancti, scilicet, Abraam, Isaac, Iacob, Dauid, & cæteri; ex quibus Maria, & ex qua Christus.

Vel fundamentum ipse Christus. Vndè Isai. 28. *Ecce*

*ego mittam, dicit fundator, in fundamentis Sion, id est Mariæ lapidem angularem, probatum, pratiosum, in fundamento fundatum*, id est Christum. Erat enim Ciuitas hæc fundata supra firmam petram, quæ est Christus, *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus*. 1. Corint. 3.

Item, Maria figuratur in fundamento templi. 3. Reg. 5. *Præcepit Rex Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides prætiosos, in fundamentum templi, & quadrarent eos, quos dolauerunt cæmentarij Salomonis, & cæmentarij Hiram*, & hoc necesse fuit, quia non homini præparabatur habitatio, sed Deo. 1. Paralip. 29. *Lapides grandes, eminentissimæ virtutes*; scilicet humilitas, fides, charitas, virginitas, patientia, paupertas, & huiusmodi; quæ velut fundamentum totius boni sustinent, & supportant ædificium, & dicuntur hi lapides prætiosi ab effectu, quia virtutum vniuersitas Mariam reddidit prætiosam. Dicuntur etiam quadrati: propter quatuor virtutes Cardinales, quæ gloriosam Virginem, quasi quadratam, & stabilem reddiderunt, contra omnem aduersitatem, & impetum inimici; & per has, & per vniuersas alias virtutes, cõsurrexit hoc ædificium, vt ipsa fieret Ciuitas regis magni. Per cæmentarios Salomonis, & Hiram, possunt designari carismata Spiritus sancti, quæ Mariam spiritualiter dolauerunt, & totius peccati scrupulum separauerunt ab ea, in conceptione. Item huic fundamento possunt adaptari illi duodecim lapides, de quibus. Apoc. 21. *Fundamentum primum Iaspis, &c.* Item illud Isaiæ 54. *Fundabo te in Saphiris, &c.*

Sequitur, *Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob*. Dicitur beata Virgo, Sion; quia sicut Sion erat locus eminentissimus in Hierusalem: Sic beata Virgo, in vtraque Ecclesia, portæ huius Sion fuerunt quinque sensus beatæ Virginis, qui clausi semper fuerunt, contra omne noxium, & inhonestum. Apertæ autem fuerunt portæ istæ ad omne bonum; Vnde aures eius, quæ clausæ erant contra mundi strepitũ, quando ingressus est Angelus ad eam, apertæ sunt salutationi eius. Porta cordis, quæ contra consensum viri clausa erat,

aperta est diuinæ voluntati, quando dixit. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi, &c.* Ideò dicitur Ezech. 44. *Dominus Deus Israel, ingressus est per eam.* Et sic potest de alijs sensibus assignari. Diligit ergo *Dominus portas Sion*, idest sensus beatæ Virginis. *Super omnia tabernacula Iacob*, idest; plusquam omnia corpora aliarum Virginum, quòd corpus tabernaculum dicitur. 2. Petri 1. *Velox est depositio tabernaculi mei.* Item beata Virgo, *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*, idest in corpore; Virgines autem dicuntur Iacob, quia luctatæ sunt contra carnem suam, & supplantauerunt fomitem, qui in beata Virgine omninò fuit extinctus.

Hæc Ciuitas commendatur à fundatore, qui fuit Deus trinus, Vnde in Psal. *Deus fundauit eam in æternum.* Item, *ipse fundauit eam Altissimus.* Vndè etiam ipse dicit huic Ciuitati. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Saphyris.* Isa. 54. Vel fundator sapientia, idest filius Dei. Vnde Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum*, nec habitura est finem hæc Ciuitas, quia Deus fundauit eam in æternum.

A Conditore. Vnde de antiquis Sanctis dicitur. Ad Hebr. 11. *Quod expectabant fundamenta habentem Ciuitatem, cuius artifex, & conditor Deus.* Hæc Ciuitas beata Virgo, per cuius partum sperabant se redimendos ab inferno. Vnde dicebat Iacob iam proximus morti. Gen. 49. *Salutare tuum expectabo Domine*, & paulò post *donec veniat desiderium collium æternorum*, cuius scilicet Ciuitatis artifex, & conditor Deus.

A Rectore, & Rege iustitiæ; Rex enim huius Ciuitatis est, *Dominus regit me, & nihil deerit, &c.* Quia gratia plena, & omni bono referta. Et ab Isa. 1. Vocatur Ciuitas iusti, quia omnes motus, & effectus Virginis fuerunt iusti.

A situ loci, quia fundata supra firmam petram, quæ Christus est. Petra autem erat Christus. Et ideò vox eius est Ecclesiastici. *Ego in altissimis habitaui, &c.* Item, *Fundamenta eius in montibus sanctis*, idest, in eminentia omnium virtutum.

A situ loci, quia fundata super humilitatem, quæ est

stabilitas fidelis animæ, quam non potest mouere diabolus. Et hoc est quod dicitur in Psalmo. *Qui fundasti terram super stabilitatem suam*, idest Mariam super humilitatem suam, *non inclinabitur in sæculum sæculi* ad peccandum.

Et Nota, quòd Ciuitas in monte sita, tria habet. Est clarissima, sanissima, & mundissima. Clarissima, quia prius, & copiosius recipit Solis illuminationem: Sic Maria, prius & copiosius claritatem excepit filij sui Solis iustitiæ, vt perspicuè cognosceret mundum, se, & Deum. fuit clara in cognitione mundi, quem contempsit. fuit clarior in cognitione sui, sed clarissima in cognitione Dei. Et hoc prædixerat illi Isai. 60. *Erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Ipsa etenim est Hierusalem, cui multo ante promiserat Tob. 13. *Luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te.*

Fuit etiam Ciuitas hæc sanissima, sicut Ciuitas sita in Monte, quia Maria sana fuit, quādo in Conceptione præseruata fuit à peccato originali, & extinctus fuit fomes. Sanior, quia in bona eius conuersatione, adhuc fuit amplius diminutus. Sed Sanissima, quia in filij Dei conceptione omninò fuit extinctus.

Fuit etiam hæc Ciuitas mundissima; quia Maria munda fuit in cogitatione, Mundior in affectione, sed mundissima in intentione: & propter hoc illi conuenit, quod de cœlesti Hierusalem dicitur Apoc. 21. *Ipsa Ciuitas aurum mundum simile vitro mundo.* Aurum, propter fulgorem charitatis; Mundum, per gratiam virginitatis. *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum*, per consensum in cogitatione, & faciens abominationem in actione, & mendacium in locutione: & ideo ipsa non peccauit, nec cogitando, nec loquendo, nec operando. Ecce quod hæc tria habuit in se Ciuitas nostra, quæ solet habere Ciuitas in monte sita, videlicet, charitatem, sanitatem, & munditiam.

Commendatur hæc Ciuitas à dispositione. Vnde Apocal. 21. *Ciuitas in quadro posita est*, cuius quadratura fuit fides, spes, charitas, & operatio bona; quia vt dicit Glosa, *Hæc Ciuitas robusta fide, longanimis spe, ampla charitate, efficax operatione.* Sequitur longitudo eius; idest fides tanta est,

est,quanta est latitudo,idest charitas:quia quantum credidit,tantum amauit. Glosa. *Quantum credit quis, tantum sperat. Quantum sperat,tantum diligit. Quantum diligit, tantum operatur.* vel,hanc quadraturam faciunt quatuor virtutes Cardinales, quarum vna, non dicitur aliam excedere.

Commendatur à murorum firmitate. Apoc.21. *Habebat Ciuitas magnum murum, & altum,* Christum videlicet defensorem matris, magnum apud homines, secundum humanitatem: altum apud Patrem,secundum Diuinitatem. De hoc muro dicit Isa.26. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.* Sic expone: O Sion. O tu Ecclesia, annuntio tibi quòd vrbs fortitudinis erit nobis: & quæ sit vrbs illa, declarat per illud, quod sequitur. Saluator, ponetur in ea murus; & Nota, quod si Saluator ponitur in ea,intra eam concluditur; & si murus ponitur,concludit eam. Hæc ergo descriptio vrbis, Mariæ specialiter conuenit, nec potest alij conuenire: nam in ea conclusus est Saluator per Incarnationis mysteriũ. Nam in vtero Virginis quo ad humanam circumscriptus naturam,nihilominus per incircumscriptam diuinæ potẽtiæ naturam,circuibat etiam matrem suam; huius autem vrbis, quæ nobis est defensionis fortitudo, antemurale fuit illa peruigil Angelorum custodia, de qua dicitur Cant. 3. *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, &c.* Et sic intelligendum est istud. Saluator ponetur in ea murus, & antemurale,supplè ponetur in ea. Propter hoc illi dicitur Isa.60. *Occupabit salus muros tuos.*

## *Quòd Virgo Maria fuerit tentata à Dæmone.*

Bernar. BErnardus. Serm.de beata Virgine. Ex verbis Apoc. *Nimirum Maria est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius plenè calcaneo, in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa: sola enim contriuit vniuersam hæreticam prauitatem.*

Nicol. de Lyra. Nicolaus de Lyra in 3.cap.Genes.super illa verba, *Et tu insidiaberis calcaneo eius.* dicit quòd diabolus tentauit Christum exterius tantummodo suggerendo; quæ quidem

dem tẽtatio non fuit vitium in tentato, sed virtutis exercitium; eodem modo credendum est de Virgine.

Fulbertus Carnotensis super illa verba. *Et ipsa conteret caput tuum*, dicit. *Quid est caput serpentis conterere, nisi principalem Diaboli suggestionem resistendo superare?* *Fulbert. Carnot.*

Bernardus Homil. 1. super Missus est. *Ipsa conteret caput tuum. Cui inquit, hæc reseruata victoria est, nisi Mariæ? Ipsa procul dubio, caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tàm de carnis illecebra, quàm de meritis superbia deduxit ad nihilum.* *Bernar.*

Tostatus super ista verba. *Et tu insidiaberis calcaneo eius*, dicit. *Quod Diabolus Christum tentauit, sed non præualuit. Sic etiam fortè tenendum est, quòd beatam Virginem tentauerit, nihil præualens.* *Tostatus*

Insidiaberis calcaneo eius. Rubertus Abbas lib. 3. in Naum Prophetam cap. 3. *Insidiaberis calcaneo beatæ mulieris, beatæ Mariæ virginis, immò & calcaneo seminis eius, quod est Christus.* *Rubert. Abbas.*

Bernardus in deprecatione, & laud. ad Mariam Virginem, post medium. *Tu bellatrix egregia, primò eum, qui primus Euam supplantauit, expugnare viriliter aggressa es.* *Bernar.*

Idem in eodem loco. *Omnis ante faciem tuam militia spiritualium nequitiarum, in fugam est conuersa.*

Idem Homil. 3. super Missus est. super illa verba. *Et turbata est in sermone eius, &c. idest Angeli, quando salutauit eam, dicit. Sciebat denique prudens Virgo, quòd sæpe Angelus sathanæ transfigurat in se Angelum lucis: Et quia nimirum humilis, & simplex erat, nihil tale à Santo penitus Angelo sperabat, & ideo cogitabat, &c. Ita non ad instar Euæ leui vento doctrinæ, aut verbis suauibus credere, sed prudenter, & eum, qui loqueretur, & illa, quæ diceret, expendere voluit, ne fortè in tentationis laqueum pertraheretur.*

Eutymius in Luc. cap. 1. *Turbatam illam censet, quòd timuerit, ne fortè dolosus esset.* *Eutym.*

Damascenus de Orthodoxa fide. lib. 4. cap. 15. super illa verba. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, &c.* Quænam obsecro ex toto sanctarum, & Illustrium Mulierum numero est, quæ serpentis antiqui caput contriuit, & inimicitias cum illo exercuit, & cuius semen semper serpenti *Damasc.*

penti fuit aduersum, nisi sacratissima Virgo Maria? Quæ, Sathanæ potestatem confregit, vitiis omnibus semper infesta emicuit.

# ADDITIO.

QVod Virgo Maria fuerit tentata à Dæmone. patet hoc, quia Christus fuit tentatus, vt dicit Matthæus 4. *Ductus est Iesus in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo.* Luc. 4. *Expulit eum spiritus.* Ioan. 14. *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam.* Paulus ad Hebræos 4. *Sed tentatum per omnia, pro similitudine &c.* Si Dominus fuit tentatus, ergo & beata Virgo, quia non est maioris priuilegij Seruus Domino.

Item in Genesi 3. *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Si inimicitiæ ita intensæ fuerunt inter Dæmonem, & Virginem, quòd Virgo contriuit caput Dæmonis, & Diabolus insidiauit calcaneo Virginis; bene sequitur, quod Diabolus eam tentauit, & fuit cum ea in bello.

Item suppono, quod tentationes afferunt vtilitatem, vt dicit Paulus, 1. Corinth. cap. 10. *Sed facit cum tentatione prouentum.* & Psalm. 40. *In tribulatione dilatasti mihi,* idest, coronam; quia tentationes sunt mallei, quibus extenditur Aurum, & augetur corona, crescit honor, quia victoriæ dant arma, & trophæa; Victoriæ faciunt homines heroicos, & dignos omni honore, & reuerentia. Et ideò habemus, quod quando Christus superauit Dæmonem in deserto, *statim Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Ecce honor, & reuerentia exhibita Christo, quia Dæmonem vicit, & non legitur in scriptura, quod Angeli alia vice seruierint ipsi Christo, nisi post victoriam, & triumphum de Diabolo. Modo si tentationes tot, & tantas vtilitates afferunt, non est credendum, quod Christus suam Matrem huiusmodi vtilitatibus priuauerit.

Sed aduertendum est, quòd duplices sunt tentationes: Aliquæ, quæ proueniunt ab intrinseco, idest, à fomite, à repugnantia carnis, & spiritus, à sensu, & ratione, sicut fuit

fuit tentatus Paulus, quando dicebat. *Inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Alia littera, *rebellantem legi mentis meæ*. Volebat dicere, quod caro, & spiritus sibi inuicem contradicebant, & stabant in continuo conflictu, & de istis tentationibus propter peccatum primi hominis omnes tentamur; & de huiusmodi tentationibus, non fuit tentata Virgo Maria, quia præseruata fuit à peccato originali, & per consequens non habuit fomitem.

Sunt postea aliquæ aliæ tentationes, quæ proueniunt ab extrinseco, vt puta à Dæmone, quando transfigurat se in Angelum lucis, & immittit reuelationes falsas; & de istis tentationibus potuit Virgo tentari; Sed an de facto tentata fuerit, dubium est. Certum est, quòd Virgo Maria habebat scientiam, & prudentiam infusam, & poterat cognoscere, à quo spiritu erat tentata, & superare tentationes. Quòd Virgo Maria potuerit huiusmodi tentationibus tentari, videtur quasi manifestum, quia Christus ita perfectus, fuit tentatus.

## *Quòd Virgo Maria non fuerit tentata.*

Athanasius Serm. de S. Deipara. *Discessit Angelus à Virgine, nimirum visibili præsentia, non famuli.* *Athan.*

Riccardus lib. 2. de Emmanuele par. 1. c. 31. *In cæteris Sanctis magnificum videtur, quòd à vitijs non possint expugnari: in Virgine Maria mirum videtur, quod à vitijs non potest ipsa vel in modico impugnari.* *Richar.*

Dionysius lib. 2. de laudibus Virginis, art. 8. *Nulla vnquam inordinata affectio, distractio, fragilitas, mentem Virginis à contemplationis lumine reuocauit, nec occupatio vlla exterior.* *Dionys.*

Robertus Abbas lib. 3. Cant. super illa verba. *Columba iuxta fluenta residet. Nunquam aduentus spiritalis Accipitris tibi esse improuisus, nec te consequi, immo nec tibi appropinquare potuit.* *Robert. Abbas.*

Petrus Rauennas in quodam Sermone sic ait. *Discessit Angelus ab ea. Visum vtique subtrahendo, non famulatum.* *Petrus Rauen.*

# ADDITIO.

QVòd Virgo Maria non fuerit tentata à Dæmone; sunt duæ, aut tres coniecturæ. Prima est fundata super verba Ioannis Damasceni, qui vocat Virginem Mariam *Cælum animatum*, id est viuum, & cum anima; & sicut Cœlum sedes est Dei, secundum illud Isaiæ dictum 66. *Cælum mihi sedes est*: ita Virgo fuit sedes, & domicilium Iesu Christi, non solum per gratiam, sicut cæteri Sancti, sed corporaliter. Secundum illud Pauli ad Collossenses 2. *in quo habitat omnis pulchritudo Diuinitatis corporaliter*, id est, verè, realiter, & essentialiter. Et sicut Cęlum, vt dicit Aristoteles, *non recipit peregrinas impressiones*; ita Virgo cum sit cælum animatum, nō recepit malas tentationes. Et si de cęlo dixit Dauid. Psal. 90. quòd malum non solum non accedebat ad eum, sed neque appropinquabat. *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Quid dicemus de isto cęlo diuino, nisi quod inuentor malorum non solum non tetigit, sed neque appropinquauit tabernaculo diuino? Si de cęlo dicit Iob. 25. *Qui facit concordiam in sublimibus suis*, id est, quod est locus pacis, sine inimicitiis. Quid dicemus de Virgine Santissima, nisi quod sit cœlum, & plusquam ipsum cęlum?

Secunda coniectura, quòd nō fuerit tentata, est locus, 6. Canticorum. *Vbi* sponsus vocat sponsam, *Terribilis vt castrorum acies ordinata*. Dicit quod Sponsa, id est Virgo Maria, est sicut Exercitus bene ordinatus ad bellandum terribilis. Non dicit quòd Virgo sit fortis valorosa, & plena triumphis, & victorijs; sed dicit quòd sit terribilis, id est, quod victoria est parua, superare exercitus inimicorum parum est, sed ad id peruenit, vt solo visu prosterneret inimicos, & posuerit in fugam, absque quod in campum certaminis egrederetur timet Diabolus Virginem, & non audet aspicere eam.

Et si quis diceret, quòd Christus erat magis terribilis, & formidabilis, magis Sanctus Virgine sanctissima, attamen

men fuit tentatus. Respondeo ex communi opinione Doctorum, quod Dæmon tentauit Christum, non vt induceret ad peccandum, sed vt experiretur, vtrum esset filius Dei, necne: ita sentit Augustinus lib. 9. de Ciuitat. Dei. cap. 21. *Dubitauit de illo Dæmonum princeps, eumque tentauit, an Christus esset explorans.* Chrysost. homilia prima, de lapsu primi hominis, dicit. *Credo apud se dicebat inueteratus. Iste quis est qui venit non per regionem meam?* Et in Psal. 49. *Ipsum quoque Diabolum latuit, neque enim si sciuisset, &c.* Certum est quod prætendebat cognoscere, an esset filius Dei. Et si quis diceret, quòd Diabolus in secunda tentatione, & in tertia, tentauit Christum, vt induceret ad peccandum, & ad idolatriam, dicens. *Hæc omnia tibi dabo, &c. Mitte te deorsum, quoniam Angelis suis, &c.* Dico quod istæ duæ tentationes Diaboli, fuerunt factæ Christo ex superbia, & ex desperatione; vt quando quis vult se submergere, si inuenit gladiũ se interimit, excæcatus ira, & furore. Ad propositum nostrum dico, quod si Diabolus tentauit Christum, non fuit quia Christus esset minus Sanctus ipsa Virgine, sed quia cupiebat scire, an Christus esset filius Dei, quia volebat impedire redemptionem generis humani.

Tertia coniectura, quod Virgo non fuerit tentata, est Sancti Martyris Ignatij, qui dicit. *Quòd Sapientia Diuina ordinauit, quòd Virgo Maria esset desponsata, vt partus eius celaretur Diabolo.* vt Diabolus esset dubius, an Christus esset filius Dei, videns eam coniunctam in Matrimoniũ, cogitaret, quòd Christus natus esset communi cursu, & sic filius eius non esset Deus, quia filius Dei de Virgine nasci debebat.

Sed hic oritur dubium, quia & si Dæmon videbat Virginem desponsatam, & matrimonio copulatam; attamen clarissimè, & distinctissimè cognoscebat quod erat Virgo. Quia licet Dæmon non cognoscat cordis secreta, benè autem cognoscit partes naturales, & videt omnia membra corporis, & scit, an vna Mulier sit virgo, necne. Sic etiam, licet Virgo Maria esset desponsata, optimè Diabulus sciebat, & cognoscebat, quòd Maria erat virgo: Et sic ratio S. Ignatij nihil valet, quia Matrimonium

nium non impediebat, quin Diabolus non cognoſceret, quòd Virgo licet parturiret, remanſerat virgo. Reſponſio huius difficultatis, eſt maior coniectura quæ inueniri poſſit, quòd Virgo non fuerit tentata, quia Virgo Maria erat cuſtodita ab Angelo Gabriele, intantum quòd Diabolus nec poterat aſpicere eam, quia Gabriel cooperiebat eam. Sanctus Athanaſius Ser. de Sancta Deipara. videtur eſſe huius opinionis, quia quando dixit, quod Angelus diſceſſit ab ea, ſubiunxit, *Diſceßit nimirum viſibili præſentia, non famuli, &c.* Et ſic Diabolus non cognouit an eſſet Virgo, necne, nec potuit tentare eam, quia Angelus Gabriel defendebat eam. Addo, quòd Gabriel dicitur fortitudo Dei, & ſic non ſolùm cuſtodiebat eam, ſed tanta fortitudine cuſtodiebat eam, vt non poſſet accedere ad eam Dæmon.

*Athana.*

Quarta coniectura eſt odium, quod Deus habet peccato; quia Deus non ſolum vult peccatum, ſed nec velle poteſt, quia peccatum quantum eſt ex parte ſua, opponit ſe Deo, & ponit finem ſuum in creatura. Modo dico, quod cum Deus deberet ſumere carnem ex muliere, non ſolum vult quod ſit ſine peccato, ſed etiam quod ſit ſine ſuſpitione peccati, & ſine tentatione, quæ ordinatur ad peccatum. De Magiſtrato dicebat quidam Gentilis, *quòd non ſolum debebat eſſe ſine peccato, ſed etiam ſine ſuſpitione peccati.* Quid dicemus de Regina cœlorũ? niſi quòd Deus non ſolum fecit eam ſine peccato, ſed ſine ſuſpitione peccati, & ſine tentatione ordinata ad peccatum.

Iſtæ ſunt coniecturæ, quæ me mouent ad dicendum, quod Virgo Maria non fuit tentata. Reſtat modò reſpondere ad rationes contrarias, quæ probant quod virgo Maria fuit tentata. Quarum Prima eſt: quod Chriſtus fuit tentatus à fortiori Virgo, &c. Reſpondeo, quod Chriſtus potuit dare Matri ſuæ iſtud priuilegium, non accipiendo ipſum pro ſe, & conueniebat: Primo, vt mediantibus tentationibus cognoſceremus quod fuit verus homo. Secundo, vt dicit Auguſt. lib. de Ciuit. Dei. cap. 21. *Vt facilius nos ſuſtineremus tentationes, videntes quod Chriſtus ſuperauit eas.* Tertio ipſe fuit tentatus, & non Virgo, propter

*Auguſt.*

propter diuerſitatem officiorum, quæ filius,& Mater habebant in mundo, rex indutus armis procedit ad bellum, &c.

Sed Regina domi manet cum ſuis Damigellis. Cum Rege omnes loquuntur,pauper, vilis,& abiectus. Sed Reginam non alloquuntur niſi Magnates, & Principes.

Chriſtus Dominus noſter, erat Rex, & competebat ei ex officio, ſuis tentationibus dare nobis auxilium in noſtris tentationibus,& ideò bellabat cum Dæmone, & erat in campo certaminis cum eo.

Sed Virgo cum ſit Regina, non videatur à Dæmone, non alloquatur eam tàm vilis perſona; Sed Angeli Cœlorum, Gabriel Archangelus, Principes gloriæ, iſti videant eam,ſalutent eam, alloquantur eam non vult Rex Chriſtus, vt infamis perſona turpis Diabolus ſecum loquatur,ſed tantummodo ciues Cœlorum, lætentur de eius præſentia,& colloquio.

Sophronius relatus à Diuo Hieronymo Serm. de Aſſumptione Virginis,ad Paulam,& Euſtochium,loquendo de ingreſſu Angeli Gabrielis ad Virginem, dicit. *Ab Angelo venerabiliter,& officioſiſsime ſalutata.* Notentur ſingula verba. *Sophro.*

Sanctus Athanaſius Serm.de Sancta Deipara loquendo de modo, quando Angelus diſceſſit à Virgine, dicit. *Quòd magna cum reuerentia peracto iam negotio diſcesſit ab ea.* *Athan.*

Ad ſecundam rationem. *Inimicitias ponam inter te,& mulierem,* dixit Deus ſerpenti. Ergo ſerpens tentauit Virginem. Reſpondeo, quòd in mundo ſunt multæ inimicitiæ intrinſecæ, attamen non veniunt ad lucem, & remanent in cordibus ſuis. Sic fuit inter Dæmonem,& Virginem: Fuit inimicitia intrinſeca,ſed non venerunt ad manus.

Item Deus dixit ſerpẽti. *Et tu inſidiaberis calcaneo eius.* Ergo tentauit eam.

Dico quòd non ſequitur, quòd tentauerit eam, quia quotidie videmus,quòd inimici pręparant arma,ponunt inſidias,&c.Sed experti milites ſtratagemis, & artificijs liberant ſe.

Et quia Virgo Maria habebat custodem Archangelum Gabrielem, & defensorem; ideò Diabolus non poterat accedere ad eam tentandam.

Remanet vna difficultas, & est: quòd Deus dixit serpẽti, *Et ipsa conteret caput tuum.*

Si Virgo habuit istam Victoriam, quòd confregerit caput serpentis, sequitur quòd fuerit cum Dæmone in bello, & quòd Dæmon insidiauit calcaneo eius. Et ipsa confregit caput eius.

Dico quòd ex istis verbis non sequitur, quòd Dæmon tentauerit Virginem, etiam si Virgo confregerit caput, serpentis: quia Diuus Hieronymus, & septuaginta Interpretes, & Græci, legunt pro, ipsa, Ipse, ita vt verbum referatur ad filium, & non ad Virginem; & sic victoria Virginis contra serpentem, non fuit in persona propria Virginis, sed mediante filio, quia ipse solus erat caput, & potuit confringere caput serpentis, idest, mortis, relinquens eam sine vita, & satisfaciens Patri ita plenè, quòd nec Virgo Maria, nec alia pura creatura facere poterat.

*Hierem.*

Ad Tertiam rationem, quę erat, quòd tentationes afferunt vtilitatem. *Faciet cum tentatione prouentum.* Vt supra. Ergo Virgo Maria non debuit priuari istis vtilitatibus.

Dico quòd verum est, quòd tentationes afferunt vtilitates, sed quia semper amare Deum, & habere nouos actus charitatis, est maioris perfectionis, & vtilitatis, quã tentari à Dæmone, & Virgo semper sine diuersione, & sine mora toto corde amabat Deum, magis merebatur, quàm si à Dæmone tentaretur. Et sic Deus non priuauit eam gloria, neque præmio, neque augmento coronæ.

Possem etiam addere aliam coniecturam, quæ talis est. Vult Spiritus Sanctus, quòd post baptismum Christi, ipsemet Christus sit tentatus à Dæmone, & ideò Spiritus Sanctus duxerit Christum in desertum.

*Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à Diabolo Matth.*

Si Christus tentandus erat, cur Spiritussanctus nõ permisit,

misit, vt tentaretur in domo sua, sed quòd duceretur in desertum,& ibi tentaretur?

Quid referebat Spiritui sancto, vt Christus magis in vno loco,quàm in alio tentaretur? Credo quòd Spiritus sanctus voluit,vt Christus in deserto tentaretur, vt ostẽderet maiestatem, & reuerentiam Virgini Mariæ exhibẽdam esse. Est tanta puritas Mariæ,& debetur ei tanta reuerentia quia Regina cæli est,quòd non vult Spiritus sanctus,vt ingrediatur domum eius tàm vilis, & infamis persona,vt Diabolus est, ad tentandum filium eius. Et ideò credo, quòd non solum Virginem tentauit, sed nec domum eius ingressus est ad tentandum filium. Hæ sunt coniecturæ,quas inuenire potui, quòd Virgo non fuerit tentata;dicant alij,& libenter audiam eos.

## *De Dolore Virginis iuxtà Crucem.*

AMbrosius lib.de Institutione Virg.capitul.7. *Stabat igitur ante Crucem Mater, & fugientibus viris stabat intrepida, quæ animum non mutauit, spectabat pijs oculis filij vulnera, per quæ sciebat omnibus futuram redemptionem.* *Ambros.*

Dionysius Richelius lib. 7. de Præconio, & dignitate Virginis cap.23.*Sapientissima, & constantissima Virgo, quæ filij sui passionem,passionisque modum clarè, & distinctè præcognouit,magis quàm Dauid,Isaias,aut aliquis Prophetarum, in passione ipsius nullatenus dubitauit, immò fidelissima mansit.* *Dionys. Richeli.*

Euthimius in 2.Lucæ. Et tuam, &c. *Gladium nominauit dolorem acutissimum, maximèque diuidentem, qui penetrauit cor matris Dei,dum filius eius cruci affixus est.* *Eutim.*

Methaphrastes,in oratione,de ortu, & educatione Deiparæ,*conuenienter ipsum gladij nomine significauerit: qui quidem tempore passionis Mariam inuasit.* *Metaph.*

Beda in Luc. Tuam ipsius animam,&c.*Idest dolor passionis dominicæ,quia non potuit videre eum crucifigi.sine affectu materni doloris, & si speraret eundem resurrecturum, & mortem deuicturum.* *Beda.*

Damascenus lib.4. de fide Orthodoxa cap. 15. in fine. *Damas.*

*Ipsa Beata, & super naturam donorum digna effecta, dolores partus, quos effugit pariens, illos in tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum lacerum reparturiens; & quem Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficum interfectum videns, tanquàm gladio cogitationibus discerpitur, & hoc est tuam ipsius animam, &c.*

Bernar. Bernardus super illa verba. *Stabat iuxtà Crucem. Quòd enim in carne Christi agebant claui, & lancea, hoc in Virginis mente passio naturalis affectionis, & materna angustia, claui vtique & lancea passionem, affectio materna compassionem.*

Et Sermone de Passione Domini, *Mater sentiebat filij dolores, Virgo quæ peperit, patiebatur gladio doloris, Christi morientis vulnera matris erant, doloresque matris Christi fuerunt; & dolores nati, matris animam penetrabant, vt gladius acutus.*

Bernar. Bernardus de Lamentatione Virginis. *Vulnera Christi morientis, erant vulnera matris dolentis, dolores saeui fuerunt torrentes in animam Matris.*

Idem in Euangelio Ioannis. Stabat Mater iuxtà Crucem. *O ineffabilis reciprocatio sancti amoris, filius patitur, & intus valde compatitur matri, Mater verò compassa est patienti filio: tantus nempe impetus passionis Domini Iesu fuit, vt quasi torrens ipsum impleret patientem, & inebriaret: & sic Christo impleto, in matrem flueret patientem, quia similiter impleta, à filium redundaret inundatio amaritudinis, & maeroris.*

Idem vbi supra. *Stabo, & aspiciam oculis, manus perforatas, & pedes, videbo quomodo pendeat in patibulo mundi Saluator, & quomodo transeat ex hoc mundo, accedam propius, & amplectar brachijs, & depositum de Cruce, osculabor filium, Deum, & Dominum meum*

Idem de planctu Virginis. *Fili mi, fili mi: Væ mihi, væ mihi; Quis dabit mihi, vt ego moriar pro te fili mi? trahe me ad teipsum, vt & ego moriar tecum: male solus moreris, sine matre noli mori, verba domabat amor, sed raucè sonabant, quia lingua magistra vocis, vsum perdiderat loquendi.*

Idem *stabam & ego videns, eum, & ipse videns me, plus dolebat de me, quam de se.*

*Aspi-*

*Aspiciebam ego infelix, & misera Deum meum, & filium meum in Cruce pendentem, & morte turpissima morientem, tantoque dolore, & tristitia vexabar in mente, quod non possit explicari sermone. Iste erat dolor meus maximus, quia videbam me deseri ab eo, quem genueram, nec supererat alius, quia mihi erat vnicus, vox mea ferè perierat omnis, sed dabam gemitus, suspiriaque doloris: volebam loqui, sed dolor verba rumpebat, quia verbum iam mente conceptum, dum ad formationem procederet oris, ad se imperfectum reuocabat dolor intimus cordis.*

*Videbam morientem, quem diligebat anima mea, & tota liquefiebam præ doloris angustia.*

*Aspiciebat ipse benignissimo vultu me Matrem plorantem, & verbis paucis voluit me consolari; sed ego nullo modo consolari potui.*

*O Mors misera noli mihi parcere, tu mihi sola præ cunctis places: exagera vices, trucida matrem, Matrem cum filio perime simul.*

*O Iudæi impij, ò Iudæi miseri, nolite mihi parcere: ex quo natum meum crucifixistis, & me crucifigite, aut alia quacunque morte sæua me perimite, dummodo cum meo filio simul moriar.*

*Cur ergo viuit Mater post filium in dolore? Tollite, suspēdite matrem cum pignore: non parcitis proli, non parcatis & mihi.*

*O fili carissime, ò benignissime nate, miserere matris tuæ, & suscipe preces eius: desine nunc mihi esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus.*

*Suscipe matrem tuam in Cruce, vt viuam tecum post mortem semper.*

*Nihil mihi dulcius est, quàm te amplexato in cruce tecū mori, & nihil certè amarius, quàm viuere post tuam mortem.*

*Vulnera Christi morientis, erant vulnera matris dolentis.*

*Nec lingua poterit loqui, nec mens cogitare valebit, quanto dolore afficiebantur pia viscera Mariæ.*

*Nunc soluis virgo cum vsura, quod in partu non habuisti à natura. Dolorem pariendo filium non sensisti, quem millies replicatum filio moriente passa fuisti.*

*Ibi stabat dolens, sæuo dolore confecta.*

*In illius anima dolor sæuè sæuiebat.*

*Expectans corpus Christi deponi, plorabat dicens. Heu me, heu me, reddite, vel saltem nunc mæstissimæ matri extinctum filium, vel certè si magis libet, me morte illi coniungite, vt cum doloribus suis, pereant dolores mei.*

*Ibi doloris immensitate oppressa, prostrata iacebat, O graue martyrium, ò frequens suspirium, ò languens pectus virgineum.*

*Præ doloris vehementia, & amoris immensitate, quasi exanimis facta fuit.*

*Dicat qui potest, cogitet quantum potest, meditetur, si potest, quæ doloris immensitas, tunc maternam animam cruciabat.*

*Non credo plenè enarrari, vel meditari posse dolorem virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantùm vmquàm dolere potuit de tali filio, talis mater.*

*Erant similiter & Angeli dolentibus condolentes, dolebant quidem pio, iustoque dolore, morti compatientes Dei, & Domini sui, si tamen dolere quomodolibet poterant.*

*Flebant, & ipsi (vt arbitror) amarissimè mente turbati, videntes Dominam suam matrem, vtique Dei sui tàm vehementi dolore repletam, tot riuulis affluentium lacrymarum perfusam.*

*Fiebat proinde mæror, & luctus ab Angelis ibidem præsentibus, qualis decebat spiritus almos: Immò mirarer, si omnes Angeli in illa beatitudine, vbi flere est impossibile, non fleuissent.*

*Credo propter quod & loquor, quia dolebant, si dolere valebant: Sicut enim fuit possibile, Deum per assumptum hominem mori, ita fortè possibile, Angelos bonos dolere de morte Dei sui.*

Idem de verbis Apocalypsis B. Ioannis. *Quis nam tu frater, aut vndè tibi hæc sapientia: vt mireris plus Mariam cõpatientem, quàm Mariæ filium patientem?*

*Dolor etenim Virginis, cunctos intuentes dolere compellebat, vixque lacrymas continere valebant, qui eam plorantem conspicerent.*

*Iam piè plorabat, tàm amare dolebat, quòd sui ploratus pietate multos iam inuitos, ad lacrymas prouocabat: fiebat planctus quacunque Maria transibat, omnesque plorabant, qui obuiabant*

*uiabant ei*. Hæc ex Bernardo.

Rubertus in Caput 19. Ioannis. *Stabat mater iuxtà filij crucem, sine dubio dolens, & dolores tanquam parturientis habens: Cruce namque eius nimium ipsa cruciabatur, sicut ei prædixerat Simeon.* Rubert.

Anselmus super verba. *Stabat iuxtà Crucem. Constanter ipsa sola stabat in fide Iesu firma, & pulchrè stabat, vt decet pudicitiam virginalem: non se laniabat in tanta amaritudine, non maledicebat, non murmurabat, nec vindictam hostium à Deo petebat, sed stabat disciplinata, verecunda, Virgo patientissima, lacrymis plena, doloribus immersa.* Anselm.

Idem de Excellentia cap. 5. *Quicquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihil, comparatione tuæ passionis, quæ nimirum, sua immensitate transfixit cuncta penetralia tua, tuique benignissimi cordis intima.*

*Et vtique pia Domina, non crediderim te potuisse vllo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres, sustinere: nisi ipse spiritus vitæ, spiritus consolationis, spiritus dulcissimi filij tui, pro quo moriente conquerebaris, tantopere torquebaris, te confortaret, & consolaretur, te intus doceret, non esse mortem eum absumentem, sed magis triumphum omnia ei subijcientem.*

Rubertus lib. 5. in Cant. Inducit Mariam hoc pacto loquentem. *Flebam quippè, & præ singultibus vehementer erumpentibus, non poteram verba nisi concussa, vel voces nisi intercisas euoluere: Nunquid enim poteram absque flexu de illo verba facere?* Rubert.

Dionys. Richel. lib. 2. de Laudibus virginis artic. vlt. *Mariam patienti filio, vehementissimè compassam esse.* Dionys. Richel.

D. Bonauentura in 1. sententiarum dist. 46. q. vlt. Vult, *quòd Virgo Maria tantùm compassa est, vt si fieri potuisset, omnia tormenta, quæ filius pertulit, ipsa multò libentiùs sustinuisset.* D. Bona.

Ambrosius de Institut. virg. cap. 7. *Pendebat in Cruce Iesus filius, Mater se persecutoribus offerebat. Si hoc solum esset, vt ante filium prosterneretur: laudandus pietatis affectus, quòd superstes filio esse nolebat, sin verò, vt cum filio moreretur.* Ambr.

Rubert. Rubertus in Cant.cap. 5. lib. 5. *Mulier ecce filius tuus: ad Discipulum autem, ecce Mater tua. Ibi ignis, ibi gladius. Ignis amoris, Gladius doloris. Et Anima mea victima erat.*

Sophro. Sophronius de Assumptione Virginis. *Mariam plusquam Martyrem facit, & dicit, quòd alij Sancti, & si passi sunt pro Christo in carne; tamen in anima (quia immortalis est) pati non potuerunt; Beata Virgo, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideò vt ita fatear, quia spiritualiter, & caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam martyr fuit, nimirum quòd dilectionis eius, amplius fortis, quàm mors fuit: quia mortem Christi suam fecit.*

Ildeph. Ildephonsus Serm.2.de Assumptione Virginis. *Maria inter Martyres candidiorẽ, dignè prædicari aßerit, quandoquidem Gladius à Simeone prædictus, ad animam eius vsque peruenerit.*

*Tunc plusquam Martyr fuit, quia in animo, non minus amoris, quàm mæroris gladio intus vulnerata est, parataque stetit, ad pœnam quamlibet excipiendam, si percussoris manus accessisset, quæ nimio amore demum vulnerata, testis extitit Saluatoris, & pio mærorem in animo cruciatum sustinuit passionis.*

Effrem. Effrem. in Lamentatione Virginis. *Stans apud Crucem purissima Virgo, Saluatoremque in ligno suspensum suspiciens plagas reputans, intuens & clauos, querelas, colaphos, ac flagellationem, cum grauibus suspirijs, cum fletu ingenti, cum lamentis dolorosissimis, exclamauit, dicens. Mi fili dulcissime, Dilectissime fili, quomodo Crucem sustines? Mi fili, & mi Deus, quomodo sputa, clauos, & lanceam? quomodò pateris alapas, risus, iniurias, spineam Coronam, purpuream vestem, spongiam, arundinem, fel, acetum? Quomodò pendes in Cruce denudatus, Mi fili qui Cœlum nubibus cõtegis? Quomodò sitim fers, qui es opifex, quique mare, & omnes aquas creasti? Quomodò moreris insons in medio scelestorum? Quidnam commisisti?*

*Qua in re fili mi hebræos offendisti? & cur ergo te isti, simul iniqui, simul ingrati, cruci suffigunt, quorum claudos, & permultos valetudinarios sanasti, mortuos viuificasti? Tu vero quomodo interis, fili mi dulcissime, magnanime Deus?*

*Deficio te suspiciens in ligno suspensum, conclauatum, plagisque*


*que plenum mi fili? Vbi nunc pulchritudo tua? Vbi tuus modò decor?*

*Sol lumen suum obscurauit, & alius factus est, splendida Luna in tenebras euanuit, petra sunt perfracta, & monumenta aperta, templique velum in duo est discissum, Creatura conditorem suum, & opificem cognouerunt: & hi peruersi, ac miseri hebrai aures obstruxerunt, oculos clauserunt, ne Solem nunquam occidentem suspectarent, fili mi.*

*O Simeon admirande, en nunc gladius, quo mihi prædixisti cor meum transfigendum: Ecce gladius, ecce vulnus fili, & Deus mi, tua mors, meum cor subijt, viscera mea sunt disrupta, meum lumen obtenebratum est, & pectus meum grauis pertransibit gladius: horrendam cerno passionem tuam, mi fili, & Deus meus, video immeritam cadem tuam, nec opem ferre possum; lugete mecum, omnes discipuli Domini, dolorem meum, & vulnus profundum cordis mei contuentes.*

Epiphanius hæresi 78. dicit. *Quod Christus in cruce, matrem, mulierem, & non matrem, vocauit, quoniam præueniens ex parte ea, quæ audito hoc verbo pateretur Virgo: non matrem eam nominauit, ne eius scinderetur cor, appellatione nominis materni.* *Epiph.*

Hieronymus Epist. ad Paulam, & Eustoch. de Assumptione Virginis. *Beata verò Dei Genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur: ideò vt ità fatear, quia spiritualiter caro eius passa est gladio passionis Christi, plusquam mortis fuit.* *Hieron.*



AD-

# ADDITIO.

## De Doloribus Virginis.

TAntus fuit dolor Virginis, quòd ipsa fuit Martyr in anima, & gladius doloris, qui pertransiuit animam eius, in vnigeniti passione, pro amarissimo ei Martyrio computatur. Voluit siquidem filius, vt omni sanctorum speciositate participaret mater sua, immò vniuersam sanctorum pulchritudinem excederet. Et sicut appellatur Virgo Virginum, ita & Martyr Martyrum deberet appellari.

Quia quicquid operabatur in Virgine nouum erat, sicut prædixerat Hiere. 31. *Creauit Dominus nouum super terram, &c.* Et Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia.*

Placuit filio, vt gloriosior mater existeret, & mirabilior appareret, & nouo, & inaudito martyrij genere decoraretur. Et verè nouum, & inauditum martyrium, quod mater passa est, in Vnigeniti passione, in ea parte, quæ est impassibilis. Nouum, inquã, genus martyrij, multis de causis.

Primò, quia cum alij martyres patiantur in corpore, ipsa passa est in anima, vel in corde: iuxtà prophetiam Simeonis. Lucæ 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Sic expone, tuam ipsius, idest tui ipsius, vel gladius ipsius tuam animam pertransibit. Non dicit mouebit, lucem rationis obnubilando, sed pertransibit, velut rem immobiliter stantem, nec resistentem, aut in aliquo vacillantem.

Gladius siquidem passionis, qui transiuit corpus, & membra filij: pertransiuit, idest perfectè transiuit per cõpassionem animam Genitricis. Et tunc omnis plaga fuit tristitia cordis eius. Alij enim Martyres, etsi tormenta sentiebant in corpore, interiori tamen consolatione refrigerebantur in mente. Et si eorum corpora pertransibant gladij tormentorum, pro Christo tamen animæ eo-

rum

rum delectabantur in Christo: filius etiam simul patiebatur,& fruebatur,quia fuit in via comprehensor. Vnde dicit.*Prouidebam Dominum in conspectu meo semper.* Sed anima matris torquebatur in Christo, & totam eius animam doloris vehementia possidebat. Fuit etiam plusquã Martyr,quia duplex pertulit martyrium, dum & mortẽ filij vidit, & eius exemplo membra super terram mortificauit. Quod genus Martyrij illo nimirum,quo membra cæduntur ferro,horrore quidem,sed diuturnitate est molestius.

Item, sicut non fuit dolor,sicut dolor ille, qui transiuit corpus,& membra filii,sicut ipse dicit.,Tren.2. *O vos omnes,qui transitis per viam,attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Sic non fuit dolor, sicut dolor ille, qui matris viscera per compassionem pertransiuit. Vnde in Psal.notabiliter dicitur.*Circumdata varietate.* Videlicet,tot dolorum, quot filium suum videbat patientem. Hinc enim videbat caput spinis coronari, hinc genas auelli,hinc vultum conspui,hinc manus,& pedes configi, hinc os felle potari, hinc caput expirantis super humerum inclinari,hinc latus mortui lancea aperiri. Verè ergo,circumdata varietate dolorum. Et verè poterat dicere cum Susanna. Daniel 13. *Angustia mihi sunt vndique.* Et cum Dauid 1.Paralipom. 21. *Ex omni parte me angustia premunt.* Et tunc sicut canit Ecclesia.*Circumdabunt eam flores rosarum,*ideſt infinita martyriorum genera, quæ figurantur in Rosis;quarũ rubor attestatur martyrium. Propter hoc etiam appellatur ipsa *Rosa plantata in Hierico Eccl.24.*Hierico interpretatur Luna, quæ secundam charitatem habet post Solem, & designat Beatam Virginem: quæ post Christum transcendit omnem creaturam.Rosa verò ruborem habet vehementis intensionis, in quo duo figurantur; summa videlicet amoris perfectio, & martyrium intensissimi doloris. Quantò enim diligebat ardentius,tantò vulnerata est profundius. Vndè dicit in Cant.secundum aliam litteram, quam ponit Gregorius. Gregor.
*Vulnerata charitate ego sum.* Rosa igitur rubicunda, Luna verò candida est. Et quia gratus est color roseus in candore,voluit filius qui candidus est,& rubicundus, matrẽ

sibi per omnia similari : Sicut ipse per omnia præterquā in sexu inquantum homo, similabatur ei, & ideò noluit ipsam sine martyrio remanere.

Rosa igitur in Luna, martyrium mentis in carne virginea, idest in Virgine candida, *quæ pulchra dicitur vt Luna*. Cant. 6. Sole enim iustitiæ conuerso in tenebras per mortem corporis, conuersa est hæc Luna in sanguinem, per martyrium animæ. Apocalyp. 6. *Sol factus est niger sicut saccus cibicinus, & Luna tota facta est sicut sanguis.*

Item, quòd non fuerit tàm amarum martyrium aliorum sanctorum, patet. Non fuit talis filius, non fuit talis mater, non fuit tanta charitas, sicut inter matrem, & filium, non fuit tanta indigna mors, non fuit tantus dolor. Sciebat siquidem Mater, qualis erat filius, vnde conceptus, & quomodò, & cætera huiusmodi. Et ideò quantò dilexit teneriùs, tantò vulnerata est profundiùs; nihil om ninò habens consolationis, sicut cæteri martyres, sed totum habens tribulationis. Nam absorpta erant ipsius viscera maternis doloribus, vltra quam homo, vel Angelus perpendere possit, non tamen vsque ad desperationem.

Fuit enim Dominus patiens matri suæ vmbraculum meridiani. Sicut dicitur Eccl. 34. *In meridie Sol feruet, & claret.* Et Sol persecutionis in Christi passione feruit quasi in meridie, quia nulla euidentior, vel grauior, potuit esse persecutio matris, quàm videre mortem vnigeniti filij sui, qui erat scilicet vnicus matri suæ: fuit ergo tunc Beatæ Virgini Sol persecutionis in meridiano. Vnde Eccles. 43. *In meridiano Sol exurit terram* in meridiano enim passionis, Sol, idest Christi persecutio exurit terram, idest terrenos, scilicet Apostolos, qui terreni erant; quia percusso Pastore, dispersæ sunt oues gregis zacha. 13. In sola autem Beata Virgine stetit Ecclesia, nec eam exurit terram feruor meridiani; & ita tunc fuit ei filius vmbraculum meridiani.

Notandum etiam, quòd in passione, & mater filio, & matri filius, quasi relatiuè compatiebantur: patiente siquidè filio, potuit de matre verissime dici Illud Isa. 53. *Verè dolores eius ipsa tulit, & languores eius ipsa portauit,*

sci-

fcilicet per compaffionem. Ad hoc etiam innuendum, *ftetit mater iuxtà Crucem*, ideft iuxtà mortem. Et Nota, quòd languor, dicitur quafi longus angor. Nunquàm enim, ex quo filium concepit, fuit nifi in languore.

Languit enim timore à Natiuitate filij, vfque ad paffionem; cum femper vitam filij appeti infidijs cognofceret. Languit dolore toto tempore paffionis, donec rediuiuum reciperet. Languit amore poft Afcenfionem, quodammodo pio defiderio felicius, fed mirabiliùs cruciata, quia fedentem in cœlo non teneret. Præter hunc tertium languorem, dicit ipfa. Cant. 5. *Filia Hierufalem*, ideft, o vos virtutes Angelicæ, fupernam inhabitantes Hierufalem, *nunciante dilecto*, ideft filio meo, *quia amore langueo*. Sic enim filius licet fit fummi fructus gaudij, tàm longè factus eft illi caufa martyrij, vt carisfimam ipfius animam, tot, & tàm acuti fine ceffatione pertranfirent gladij.

Attendendum eft igitur, & iugiter recolendum, quòd tàm deuota coadiutrix extitit ad mundi redemptionem; vt, ficut non fuit dolor ficut dolor ille, quem fuftinuit filius pro mundi redemptione; fic non effet dolor, ficut dolor ille, quem ipfa pertulit in corde pro eadem caufa: filio etiam ponente animam pro mundi falute, mater etfi non pofuit animam pro mundo, expofuit tamen, & quod potuit fecit. Ad hoc etiam martyrium defignandũ quafi quodam præfagio nuncupata eft Maria, quòd interpretatur Mare amarum. Habes igitur caufam primam, quomodo gladius filij, qui matris animam pertranfiuit, ei pro martyrio computatur.

Secundò, quia cum alij martyres paffi fint per fidem, Maria paffa eft propter charitatem. Vnde dicit in Cant. fecundam aliam literam, quam ponit Gregorius. *Vulnerata charitate ego fum.* Et ficut charitas maior eft, quàm fides 1. Ad Corin. 13. *Maior horum eft charitas*. Sic Mariæ martyrium quantalibet excellit martyria fanctorum.

Tertiò. Quia alij in corpore, Maria in corde, quod plus eft Eccl. 25. *Omnis plaga triftitia cordis.*

Quartò. Quia alij diuerfis gladijs martyrizari funt; Maria eodem gladio, quo filius. *Vndè tuam ipfius animam, &c.*

Quin-

Quintò. Quia alij diuersis ictibus, Maria eodem ictu, quo Christus. Vndè dictum est ei. Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus*. In his omnibus praeminet Mariæ Martyrium, martyrij omnium Sanctorum.

## *Quòd Christus post suam Resurrectionem, Primum suæ Matri apparuit.*

Rubert. Abbas. RVbertus Abbas lib. 7. de Diuinis officijs c. 25. Mariam enim Deipariam esse, cui ante omnes alios rediuiuus filius suam victoriã nunciauit, ac dulcia carnis suæ vulnera, quam illa veram de carne sua carnem conceptam pepererat præbuerit deosculanda.

*Quid verò pulchrius, inquit, quid venerabilius; quàm congratulari Matri Virgini, super resurrectione vnigeniti, iam non morituri, in cuius paßione gladius animam eius pertransiuit.* Ac deinde, vt illorum obiectioni respondeat, Christum Magdalenæ primùm apparuisse? ob Marci 16. verba. *ex omnibus, inquit, Beatam Virginem Matrem excipimus, testibus praeordinatis, quos solos nominare ad Euangelistas pertinuit, vel quos Christi resurrectionem annunciare decuit.*

Idem in eodem loco, *ingens gaudij torrens repente inundans, locumque vulneris replens, Mariæ animam ferro doloris confoßam inebriauit, quum rediuiuus filius, illi ante omnes mortales, victoriam suam annunciauit, & dulcia carnis suæ vulnera deosculanda præbuit, absit enim, vt qui in lege sua, Patrem, & Matrem honorare præcepit, Matrem propter se doloris gladio transuerberatam, tàm dura negligentia, talis filius inhonorauerit.*

Ambr. Ambrosius de Excellentia Virginis cap. 6. *Vidit Maria resurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit: vidit & Maria Magdalena, quamuis adhuc ista nutaret.*

Anselm. Anselmus de Excellentia Virg. cap. 6. *Resurgens à morte Christus Matri primùm apparuerit.*

Gregor. Nißen. Gregorius Nyssenus Serm. 1. de Resurrectione. *Decebat, inquit, Deiparam, ea, quæ ad gaudium pertinebant, Apostolis nunciare, vt quæ radix gaudij esset.*

Simeon Metaphraſtes in oratione de Vita, & dormitione Deiparæ. *Cauerunt Euangeliſtæ, maternum Chriſti afferre teſtimonium, ne videretur ſuſpectum, & propter coniunctionem fides ei minus haberetur.*

Nicephorus lib. 1. Hiſtor. Scolaſt. cap. 32. *Primùm quidem à Matre, & reliquis conſpectus eſt mulieribus.* Niceph.

# ADDITIO.

Licet Sacri Euãgeliſtæ nihil dixerint, quòd Chriſtus primo ſuæ Matri poſt reſurrectionem ſuã apparuerit, attamen certum eſt ei primo apparuiſſe.

Diuus Anſelmus de Excellentia Virginis cap. 6. mouet hoc dubium. At ſi aliquis quærit, quare Euangeliſtæ non refferunt ipſum pijſſimum Dominum à morte reſurgentem, huic ſuæ dulciſſimæ Matri, vt eius dolores mitigaret, primò ac præcipuè apparuiſſe. Anſel.

Dicimus, quòd à quodam ſapiente de hoc ipſo ſuſcitãte audiuimus ſit, *tanta eſt ſciſcitata auctoritas narrationis Euangelicæ, vt nihil in ea dependens, nihil inane, nihil ſuperfluũ, reperiatur: itaque ſi Matri Domini, ſi Dominæ mundi ipſius filius ab infero reſurgens ſcriberetur, ſicut alij cuilibet apparuiſſe, eamque de ſua reſurrectione docuiſſe, quis non tale ſcriptum, ſuperfluum duceret, Reginam videlicet cæli, & terræ, omniſque creaturæ coæquare illis, quibus apparuit viro aut, mulieri?*

Item dico, quòd licet Euãgeliſtæ nihil locuti fuerint excluſiuè de apparitione Chriſti, ſuæ Matri tamen locuti ſunt incluſiuè. Si in aliqua ciuitate regia venit aliquod nouum ſecretum, dicitur, Secretarium regium primum ſciuiſſe, verum eſt, ſed ſemper exceptuatur perſona regia, quia bene ſcimus, quòd Rex primus accepit litteras, & dedit Secretario, & Secretarius diuulgauit, & licet dicatur, quòd Secretarius primus ſciuit, intelligitur poſt perſonam regiam. Ità in propoſito, prima quæ vidit reſurrectionem Chriſti, fuit Virgo Maria, licet Euangeſtæ dicant primò apparuiſſe Mariæ, & cæteris Apoſtolis in-

intelligitur post personam regiam Virginis Matris.

Item mysterium resurrectionis, est mysterium altissimum, & importantissimum; quia si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra; ergo testes debebant carere suspitione: Sed quia testimonium Matris in materia filij redditur suspectum, ideò Euangelistæ non fecerunt mentionem de apparitione Matri, ne repudiaretur: ita dicit Simeon Metaphrastes, de vita, & dormitione Deiparæ.

Metaph. *Cauerunt Euangelistæ Maternum Christi afferre testimonium, ne videretur suspectum, & propter coniunctionem, fides ei minus adhiberetur.*

Item est regula generalissima Sacræ Scripturæ, in minori includere maiorem; Ecce exemplum. Quando tres Magi venerunt videre Christum natum, Matthæus describens aduentum ipsorum, non dicit, quo gaudio repleti sunt, quando viderunt infantem in brachijs Matris, sed præsupponit, quia, quando dixit, quòd intrantes Hierusalem, stella quæ ducebat eos, absconderat se ab eis; & postea iterum exeuntes Hierusalem viderunt eam. Videntes autem Stellam, gauisi sunt gaudio magno valde.

Certum est, quòd maiorem lætitiam habuerunt, quando Christum viderunt, & si Euangelista non dicit; non dicit quia supponit quòd omnes credant, quòd si videndo Stellam gauisi sunt gaudio magno valde: à fortiori videndo Christum, maius gaudium, & lætitiam habuerunt. Ità in proposito, si Christus resuscitatus apparuit Magdalenæ, & consolatus est eam; apparuit Petro, & cõsolatus est eum; apparuit duobus euntibus Emmaus, & consolatus est eos.

Credendum est, quòd primò apparuerit Matri, vt consolaretur eam, quia maiorem dolorem in morte filij habuit, quàm reliquos omnes; & si primò apparuit Magdalenæ, quàm Apostolis, quia maiorem dolorem habuit de morte eius, quàm Apostoli: Ergo prius debebat apparere Matri suæ, quàm alijs.

Item, si Christus apparet eis, qui fidem habent in illum. Sapientia capit. 1. & manifestat se ijs, qui amant illum. Ioan. 14.

Qui

*Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum.*

Si assistit illis, qui amore suo lugent. *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quis dubitat, quòd Virgo maiorem fidem habuit resurrectionis filij, immò fidem explicitam resurrectionis Christi habuit, & super omnes amauit filium, ratio igitur postulabat, vt si apparuit his, qui minorem fidem, & amorem habuerunt in eum, quòd appareret etiam ei, qui maiorem fidem, & amorem habuit.

Simon de Cassia. lib. 14. de Resurrectione, dicit. *Quòd si Virgo prima fuit, quæ vidit, & adorauit Christum natum, conueniens erat, vt prima esset videre eum renatum, & resuscitatum. Et si primò non apparuisset Matri, quando Angelus dixit mulieribus; Ite, dicite discipulis eius, & Petro. Dixisset, ite, dicite matri meæ, quia resurrexi:* *Simon de Cas.*

Sed non dixit, quia apparuerat ei. Vultis dicam vobis vnum verbum? Euangelistæ non dicunt, quòd Christus primò suæ Matri apparuerit, quia nos Christiani credimus apparuisse, absque eo, quòd ipsi dicant; Infideles autem, etiamsi Euangelistæ dixissent, non credidissent.

Ad hoc propositum vnum notaui, quòd quando Mariæ iuerunt ad sepulchrum, adhuc tenebræ erant; & quando peruenerunt ad sepulchrum, ortus erat Sol. Glossa ait. *Orto iam Christo.* Et certum est, quòd quando oritur Sol, primò illuminat montes superiores, & postea inferiores. Notum est Christum esse Solem: *Sol iustitiæ Christus Deus noster.* Quando iste Sol apparuit in hoc mundo, prima illuminata fuit Virgo Maria, quia ipsa fecit, vidit, tetigit, lactauit, & nutriuit. Modo iste Sol eclipsatus est in Caluario, & hodie renascitur; ergo debebat primò illuminare altissimum montem sanctitatis, qui esset in mundo, quæ est Virgo Maria. Mihi videtur, quòd Virgini possint adaptari verba illa Baruch. 5. *Exue te Hierusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi est sempiterna gloria: impone mitram capiti tuo honoris æterni, Deus enim ostendet splendorem suum in te, exurge Hierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad orientem, &*

*vide collectos filios tuos ab Oriente Sole, vsque ad Occidentem.* Virgo gloriosa in morte filij vestita es luctu, mærore, atque mæstitia; in Resurrectione, indue te decore, honore, gaudio, & lætitia: impone Mitram capiti tuo, pone coronam, & diadema in summitate capitis tui, Deus enim ostendet splendorem suum, hodie filius tuus ostendit tibi corpus suum gloriosum. Exurge Virgo, erige caput, quod per dolorem mortis filij demissum tenuisti; sta in excelso & videbis nouũ Solem in mundo ortum, Christũ resuscitatum: vide collectos filios tuos, filios dico spirituales, qui vnà tecum congratulantur de resurrectione filij tui.

## *Quot Annos vixerit Beata Maria in hoc mundo.*

*Hippol. Theb.*

HIppolytus Thebanus, ab Epiphanio Presbytero, in lib. de Vita Beatæ Virginis citatus; vult annos quinquaginta nouem in terris illam vixisse. Trimula cum esset, in templum est præsentata, & ibi in sanctis sanctorum traduxit Annos vndecim. Deinde verò Sacerdotum manibus, Iosepho ad custodiam est tradita, apud quem, cum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuntium. Peperit autem mundi ipsius lucẽ, annos agens quindecim 25. die mensis Decembris. Deinde annos peregit triginta tres, quos etiam æternum, & ante sæculare verbum, & filius eius in terris exegit, post crucis autem supplicium illud, in domo Ioannis Annos impleuit vndecim; & ætatis eius Anni simul collecti, sunt quinquaginta nouem.

*Epipha. Presbyt. Michael Glicas. Andr. Cretens. Cedren. Niceph. Calixtus*

Epiphanius Presbyter in lib. de Vita Mariæ, Michael Glicas parte 3. Annalium. Andreas Cretensis, in Compendio Historiarum. *Septuagesimum, vel attigerit, vel excesserit, volunt.*

Cedrenus in Compendio Historiarum. *Annos septuaginta duos Mariæ supputat, eamque post Christum in cælos ascẽsum, Annos viginti quatuor in humanis degisse.*

Nicephorus Calixtus lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ c. 3. to-

totius autem vitæ eius, Annos quinquaginta nouem. Siquidem Trimula cum esset, in templum est præsentata, & ibi in Sanctis sanctorum traduxit Annos vndecim. Deinde verò Sacerdotum manibus, Iosepho ad custodiã est tradita: apud quem, cum menses peregisset quatuor, ab Angelo Gabriele lætum illum accepit nuntium. Peperit autem mundi ipsius lucem, annum agens quindecimum, 25. die mensis Decembris. Deinceps Annos peregit triginta tres, quos etiam æternum, & ante sæcula re verbum, & filius eius in terris exegit. Post crucis autem supplicium illud, in domo Ioannis Annos impleuit vndecim: vt ætatis eius Anni simul collecti, sint quinquaginta nouem.

## ADDITIO.

DE tempore Annorum Virginis in præsenti vita, variæ sunt opiniones; tamen hęc videtur communior, & possunt sic eius Anni cõputari, videlicet.

Quando concepit Dei filium, complesset annum quartumdecimum, & intrasset quintumdecimũ per tantum tempus, quod postea quando peperit suum benedictum filium, compleuerat quintumdecimum annum.

Quia verò eius filius mortuus est triginta trium annorum, ideò ipsa tunc habebat Annos 48. Post Ascensionem verò filij sui, vixit annis quatuordecim completis, & intrauit quintumdecimum Annum: Et sic ipsa vixit in hoc mundo Annis 62. completis, & tetigit de 63. Sicut & eius filius dicitur stetisse mortuus tribus diebus, quia tetigit de tribus diebus.

## *Post Mortem Christi, vbi Virgo habitauerit.*

Niceph. NIcephorus lib. 2. de Eccl. Historia. *Illam Hierosolymis ad sanctam Sion, & quidem in domo Ioannis habitasse, ibique ad extremum vsque diem, suā peregisse vitam.*

Sophro. Sophronius in Serm. de Assumptione Virginis. *Illam non procul à sepulchro Domini interdùm habitasse.*

Patres, in Concilio Ephesino collecti, ad populum Constantinopolitanum scribunt. *Quod Ioannes Euangelista, & sacra Deipara Virgo Maria, Ephesorum vrbem quandoque incoluerant.*

In epistolis Diui Ignatij habemus, quòd Ignatius Mariæ scripsit; Quod vnā cum Ioanne in Antiochiam se venturam esse promittat. *Veniam, inquit, cum Ioanne, te, & qui tecum sunt, videre.*

Epiph. Epiphanius Hæresi 78. *Mariam Ephesum, vel in Asiam peruenisse, illicque cum suo Custode Ioanne habitasse.*

Metaph. Metaphrastes in oratione de Vita, & Dormitione Deiparæ. *Deipara, inquit, cum filij resurrectionem, & visu, & internis oculis sic accepisset, postea habitauit cum dilecto Discipulo, expectans tempus Christi Assumptionis.*

Sophro. Sophronius Serm. de Assumptione Beatæ Mariæ. *Beata Virgo, quamuis iam in spiritu esset, tamen dùm in carne vixit, carnalibus mouebatur sensibus: & ideò quàm sæpè locorum recreabatur visitationibus, & quem genuerat mentis complectebatur amplexibus. Ac rursus fortassis ergo præ nimio amore, in loco, quo sepultus Christus dicitur, interdùm habitasse eam credimus; quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus. Sic namque locus medius est hinc inde constitutus, vt adire posset Ascensionis eius vestigia, & locum sepulturæ, ac resurrectionis, & omnia, in quibus passus est loca inuisere: non quòd iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur aspectib.*

Odillus. Idem dicit Odillus in quodam sermone. *Si scire volumus, quòd Dei Genitrix, post Christi Resurrectionem agebat, antequam ipsa cælos ascenderet, loca Dominicæ Natiuitatis, Passionis*

*sionis: Sepulchra: & Resurrectionis frequenter visitabat, & in eis lacrymas fundebat: & oris sui sāctissimi oscula imprimebat.*

## De Morte, sed melius, de Dormitione Virginis.

Dionysius lib. de diuinis nominibus capitul. 3. *Nos quidem vnà tecum, multisque sacris Patribus, ad spectandum corpus illud, quod vitæ principium, & ipsum Deum aliquando continuerat conueneramus.*

*Simul aderant frater Domini Iacobus, & Petrus: vertex Apostolorum ille supremus. Deinde post id spectaculum, visum est, vt Hierarchiæ omnes, pro se quisque, vt posset, hymno cantato omnipotentem diuinæ virtutis bonitatem concelebraret.* Dionys.
Hæc, & multa alia, ad Timotheum Ephesiorum episcopū scripta tertio capite.

Glicas adiungit, *non Apostolos modò, sed & septuaginta discipulorum cætum, ad venerandum hoc spectaculum congregatum fuisse.* Glicas.

Damascenus in orat. secunda de Assumptione Virginis circa finem citat Iuuenalem Episcopum, in hunc modum. *In sancta quidem & diuinitùs inspirata Scriptura, de discessu Sanctæ Deiparæ Mariæ, nihil traditur, & antiqua autem, & verissima accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ eius dormitionis, vniuersi quidem Sancti Apostoli, qui orbē terræ, ad salutem gentium obibant momento temporis, in sublime sublati conuenerunt Hierosolymam, ibique cum essent, eis visio Angelica contigit, & audita fuit diuina hymnodia præstantiorum & potestatum, & sic cum diuina gloria, & supercælesti; in manus Dei sanctam tradidit animam, ratione quadam ineffabili.* Damas.
Hæc Iuuenalis, coram Imperatore Marciano.

Idem affirmat Metaphrast. in orat. de vita, & obitu Virginis. Et Niceph. lib. 2. Eccl. Hist. c. 21. *Magnā hominū frequentiam, qui vel amoris necessitudine, vel generis propinquitate, Mariæ coniuncti erant, ad eam moriturā conuenisse, & ingentē lacrymarum vim ex oculis omnium profluisse, propterea quod orbitatem suā in illius migratione cōplorarent, admonente* Metaph. Niceph.

*interim sacra Virgine, vt suũ ex hoc mũdo discessum, & ad verã vitã in transitum non luctu, sed gaudio magis prosequerentur.*

Damas. Damascenus Serm. de Dormitione Virginis hoc modo Christum dixisse narrat. *Veni benedicta Mater mea, in requiem meam, audi, surge, propinqua mea, pulchra inter mulieres: ecce hyems præterijt, venit tempus putationis.*

Idem vt supra. *In manus tuas, inquit, fili: commendo spiritum meum: suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione. Meum corpus tibi trado, & non terra.*

*Custodi Saluum, quod tibi placuit habitare, & cùm natus esses conseruasti Virginem. Tu me ad te transfer, vt vbi tu es fetus mearum viscerum, ego quoque tecum degam, ad te enim propero, qui ad me venitasti, citra vllam spatij distantiam.*

Andr. Cretens. Andreas Cretensis in oratione de Assumptione Virginis Mariæ. *Ad Mariæ mortem, velut ad insigne spectaculum, innumerabilem Angelorum catum confluxisse, & sanctorum animas, in ipso Virginis exitu, veluti pulcherrimos ducentes choros adfuisse.*

Epiph. Epiphanius, contra Hære. lib. 3. tomo 2. hære. 78. Non audet asserere, quod Virgo sit mortua, immò dicit *neque mortem Mariæ, neque an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit, aut non sepulta. Et quidem cum Ioannes in Asiam instituerit profectionem, & nusquam dicit scriptura, quòd abduxerit secum sanctam Virginem, sed simpliciter siluit, propter miraculi excellentiam, vt ne ad stuporem perduceret hominum mentem.*

*Ego enim non audeo dicere, sed cogitans, silentium mihi impero; fortassis enim alicubi etiam vestigia inuenerimus sanctæ illius, ac Beatæ sicut neque inuenire datur mortem ipsius. Non autem omninò definio hoc, & non dico, quòd immortalis mansit, sed neque affirmo, an mortua sit; excessit enim scriptura mentem humanam, & in suspenso reliquit, propter vas preciosum, ac excellentissimum, vt ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa rerum. Siue igitur mortua est, non nouimus, siue sepulta est, non copulata fuit carni, absit.*

Hæc Epiphanius. Sed modo Ecclesia tenet, quod Virgo Maria mortua sit.

Item hære. 78. *Siue enim mortua est sancta Virgo, & sepulta,*

*ta, in honore ipsius dormitio, & in castitate mors, & in Virginitate corona: siue sublata est, velut scriptum est: Animam ipsius pertransibit gladius. Inter martyres est ipsius gloria, & in laudibus sanctum ipsius corpus, per quam lux exorta est mundo, siue mansit, Nam non est impossibile Deo omnia facere, quæ vult. finis enim ipsius nemini notus est.* Niceph. Calixt.

Nicephorus Calixtus lib. 2. Historiæ Ecclesiast. capitulo 21.

*Eo tempore cum Claudius quintum imperaret annum, & immaculatam Dei verbi matrem, mortem obire oporteret. ( Quandoquidem & filius eius, verumse hominem esse probans, atque confirmans, ad grandiorem exoletæ senectutis ætatem non peruenit. ) Vnde sexagesimum illa agens annum, nuncium à filio per Angelum, de migratione, & aduentu ad se eius, ita vt antea cum ipse ad eam venturus fuerat accipit. Itaque migratione sua ad hunc modum cognita, immensa repletur lætitia. (Quid enim dulcius illi, quàm vt cum filio, & rege suo esset, ei contingeret ? ) Lumen ad eam infertur, domus purgatur, generepropinqui, vt par erat, accersuntur, ritèque & ordine, quæ ad transitionem eam pertinent, præparantur, nuntium etiam illa, quem acceperat, ijs, qui cum ea erant, exponit, & præterea victoriæ mortis tropheum. ( Erat autem palmæ ramus ) monstrat. Et iam tempus instabat, cum in Sion super humiliore lecto reponitur: Et aderat Ioannes, qui eam domi suæ fouerat. Et præterea quicquid Hierosolymis erat fœminarum celebriorum, quæ vel amoris necessitudine, vel generis propinquitate ei coniunctæ essent. Tum Virgini Discipulo, & itidem alijs, ipsa Virgo præcepit, vt duas eius tunicas, vicinis, atque pietate fuissent, donent. Sub hæc vis lacrymarum ingens, ex oculis omnium profluit, orbitatem suam migratione illius complorantium. Deinde cœlitus filius eius, cum innumerabili Angelorum exercitu descendit, animam illius sanctam, prorsus, & diuinam assumpturus, & tonitrus, atque nimbi sonitu, confestim ex finibos omnibus, suos congregat discipulos. Hæc cum immaculata prorsus Virgo sciret, vnicuique quæ optaret, precatur, benedictione omnes dignatur, & extremis illos vocibus compellat. Vale, dicens, migrationemque suam non luctu eos, sed gaudio potius, prosequi iubet, & quæ ad exequias, sepulturamque eius pertinerent, suauiter, & latè exponit.*

*Deinde Petrum ad se venire iubet, mox reliquos etiam Apostolos vocat, ardentes habentes faces: & mirificè exultans, labiaque aperiens, gratias filio agit: atque in lectum rursum reposita, manus reuerenter, & grauiter, ita vt illam decebat, eleuat, & venerandum prorsus, soleque ipso purius corpus pulchrè componens, atque confirmans, (videbat enim eum Angelorum gloria circum circa, tanquam satellitio stipatum) cum voluptate, & miraculo fiat mihi rursum secundum verbum tuum, inquit, atque ita charis illius manibus, perinde atque obdormiens beatam deponit animam.*

Idem cap.22. lib.2. *Apostoli autem, & qui praeterea ibi aderant, viri egregij, lectum corona circumdantes, reuerenter illam exosculantur. Ad quam deinde quamplurima fiunt miracula, caeci namque praeter spem, expectationemque omnem, oculis solem cernunt: Surdis auditus suus datur: Claudi gressus recipiunt: & vt semel dicam, omne morbi genus attactu solo, prorsus cedit, & profugit. Deinde cereis ardentibus praelatis, & vnguentis, floribusque sparsis, atque Angelis calitùs pheretrum, vel praeeuntibus, vel stipantibus, vel etiam consequentibus, diuinis Patribus, & Apostolis, mirifica quaenam carmina concinnentibus, intellectualis illa, atque spiritualis arca, ex Sion in Gethsemani, Apostolis etiam gestantibus manibus fertur. Vbi autem ad locum Gethsemani peruentum est, sepulturae quidem, illa filium imitata, traditur, per illum autem ad diuina tabernacula, ad ipsum scilicet Paradisum, vbi, & vitae arbor consita est, ratione ea, quam, qui haec fecit, Deus nouit, transfertur.*



# ADDITIO.

Beata Virgo, verè mortua est, licet non contraxerit peccatum originale: à quo quidem peccato, originem habuit mors. Dicente Apostolo. Ad Rom. 5. *Per vnum hominem, peccatum intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, &c.* Et Augustinus 23. de Ciuitate Dei cap. 3. *Fatendum est, primos quidem homines, ita fuisse institutos, vt si nō peccassent, nullum mortis genus experirentur.* Scotus verò, in 2. Distin. 19. dicit. Quòd licet homo in statu innocentiæ potuisset non mori, & ita de facto fuisset, quia nunquam mortuus fuisset obediendo Deo, & comedendo de ligno vitæ. Tamen corpus humanum de se erat corruptibile, & mortale, & potuisset mori, si non fuisset translatus in Paradisū, vel si non comedisset de ligno vitæ, per quod fiebat restauratio humidi radicalis deperditi, per consumptioné naturalis caloris. Et quòd hoc sit verum. Aristoteles primo, de Generatione, dicit. *Quòd omne compositum ex quatuor elementis, est corruptibile.* Item, *Omne compositum ex contrarÿs, est corruptibile.* Quintò Physicorum. *Item contraria ad inuicem, sunt corruptibilia.* Item, *Omne corruptibile, necesse est aliquando corrumpi*, nisi per supranaturalem Dei gratiam præseruetur. Et ob hanc causam, dicit Augustinus in 2. libro, de Baptismo paruulorum. *Quòd, etiamsi Christus non fuisset occisus, mortuus tamen esset, & senio defecisset. Et Scotus in 3. Distin. 16. q. 1. dicit. Si Deus hominem nouiter de terra formaret, nulli dubium, quòd suæ naturæ derelictus moreretur*, per rationes prædictas. Licet ergo Beata Virgo non contraxerit peccatum originale, attamen mortua est: Sicut aperté Augustinus in Sermone de Assumptione Virginis, dicit. *Memores conditionis humanæ, mortem illam temporalem subÿsse matrem Dei, dicere non metuimus*, & Hieronymus in Sermone ad Eustochium. *Cum profectò nihil constet, nisi quòd hodierna die gloriosa migrauit à corpore.* Fuit autem hoc decens, triplici ratione.

Augu∫t. Scotus. Augu∫t. Scotus. Augu∫t. Hierony.

Primò, propter filij sui conformationem, non decuit eam melioris esse conditionis, quā filium, qui veré Deus, & homo est.

In-

Inconueniens namque esset, quòd membrum præcederet caput, cum omnia membra sequantur naturam sui capitis. Cum igitur filius Beatæ Virginis, sit caput totius Ecclesiæ, & Virgo sit membrum; & mortem sustinuerit, profectò decuit, vt beata quoque virgo moreretur, vt filio suo esset conformis.

Secundò fuit conueniens, propter sui meriti augmentationem. Decuit enim gratia plena, non solùm mereri bonis operibus, sed etiam passionibus, & tribulationibus, æquanimiter tolerari, & quia mors est vltimum terribilium. Ideò voluntaria, & patiens eius sustinentia summum patientiæ genus demonstrat; Vnde meritum auget: & tantò magis in Beata Virgine meritum augmentauit, quantò pro vllo suo crimine, mors illi debita non fuit.

Tertiò congruit propter nostram confortationem, naturaliter enim omnes mortem timemus. Sicut Quintilianus lib. Declamationum, declamatione Quinta dicit. *O quàm graue est mori*, scilicet quò ad sensualitatem carnis; quamuis autem hic timor sublatus sit, quando Christus Dei filius mortem sustinuit: tamen posset homo dicere. Benè sustinuit, quia non solùm homo, sed etiam Deus fuit. Virgo autem Beata, in qua fuit pura humanitas, mortem libenter sustinendo, nos omnes hortata est, libenter sufferre mortem, &c.

*Quint.*

## *De loco Sepulturæ Virginis.*

*Andr. Cretens.*

ANdreas Cretensis Archiepiscopus Hierosolymitanus. *Getsemane, inquit, suscipe nouam Reginam, para sepulchrum produc ea, quæ sunt vsui ad sepeliendum, orna thecam vnguentis.*

*Iuuen.* Iuuennalis, Archiepiscopus Hierosolymitanus. Vt Nicephorus lib. 2. Eccl. Historiæ cap. 22. narrat.

*Niceph.* Hæc verba Iuuénalis sunt, *corpus, quod Deum suscepit, cum Angelica, & Apostolica hymnodia elatum, iussis et factis, in loculo fuit depositum Getsemani.*

*Niceph.* Nicephorus, vbi supra, *Apostolos non solùm funeri Virgi-*

*nis adfuisse, sed & cereos ardentes, & flores, & psalmos, cantumque adiunxisse, cum diuinam illam Arcam, & Sion in Gethsemane deportarent.*

## *Quòd* Beata *Virgo resurrexerit.*

Dionysius de Diuinis nominibus, in epistolis ad Timotheum scriptis. *Dionys.*

*Caeterum tametsi Virgo mater, naturae legibus fuit obnoxia: tametsi mortem degustauit: tametsi vt homo in sepulchro est deposita, naturae tamen fines, atque terminos superauit, & excessit, neque sepulchrum, & mortalitas eam in potestate sua retinere potuit, nam & ipsa de sepulchro resurrexit.*

Michel Glicas parte 3. Annalium. *Mariam morti cessisse quidem, sed mortalitati tamen non omninò succubuisse.* *Glicas.*

Leo Imperator in oratione, de Dormitione Virginis. *Leo Imperator.* *Nos diem festum, matri Dei sacrum, qui nunc recurrit: solemni ritu, ac ceremonia celebremus. Sed quae lingua facultas, quod orationis flumen ad hòc argumentum aliqua saltem ex parte dignè tractandum, quod laudatissima illa, & bonis omnibus cumulatissima, hominum, Angelorumque Domina exhibet, sufficere posse videatur?*

Nicephorus lib. 1. Eccl. Histor. cap. 35. *Dei genitricem incorruptibili corpore reuixisse, ac resurrexisse.* *Niceph.*

Durandus in 3. senten. distin. 3. q. 1. Incineratio, seu reuersio corporis humani in puluerem, est pœna peccati originalis, secundum legem communem, per quam natura derelicta fuit sibi: Ideò, sicut de terra formatum est corpus, sic in terram reuertitur. *Bernar.*

*Sed Beata Virgo priuilegiata fuit in hoc articulo, & rationabiliter, vt sicut corpus Christi, sumptum de corpore Virginis, fuit immune à tali corruptione, secundum illud Psalmi. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Sic corpus Virginis, de quo fuit sumptum corpus Christi, fuit immune ab eadem corruptione.*

Andr. Cretensis in Encomio de Dormitione Virginis. *Andr. Cretens.* *Sicut non fuit corruptus morientis fructus, ita mortua caro non*

*interijt, partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitum. Stat enim sepulchrum inane, vsque ad hodiernum diem, quod testimonio approbatum est, & approbat, factam translationem.*

Germ. Patria. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus. Homil. de Dormitione Virginis. Loquens cum Maria, *Viuit Spiritus tuus in omne æuum, & caro tua sepulchralem corruptionem non est experta.*

Iuuen. Iuuenalis. *Apostolos totum triduum, ad Mariæ Deiparæ monumentum perseuerasse, atque eum clausum illud aperuisse, sepulchralia tantum lintea illic inuenisse, intemeratum verò corpus eius, iam translatum, nusquàm apparuisse, sed simile quiddam cum corpore Christi, quod è clauso sepulchro, linteis tantummodo illic relictis, ad vitam redijt, expertum fuisse.*

Athan. Athanasius Serm. in Euangelio de Sancta Deipara. *Non modò Christum ex Virgine natum, post mortem resurrexisse, & regnare cæpisse, sed etiam eius Genitricem mortem temporariam, cum beata immortalitate commutasse, iamque carnis incorruptibilitate vestitam, vti Reginam, & Dominam, filio suo in cælis assistere.*

## *Quòd Beata Virgo Assumpta sit in cælum, in corpore, & Anima.*

BErnard. Serm. 1. de Assumptione Virginis. *Quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit; & quanto deuotionis affectu, tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo; quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta? quàm placido vultu? quàm serena facie? quàm diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltatam creaturam? cum & honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, qua tantum decuit filium.*

Et Serm. 4. Assumptionis. *Quæ est ista, quæ de sub Sole vbi nihil est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus, ascendit, delitijs spiritualibus affluens? Ascendens igitur de deserto Regina mundi: etiam Angelis sanctis, vt canit Ecclesia, Speciosa facta est, & suauis in delitijs suis.*

Idem Sermone primo Assumptionis. *Nec in terris locus di-*

*dignior uteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit, nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimauit.*

Fulbertus Homil. 2. de Assumptione Virginis. Hodie Maria à Sponso filio, & Domino congruè audiuit. *Iam hyems transijt, imber abijt: Surge Proxima mea, Sponsa mea, columba mea, & veni.* *Fulbert.*

Idiota lib. de Contemplatione de Beata Virgine c. 2. *Sicut Maria circa humanam Christi naturam, dulcissimè versata est, dū puerum illum lactaret, lauaret, foueret, leniret, amplecteretur, oscularetur, &c. Sic illum vicissim optimæ matri, suæ diuinitatis dulcedinem singulariter indulgere.* *Idiota.*

Anselmus de Excellentia Virginis cap. 8. *Stipatus mille millibus, immò innumerabilibus Angelorum agminibus, Deus ipse, huic pijssimæ matri suæ, de hoc mundo migranti occurrit, eamque super omnes cælos exaltatam, cunctæ secum creaturæ, perenni iure dominaturam in throno gloriæ collocauit.* *Ansel.*

Ildephonsus Serm. 1. de Assumptione Virginis. *Christus Matrem secum in throno regni collocauit, & eam in immortalitatis gloriam transposuit, ac super choros Angelorum super solemnitr euexit.* *Ildeph.*

Idem. *Hodie Maria cum Angelis coronatur in regno, quod olim ei præparatum est, vnà cum sanctis à constitutione mundi, hodie collocatur in throno à dextris Dei, sicut canitur in Psalmis. Astit t Regina, &c.*

Idem Serm. 2. Assumpt. Virginis. *Et si impartitur præmia iustus Iudex Christus Dominus vnicuique secundum opera sua; huic tamen Sacratissimæ Virgini Genitrici suæ, sicut incomparabile est, quod gessit, & ineffabile donum, quod percepit: ità & inæstimabile, atque incomprehensibile præmium, & gloria, non dico inter cæteras sacras virgines, verum etiam vltra omnes sanctos, quam promeruit.*

Sophronius Serm. de Assumptione Virginis. *Maria vsque ad throni celsitudinem processit, atque in regni solio sublimata, post Christum gloriosa resedit, sic canit Ecclesia. Exaltata est Sancta Dei genitrix, super choros Angelorum. Quod de nullo alio sanctorum fas est credere.* *Sophro.*

Idem. *Creditur, quòd saluator omnium ipse per se totus festiuus occurrit, & cum gaudio eam secum in throno collocauit, aliàs*

*aliàs autem quomodo impleuisse creditur, quod in lege ipse præcepit. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam?*

Bernar. Bernardus Serm. 1. Assumptionis Virginis. *Quantum gratiæ Maria in terris adepta est præ cæteris: tantum & in cælis obtinet gloriæ singularis.*

Ansel. Anselmus lib. de Excellentia Virginis ca. 8. *Mariæ gratiam, gloriam, & fælicitatem immensam dicere non veretur, quæ sua quidem glorificatione inæstimabiliter patriam cælestem cohonestet, ac illustret.*

Andr. Cretens. Andreas Cretensis in Encomio de Dormitione Deiparæ. *Excepto Deo, & omnibus es altior.*

Epipha. Epiphanius Serm. de Laudibus Beatæ Virginis Mariæ. *Solo Deo excepto, cunctis superior existis, natura formosior es ipsis Cherubim, Seraphim, & omni exercitu Angelico, cui prædicandæ, cælestis, ac terrena lingua minimè sufficit, immò verò, nec Angelorum, columba pura, sponsa indiuiduæ Trinitatis, & à Deo ipso in honore habita.*

Petrus Damia. Petrus Damianus Sermon. 1. de Natiuitate Virginis. *Angeli vt reginam gloria cumulatam, visione mirabili contuentur.*

Io. Turr. Ioannes de Turrecremata, in lib. contemplationum. *Glorificemus Virginem, quam hodie Paradisus excipit gaudēs, quam Angeli laudibus prosequuntur, quam Apostolorum chorus honorat, quam Martyres candidati beatificant, quam sanctorum Confessorum stolatus concelebrat numerus, cui hodie sanctarum Virginum cum suis psalmis exultans occurrit exercitus: quoniam hæc est, per quam omnis maledictio soluta est, & cælestis benedictio in totum venit mundum. Clama ergo fidelis anima, O Maria, maris stella, matris dignitate singularis, in supremo sita cæli, nos commenda tuæ proli, vt tecum lætemur in gloria.*

Petrus Damia. Petrus Damianus, vt supra. *In illa, inquit, inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum, idest hominum, & Angelorum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec possit, nec debeant apparere.*

Dionys. Richel. Dionysius Richelius in festo Assumptionis. *Piè creditur, & à Doctoribus confirmatur, Mariam cum resuscitato corpore, in cælos assumptam esse.*

Tho. de Aquino. Thomas de Aquino in opusculo 8. in Expositione Salutatio-

tationis Angelicæ. *Credimus, inquit, quòd post mortem, Maria resuscitata fuerit, & in cœlum deportata.*

Bonauentura, in Speculo Beatæ Mariæ. *Beata Maria iam cum corpore sit assumpta, & corpus iam omninò cum anima sit glorificatum.* Bonau.

Riccardus Victorinus parte prima, de visione Ezechielis. Mariam propter Assumptionem vocat Arcam fœderis Dauid humeris allatam, nec sine magno iubilo trãslatam, quæ Trinitati coniuncta, desideratis filij sui osculis modo fruatur: *O iubilum, inquit, quo iubilat mater nato vnita; ò quàm præclara rutilat duplicibus vestita, verè surrexisti, ò dulcis mater Christi.* Riccar.

August. Serm. 1. de Assumptione Virginis. *Consideratis igitur vniuersis, vera ratione confitendum, Mariam in Christo, & apud Christum esse: In Christo, quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus. Apud Christum, gloriosæ æternitatis gaudia assumptam, benignitate Christi, & honoratius susceptam, præ cæteris, quam gratia honorauit præ cæteris, atque ad communem humilitatem, non esse adductam post mortem, putredinis videlicet, vermis, & pulueris, quem suum, & omnium genuit saluatorem,* August.

Andreas Cretensis in Encomio de Dormitione Virginis. Andr. Cretens.

*Quæ auctorem vitæ pepererat, eo in loco iam rediuiua collocatur, vbi fons perennis est vitæ, vbi nihil adest materiæ fluxæ, aut caducæ, vbi nullæ infestant molestiæ, vbi vitæ huius ærumnæ, vbi ingratæ denique nullæ obtinent rerum vicissitudines, quid multis? Spectaculum inter omnia, quæ spectari possunt, pulcherrimum hodie exurgens, ac cælos omnes latè penetrans, eos cum sempiterna illa mente, ac spiritu sermones miscet, quos is vel solus, vel maximè nouit, qui corpus, & animam illius, primò inter se vixerant, moxque soluta, indissolubili societatis vinculo, inter se rursum colligauerat.*

Germanus Patriarcha Constantinopolitanus Homil. de Dormitione Virginis.

*Sacratissimæ Virginis caro ex mortuis iam resuscitata expedita, & spiritualis effecta est, vtpotè ad omnem immortalitatẽ, & incorruptionem iam transformata, ac rursus corpus tuum virgineum, omninò sanctum est, & humanum quidẽ, sed quod ad* Germ. Patiar.

sum-

*summam immortalitatis vitam peruenit, adeoque integrum sit, & absolutè viuum, & obdormitioni non obnoxium, quippè quod vas Dei capax fuerit.*

Damas. Damascenus Serm. de Dormitione Virginis Mariæ. *Hodie Virgo immaculata, non in terram reuersa est, sed cum esset animatum cælum, in cælestibus tabernaculis collocatur, vt filia veteris Adam, veterem sententiam subijt: nam & eius filius, qui est vita ipsa, eam non recusauit, vt autem Dei viuentis mater, ad illum ipsum dignè assumitur, ac rursus Mariæ corpus relictis fascijs sepulchralibus, in sublime raptum habuisse.*

August. Augustinus Serm. de Assumptione. *Loquendo de corpore virginis, dicit. Tàm pratiosum enim thesaurum, melius est seruari cælo, quàm terræ.*

Leo Imperator. Leo Imperator sapientissimus. *Mariam vnà cum corporis sui tabernaculo, ad filium translatam, ac indissolubili societatis, consuetudinisque vinculo, longè arctissimè, plenissimèque Christo coniunctam esse.*

Ecclesia Rom. Ecclesia Romana exclamat. *Assumpta est Maria in cælum ad æthereum thalamum, &c. Exaltata est Sancta Dei Genitrix, super choros Angelorum, &c.*

Ecclesia Græca, solemniter canit. *In tua translatione Mater Dei, Angelorum exercitus, gaudio, stupore, & admiratione plenus, angustissimum illud corpus tuum, quod Deum susceperat, suis quidem alis reuerenter operiebat.*

Ecclesia Græca. Author operis. Et ego dico, quòd solummodo festum Assumptionis Virginis, ac nullius alterius Sancti Ecclesia celebrat, significans, ob corporis (vt ipsa loquendi propriètas indicat) Assumptionem, non propter solius animę beatitudinem, solius enim Christi, vt qui suapte virtute cælum primus conscendit, Ascensionem, ac Mariæ solius, vt qui filij beneficio in cælum euecta est Assumptionem vtramque, tùm animæ, tùm corporis translatione constantem.

Io. Dã. Ioannes Damascenus vbi supra. Loquendo cum sepulchro Virginis, ita dicit.

*O sepulchrum sepulchrorum, sanctissimum post Domini sepulchrum, tecum loquar. Vbi est aurum illud purum, quod in te manus Apostolorum condiderunt? Vbi diuitiæ, quæ consumi nequeunt? Vbi nouum volumen, vbi ineffabiliter Deus verbum,*

*sine*

*sine manu scriptum est? vbi abyssus gratiæ? Vbi est desiderabile illud virginis corpus?*

Andreas Cretensis oratione de Assumptione Mariæ. *Maria in hunc modum ingressum, siue regressum, plenum esse miraculo, nec humanæ mentis acumine posse comprahendi.* *Andr. Cretens.*

Bernardus Serm. 1. de Assumptione. *Nobis in eius Assumptione, quæ solemnitatis occasio? quæ causa lætitiæ? quæ materia gaudiorum?* *Bernar.*

Idem vt supra. *Quantum enim de eius præsentia cœlum exultat: numquid non consequens est, vt tantum lugeat hic noster inferior mundus eius absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis, hic est manens ciuitas; sed eam inquirimus, ad quam si conscripti ciues sumus, dignum profectò est, etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis, eius communicare gaudijs, eius partitipare lætitiam.*

Idem. *Ascendens in altum virgo Beata, dabit quoque ipsa dona hominibus. Quid ni daret? siquidem, nec facultas ei deesse potest, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est; denique Mater est vnigeniti filij Dei.*

Idem Serm. 4. de Assumptione. Adducens verba illa. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitijs affluens? Quæ est ista? ac si manifestius dicant. Quanta hæc est, & vnde ascendenti ei de deserto affluentia tanta deliciarum? neque enim pares inueniuntur delitiæ in nobis, quos in ciuitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ voluptatis gloria potamur.*

Hieronymus Serm. de Assumptione Virginis: quæ est Epistola 10. tomi 9. ait. *Eleuatur super choros Angelorum, vt possit speciem, vultumque videre saluatoris, quem amauerat, quem concupierat ex toto desiderio cordis.* *Hieron.*

Augustinus, de Sanctis Serm. 35. circa finem tom. 10. Alloquens cum Maria, dicit. *Tu in cubiculi regij beatitudine, gemmis, ac margaritis ornata consistis.* *August.*

D. Bonauentura in Speculo Virginis Lectione 6. *Nam re uera, in capite eius Rex regum, diadema regni posuit.* *D. Bon.*

## *Adducamus loca Sacræ Scripturæ.*

Niceph. Athan. PSalm. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu, & Arca sanctificationis tuæ.* Nicephorus lib. 2. Eccles. Historiæ, *Surge Domine, &c. Tu, inquam, ipse, & Arca sanctitatis tuæ.*

*Astitit Regina à dextris tuis, &c.* Athanasius in Sermo. de Sancta Deipara.

Hic Deiparam, matrem semper Virginem designari comprobat, *quæ, ait, corpore post mortem induta, filio suo proximè assistat, & cum eodem immortali Rege vnà regnet, non quantùm ad æquam administrationem; sed quantùm ad eundẽ humanæ carnis substantiam spectat.*

Idem in eodem loco. *Lex dicit: Honora Patrem, & Matrem tuam.*

*Certum est, quòd ista lex, plus à Christo, quàm ab aliquo alio obseruata est, igitur non solùm in terris viuens, sed etiam in cruce moriens, huius honoris apertam dedit significationem: etenim maternum corpus, iam à sancta anima illa solutum, quod sibi, vt letissimum, sacratissimumque templum, iampridem consecrauerat, tùm à putredine, & puluere alienum consecrauit: tùm ad inusitatam immortalitatis gloriam produxit.*

Concordat ad hoc dictum Augustinus Serm. de Assumptione Virginis. August.

*Qui in vita præ cæteris Mariam gratia sui conceptus honorauit, pium credere est, singulari saluatione eam in morte, & speciali gratia honorasse, potuit enim eam, tùm à putredine, quã à puluere alienam facere, qui ex ea nascens, Virginem eam potuit relinquere. Putredo nanque, & vermis, opprobrium est humanæ conditionis, à quo opprobrio, cum Iesus sit alienus naturæ, Maria excipitur, quam Iesus de ea Assumptione probatus, caro enim Iesu, caro Mariæ est.*

Idem in eodem loco. *Scimus enim Iesum omnia posse, qui de seipso ait.*

*Data est mihi omnis potestas, in cælo, & in terra. Si ergo voluit integram matrem, cum virginitatis seruare pudore; cur non velit incorruptam à putredinis seruare fœtore?* Ac rursus illud *Sacratissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, & diuinam naturam humanæ vniuit, non amittens, quod erat,*

*rat, sed assumens, quod non erat, vt verbum caro, hoc est, Deus homo fieret, escam vermibus traditum, quia sentire non valeo, dicere pertimesco, in communi sorte putredinis futurum de vermibus puluerem.*

Item, Generalis est illa regula Theologorum, à Maria non dirimenda esse dona excellentiæ, quæ sanctis alijs diuinitùs tribuuntur, immò plura priuilegia ad illam cōpetere: certum est, quòd Enoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum. *Eliam per turbinem in cœlum raptum, certum est: de vtroque Tertullianus libro de resurrectione carnis, sic ait. Hodie Enoch, & Elias nondum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi, qua tamen de orbe translati, & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria, & contumelia, immunitatem carnis ediscunt.* *Tertull.*

Quod si isti vitam corporis integram conseruarunt, Deo in illis mirabiliter operante; cur de Maria dubitemus, quòd mortua ex infirmitate, reuiuixerit tamen ex Dei virtute, nec viderit corruptionem? Idem argumentum facit Andreas Cretensis in oratione de Virginis Assumptione. *Andr. Cretens.*

Item, communiter dicitur, quòd cum Christo multa corpora sanctorum, qui dormierunt, surrexisse. Et Anselmus in enarratione Euang. & Beda: volunt cum Christo simul ascendisse cum corpore; Quare de Beata Virgine non credimus, in cœlum cum corpore, & anima ascēdisse? *Ansel. & Beda*

Item, multi Patres volunt, Ioannem Euangelistam mortuum esse, atque in corpore incorruptibili resurrexisse, & in gloriam cœlestem assumptam esse: itá tenet Iansenius, in vltimum capit. Ioannis. Si Pie creditur Ioannem post mortem, sicut & Mariam, ob singulare priuilegium charitatis, ipsum mox resuscitatum corpore immortali translatum in cœlis. Quare huiusmodi priuilegium Virgini non est dandum? *Iansen.*

Damascenus oratione de Mariæ Assumptione. *Quemadmodum illud sanctum, & corruptionis expers corpus, quod Deus verbum ex ea personaliter sibi copulauerat, tertio die è monumento exurrexit, sic etiam hanc è tumulo arripi, ac Matrē* *Damasc.*

*ad filium migrare par erat: opus enim erat, vt quæ Deum verbum ventris sui hospitio exceperat in diuinis filij sui tabernaculis collocaretur: & quemadmodum Dominus se in his, quæ Patris sui essent, versari oportere dixerat; sic quoque Matrem in filij sui palatijs esse conueniebat, hoc est, in domo Domini, & in atrijs domus Dei nostri.*

*Nam si in ea latantium omnium habitatio est, eius profectò, quæ lætitiæ causa extitisset, atque incolumem in partu virginitatem seruasset, incorruptum etiam post mortem, corpus seruari oportebat.*

*Oportebat, inquam, eam, quæ creatorem velut infantem sinu gestauerat, in diuinis tabernaculis commorari.*

*Oportebat eam, quam Pater sibi desponderat, in filij sui thalamis habitare.*

*Oportebat eam, quæ filium suum in Cruce conspexerat, gladiumque, quem pariendo effugerat, pectore tùm exceperat, ipsum rursus Patri confidentem spectare.*

*Oportebat denique Dei Matrem, ea quæ filij erant, possidere, atque ab omnibus rebus conditis, vt Dei Matrem, & Ancillam adorari.* Et post pauca, affert, & recenset historiam Euthymij, lib. 3 cap. 40.

*Quemadmodum Sancta Pulcheria Christo in vrbe Constantinopolitana Ecclesias construebat.*

*Harum autem vna est ea, quæ in auspicijs Imperij diuinæ classis Mariani in Belchernis ædificata est. Cum igitur ipsi celeberrimæ, ac Sanctæ Dei Genitrici, ac perpetuæ Virgini Mariæ, venerandam ædem extruxissent, atque omnibus ornamentis illustrassent, sanctissimum, quodque vitam suscepisset, ipsius corpus* Iuuen. *conquirebant: accitoque Iuuenali Hierosolymorum Archiepiscopo, ac Palestinæ Episcopis, qui tùm ob Concilium Calcedone coactum, in vrbe Imperiali peregrè agebant, his verbis alloquuntur.*

*Hierosolymis principem, & eximiam Dei Genitricis, ac perpetuæ Virginis Mariæ Ecclesiam esse audiuimus in eo loco, qui Getsemane vocatur: vbi corpus ipsius, quod vitam tulit, in loculum conditum est.*

*Placet itaque has reliquias huc afferri, vt Imperatrici huic vrbi præsidio sint. Excipiens autē hunc sermonē Iuuennalis, hanc orationem habuit: Et si quæ in Sancta Dei Genitricis morte contige-*

*tigerunt, sacra, ac diuinitùs inspirata scriptura monimentis minimè prodita sunt, tamen ex prisca, ac verissima traditione hoc accepimus, quòd gloriosi ipsius obitus tempore, sancti omnes, & Apostoli, qui gentilium salutis causa, terrarum orbem peragrabant, temporis puncto per altum abrepti, Hierusalem conuenerunt, ibique cum essent, Angelica ipsis visio contingit, diuinusque præstantiorum virtutum cantus auditus est, sicque cum diuina, ac cœlesti gloria in manus Dei animam sanctam commendauit: Atque arcana quadam ratione, corpus eius, quod Deum susceperat, cum Angelico, & Apostolico cantu funere elatum apud Getsemane in loculum conditum est, quo quidem in loco, Angeli totos tres dies chores agere, atque canere non desiterunt. Cum autem ipsi exactis tribus diebus canendi finem fecissent, Apostoli, qui aderant, propterea quòd vnus ex ipsis, Thomas nimirum, qui funeri non interfuerat, post tertium diẽ veniens, corpus illud, à quo Deus susceptus fuerat, adorare cupiebat, tumulum aperuerunt, ac sacratissimum quidem illius corpus, haud quaquam inuenire potuerunt. Cum autem iacentia tantum ipsius lintea reperissent, atque ex ijs innumerabili quadam suauitate perfusi fuissent, loculum munierunt, atque mysterij illius admiratione perculsi, hoc solum secum reputare poterant, quòd Deus verbũ, ac gloriæ Dominus, qui in sua hypostasi ex ipsa carnem induere, atque humanitatem assumere voluerat, incolumemque etiam post partum ipsius virginitatum seruauerat: idem etiam post discessum è vita, immaculatum, ac spurcitici expers ipsius corpus incorruptibilitate, ac translatione ante communem, & generalem resurrectionem honorare voluisset.*

Hæc omnia ad litteram, sumpsi ex Diuo Damasceno.

# ADDITIO.

IN Assumptione. *Exaltata est super omnes ordines Angelorum, & Sanctarum animarum*. Vndè canitur in sua Assumptione.

*Vidi speciosam sicut Columbam, ascendentem desuper riuos aquarum.*

Aquæ istæ, sunt virtutes Angelicæ, & cælestes populi: aquæ istæ inuitantur ad laudes Creatoris in Psalmo. *Aquæ, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini*. Duo riui Angeli, & Animæ sanctæ; vel riui aquarum, ordines Angelorum, scilicet, Angeli, Archangeli, Principatus, virtutes, Potestates, Dominationes, Throni, Cherubim, & Seraphim: ita debent enumerari, & ordinari virtutes cœlorum, & ordines sanctorum. Scilicet, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, & omnes huiusmodi iusti.

Propter priuilegium suæ Ascensionis, super ordines sanctorum vniuersos, gloriatur ipsa Cant. 1. vbi dicit. *Introduxit me Rex in cellaria sua*, pluraliter contentus est enim suo cellario quilibet ordo sanctorum, & Angelorum, idest sua mansione.

Sed Maria speciali priuilegio, in omnia est introducta, quæ sicut merita, ita & præmia omnium creditur assecuta; vtpotè, cui nec continentiam virginum, nec sobrietatem confessorum, nec patientiam Martyrum, nec zelum Apostolorum, nec scientiam Prophetarum, nec fidem Patriarcharum, nec puritatem Angelorum, creditur deruisse.

Immò etiam, sicut meritis, sic & præmijs supergressa est sanctorum ordines vniuersos. Vndè possumus dicere, quòd quantum in terris adepta est Maria gratiæ præ cæteris; tantum in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quod *si nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se*. 1. Ad Corint. 2. Quid præparauit gignenti se? Et quod certum est diligenti præ omnibus, quis loquetur? Item, si in domo Patris,

tris, mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem in sua Assumptione Matri filium concessisse. Beatus Bern. *Sicut non fuit in Mundo locus honestior virginalis vteri thalamo, quo Maria Dei filium in incarnatione suscepit, sic nec locus in cœlo illo gloriosior, quo Matrem filius in Assumptione sublimauit, & propter hoc de Assumptione Matris, congruè potest exponi, quod de Ascensione filij dicit Psal. Ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum.* Bernar.

Ascendit super Cherubim, quod interpretatur plenitudo scientiæ, quia nulla humana scientia attingere potest, quantum ascenderit, vel ad quantam gloriam: nec dicit super Seraphim, licet verum sit, quòd super illum ordinem exaltata sit ad dexteram filij. Vndè. *Astitit Regina à dextris tuis, &c.*

Quia super Seraphim non est aliud, nisi sacer ordo Trinitatis, cui Virgo subdita est. Sequitur, & volauit, hoc est, velociter ascendit super pennas ventorum: & hoc dupliciter. In præsenti, super virtutes, & merita sanctarum animarum. In Assumptione, super præmia Angelorum, & sanctorum.

Animæ dicuntur venti. Iob. 28. *Qui fecit ventis pondus*, idest, animabus corpus: & fortè propter hoc ponitur bis, volauit.

Dicitur, *Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper riuos aquarum* nec tantùm super eos, sed in altiorem quendam recessum desuper eos innuitur ascendisse. Nec determinat quò ascendit, sed vnde. *V*sque eò enim eam prosequi potuit, qui hoc dixit, ex tunc quasi euanuit ex oculis eius, vt quò ascenderet, vel capere non potuerit, vel dicere ei non licuerit. Nam super Angelos exaltatã se esse, testatur ipsa, cum ait Cant. 3. *Paululum cum pertransissem eos, scilicet Angelos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.*

Ibi enim dilectum inuenit, ubi positus est thronus matri Regis iuxta Regem. Vbi iam ab eo audit cum gaudio Maria; Ecce filius tuus. Quasi diceret, ecce quem genuisti, quem in tanta vides maiestate fulgentem. Nam aliquando ab eodem audiuit in statu longè ab alio dici. *Mulier, ecce filius tuus.* Quis enim esse gaudij locus, vbi

non tantùm dissimulabatur Mater, cum enim supponebatur alienus, & proprijs filius tollebatur, immò dissimulabatur & notitia, cum non Maria, sed Mulier vocabatur. Sed hæc prima iam abierunt. Ideo in sua Assumptione cum multò fenore restituta est ei, & præsentia filij, & notitia, & affectus. Et dicitur ei; *Maria ecce filius tuus.*

Si autem quæratur, Vtrum maiorem gloriam habuerit Maria in sua Assumptione, quando caro eius tota Sole amicta est. Apoc. 12.

An in conceptione filij, & prægnatione sua, quando ipsa carne sua totum Solem iustitiæ amplectebatur? Hiere. 31. *Mulier circumdabit virum.* Fateor me ignorare; mihi tamen videtur, (salua maiorum sententia,) gloriosius esse suscipere Regem hospitem, quàm hospitari apud regem. Illa tamen gloria occultior fuit, quando regem suscepit, & omnis gloria filiæ regis fuit ab intus. Ista manifestior, quando à rege, cum regia magnificentia suscepta est. Illa secretior, Ista solemnior.

Sed quid dixit filius Matri, quando vidit eam in cœlo? Mater mea, accipe regiam dignitatem, esto Domina cœli, & terræ, esto Regina, & Imperatrix Angelorum, & hominum, Sede à dextris meis in gloria, quæ semper astitisti à dextris meis, seruiens pro æternis: in vestitu deaurato, idest in corpore immaculato; iustum enim erat vt matris caro, esset cum carne filij.

## ADDITIO.

### *In Assumptione Mariæ Virginis.*

INtrauit Iesus in quoddam Castellum, &c. Maria dicitur Castellum, &c. Maria dicitur Castellum triplici ratione, quia Castellum principaliter tria significat.

Primum est humilitas ratione diminutiui, quia sicut à flagro flagellum, sic per diminutionem venit à Castro Castellum. Castrum quidem quoddam singulare,

gulare,& priuilegiatum fuit,& est vterus virginalis,vel ipsa beata Virgo. Sed tamen magis appellatur Castellū, quàm Castrum, quia virtus humilitatis fuit huius Castri, specialissimum,potissimum, & firmissimum nutrimentū.

Secundum est charitas, quia in communi acceptione Castrum significat fortitudinem,*& fortis est vt Mors dilectio*.Cant.8.

Tertium est castitas. Castrum enim dicitur, eo quod castrati primo casti, quia in castris solebant conuersari. Mulieres enim solebant à castris sequestrari, ne per earum contubernium mollesceret animus bellatorum.Benè ergo Maria Castellū,quia casta,& humilis,& in charitate fundata,& firmata.

Castellum etiam fuit ipsi Christo, in quo ipse recepit propugnator veniēs ad saluandum,& ad bellandum fortem,qui custodiebat atrium suum, consuetudo enim bellatorum est,quòd quando aliquis cupit inuadere regnum alienum,vel sibi ablatum regnum acquirere, primò sibi acquirit,vel præparat refugium opportunum.

Sic & Christus Virginem gloriosam, de cuius securitate dicit Salomon.*Confidit in ea cor viri sui, &c.* Et hoc est, quod Dauid dicit Christo. *Altissimum posuisti refugium tuum,non accedet ad te malum, &c.*

Dicitur Castellum quoddam idest,singulare,quia singulariter Mater,& Virgo est. Vndè canitur ei,Virgo singularis. Dicitur Castellum, propter vniuersarum munitionem virtutum. Beatus Anselmus Cantuariensis in huius Euangelij explanatione *Castellum dicitur qualibet turris,& murus in circuitu eius, quæ duo sese, inuicem defendunt, ita vt hostes per murum ab arce,& à muro per arcem arceantur,tale Castellum Beata Virgo, quam virginitas corporis, & mentis quasi murus ita vallauit vndique, vt nullus vnquàm esset libidini accessus,nec sensus aliqua corrumperetur illecebra,* Et quia Virginitatem,cum libido non possit,solet impugnare superbia. Fuit in eadem Virgine turris humilitatis,quæ à muro Virginitatis omnem repellebat superbiā, & quia humilitatem cum superbia non possit, solet impugnare libido,murus virginitatis, à turre humilitatis omnem repellebat libidinem. *Anselm. Cātuar.*

Itaque hæc duo, murus videlicet Virginitatis, & turris humilitatis, ab alterutro muniuntur, vt nunquàm in humili virgine fuerit aut superba virginitas, aut humilitas inquinata, sed semper in ea permanserit & humilis virginitas, & virginea humilitas.

In hoc ergo Castellum intrauit Iesus i. Saluator in sua incarnatione, & bene cum hoc narratur, apponitur hoc nomen Iesus, quod interpretatur Saluator, vel Salus, vel Salutaris, i. Medicus, aut Salutare, i. medicina. Quia ad venit in sanctam Virginem in sua incarnatione, vt populum suum saluaret à peccatis eorum. Sicut dicit, *Salus populi ego sum.* Et quasi medicus sanaret mundum languidũ, in quo *à planta pedis, vsque ad verticem non erat sanitas.* Isa. 1. De modo intrandi, modus est ineffabilis, quia Salomon dicit penitus ignorare. Vnde dicit Parab. 30. *Tria mihi sunt difficilia, & quartum penitus ignoro: viam viri i. Christi in adolescentula i. in beata Virgine, quæ tunc erat quasi 14. annorum.*

Item, Intrauit Iesus, Sed quomodo intrauit, Sicut radius solaris fenestram vitream, Sicut lux solis oculum sanum, quem non excæcat, sed magis illuminat. Sicut verbum aurum, sicut vox locum conclusum. Sicut facies intrat speculum. Sequitur, & *Mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam.*

Dicitur Maria mulier, quia Deum molliuit, nec cessat adhuc emollire. Et bene cum Euangelista tractat de Incarnatione dominica, appellat Mariam mulierem, quia tunc Dominus prius durus emollitus est per eam. Quædam i. singularis, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem. *Martha nomine.* Martha secundum Isidorum, interpretatur irritans, vel prouocans, Syro Sermone interpretatur dominans, & signat Mariam, quæ Syriacè interpretatur Domina, quæ cum filio suo dominatur in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis, vel ideò prouocans, quia merito humilitatis suæ prouocauit Deum ad carnis assumptionem. Quando visus est ei dixisse, Tu mihi sola places. Prouocauit etiam Angelos ad admirationem. Vndè dicebant, videntes eam ascendentem. Cant. 8.

*Quæ est ista, quæ ascendit de deserto*, &c. Prouocat etiam homines ad imitationem virginitatis, humilitatis, paupertatis, & cæterarum virtutum.

Excepit illum, eo modo, quo auris excepit verbum, vitrum Solem, &c. Excepit illum venientem de supernis in domum suam i. in vterum virginalem.

Intrauit Iesus in quoddam Castellum. Quoniam Beata Virgo perfecta fuit in vita actiua, & contemplatiua, quæ signantur per has duas Sorores: ideò hoc Euangeliũ legitur in sua Assumptione, quando filius Dei recepit eã in castro suo, de quo dicit ei. Psal. *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum*, &c. Quæ eum in incarnatione receperat, vt dictum est, in Castello suo.

Alia ratio. Quoniam Maria verissimè optimam partem elegit, scilicet de statu Virginum puritatem, relinquens sterilitatem, de statu sponsarum fœcunditaté relinquens corruptionem, gratia huius clausulæ, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*, legitur de ea hoc Euangelium.

In isto Castello virginis est Turris, & est Collum eius Cant. 4. *Sicut turris David Collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.*

Collum Ecclesiæ Beata Virgo multis de causis, vt habes vbi de collo Virginis agitur: Sed vbi nos habemus *Collum tuum*, alia littera, *Ceruix tua*. Ceruix enim i. eminentia sublimitatis Mariæ, est sicut turris Dauid, quam turrim verus Dauid i. Christus, in Hierusalem i. in Ecclesia sua ædificauit, & erexit, vt esset pauperibus refugium, & munimen.

Dicitur etiam Maria Turris, primo propter altissimũ idest profundissimum fundamentum, quod turri necessarium est.

Fundamentum huius Turris, profundissima humilitas, quia humilitas latet in profundo cordis, sicut fundamentum latet in terra, nec quærit apparentiam, vel ornatum mundanum, quod signatur in hoc, quod lapides fundamenti, nec dolati sunt, nec politi, sed multo cemento, vel bitumine compaginati, quo charitas Virginis figura-

tur,vel eminentiſſimæ,& præcipuæ virtutes,velut lapides pergrandes,qui idonei ſunt fundamento,vel propter altitudinem,& eminentiam vtriuſque vitæ,ſcilicet actiuæ,& contemplatiuæ. Vel propter contemplationem cœleſtium, vel quia in cœlo conuerſabatur cum Angelis,dicens cum Apoſtolo. *Conuerſatio mea in cælis eſt.* Cœlos enim attingebat ſtans in terra, in his enim omnibus, & multis alijs, ſupereminebat hæc turris toti Caſtro Eccleſiæ.

Sequitur, *quæ ædificata eſt cum propugnacul s* de quibus dicit ei Dominus Iſa. 54. *Ponam iaſpidem propugnacula tua* per Iaſpidem ſignificatur intemerata virginitas, vel Sanctitas vitæ nunquam marceſcens. Vel aliter, *quæ ædificata eſt cum propugnaculis*, ideſt vallata virtutibus alijs, quia virtutes ſe ſe, cōcomitantur,& vbi vna,ibi omnes. Vndè Auguſtinus ad Hieronymum. *Clariſſima tua diſputatione ſatis nobis innotuit,non placuiſſe noſtris auctoribus,immò nec ipſi veritati,ideſt Chriſto,quod qui habet vnum peccatum,habeat omnia,quamuis de virtutibus hoc ſit verum.*

*Auguſt.*

Propugnacula ſunt,per quæ arceantur à muro, & proteguntur pugnantes de muro,& abſconduntur à iaculis hoſtium.Et inter ipſa propugnacula,ſunt quædam interſtitia,quæ pandunt viam ad hoſtes percutiendos. Propugnacula iſta,ſunt virtutes,& gratiæ,dignitates,& prærogatiuæ,intenſionum puritas, & operum ſanctitas, virtus orationum,& merita operum,per quæ Beata Virgo pœnitentes protegit, maximè ſi pugnare voluerint pro regno cęlorum.

*Mille Clypei*, &c. In millenario clypeorum perfectio protectionis ſignatur,pendent,inquam, quaſi de eminentia vitæ eius exemplo,auxilio,& documento: quia exēpla Virginis, quæ nobis inſinuantur per ſcripturam, & adiutoria,quæ ſuis exhibet veneratoribus, & ad ſe confugientibus, ſicut patet in multis exemplis, & documenta verborum ipſius nos incitant, & inſtruunt ad pugnandum.

Omnis armatura fortium: innuens duplicem armaturam,protectionis,& impugnationis; Lorica, Galea,Ocrea,& clypeus;ſunt armatura protectionis.

Cly-

Clypei,sunt virtutes, quæ repellunt iacula Diaboli, vt est prudentia contra insidias Diaboli, temperantia contra ignita iacula carnalis concupiscentiæ,& huiusmodi.

Armatura impugnationis,Lancea, Gladius,Iaculum, & huiusmodi,scilicet opera virtuosa iustitiæ, misericordiæ,pietatis,orationis,quæ fortes defendunt, & Diabolum confundunt.

Clamandum est igitur iugiter ad Mariam, *Esto mihi, ô Domina Turris fortitudinis à facie inimici*: Item, expugna impugnantes me,appræhende arma,& scutum,& exurge in aiutorium mihi, &c.

## *Quod Virgo Maria, sit Aduocata Peccatorum.*

SIue sint verba Copronij,siue Fulberti,siue Augustini.Certum est, quod Ecclesia quotidie clamat. *Sancta Maria succurre miseris, &c.*

Bernardus Serm. 1.de Assumptione Mariæ Virginis. *Maria nobis facta dicitur aduocata, & Mater misericordiæ,Regina Cælorum, quæ apud Deum salutis nostræ negotia,efficaciter pertractet,quia nec voluntas ei desit,nec potestas.* *Bernar.*

Idem,Homil.2.super Missus est.*Ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis,ipsa duce non fatigaris: ipsa propitia peruenis.*

Idem Serm.1.de Assumptione Virginis. *Vocat eam Aduocatam nostram,quæ tanquam Iudicis mater, & mater misericordiæ,suppliciter,& efficaciter,salutis nostræ negotia sit tractatura,*

Et Ser.4. Assumptionis Virginis. *Quis ergo misericordiæ tuæ,ò benedicta,longitudinem,& latitudinem, sublimitatem,& profundum queat inuestigare? Nam longitudo eius vsque in diē nouissimum, inuocantibus eam subuenit vniuersis: latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius, ciuitatis supernæ inuenit restaurationem,& profundum eius, sedentes in tenebris, & in vmbra mortis,obtinuit redemptionem, per te enim cælū repletū, Infernus euacuatus est:instaurata ruinæ cælestis Hierusalem,expectantibus miseris vita perdita data.*

Idem Serm. de Beata Virgine ex verbis Apoc. 12. non longe à principio. *Fidelis mediatrix Maria, quæ salutis antidotum viris, & mulieribus propinauit.*

Bernar. Bernard. Serm. 2. in Dominica prima post Epiphaniã. *Quoties mihi necesse est fratres, post lacrymosas querimonias vestras exorare matrem misericordiæ, vt suggerat benignissimo filio suo, quoniam vinum non habetis, & ipsa, dico vobis carissimi, si piè à vobis pulsata fuerit, non deerit necessitati vestræ, quoniam misericors est, misericordiæ mater.*

Idem Serm. 5. de Natiuitate Virginis, & de verbis Apoc. Ser. 1. *Vocat eam Aduocatam nostram, quæ suppliciter, & efficaciter, salutis nostræ negotia, in cælo pertractet; aduocatã, inquam, ad Christum, omnis gratiæ largitorem, simul & iudicem, in quo maiestatem diuinam homines meritò reuerentur, hunc vitæ fontem, illam verò aquaductum appellat.*

Idem de Natiuitate Mariæ. *Deum totius boni plenitudinem in Maria posuisse, & quicquid spei in nobis est, quicquid gratiæ, ac salutis ab ea redundare, quæ delicijs affluens in cælũ ascendit.*

Ac rursus: *Totis inquit medullis cordium: totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus, Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, quia totum nos habere voluit per Mariam.*

Bernar. Bernardus Serm. 2. in Pentecostes, circa medium. *In te, ò Maria, Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inueniunt in æternum.*

Idem Serm. 2. de Assumptione Virginis. *Ipsa nempe Mediatrix nostra, ipsa est, per quam suscepimus misericordiam tuam Deus: Ipsa est per quam, & Dominum Iesum in domos nostras excipimus.*

Idem de Natiuitate Virginis. *Exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium Pater: filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est: hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potest ne filius aut repellere, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri filius potest? neutrum planè.*

Idem Serm. 4. Assumptionis Virginis. *Opus est, inquit mediatore, ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior, quàm Maria: & rursus, dulcissimum Mariæ nomen cum laude inuocantibus seruulis, per te Regina clemens, gratiæ suæ munera lar*

giatur

*giatur Iesus Christus filius tuus Dominus noster.*

Idem vt supra. *Sileat, inquit, misericordiam tuam, Virgo beata, si quis est, qui inuocatam eam, in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse.*

Idem. *Mater est vnigeniti filij Dei, nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare. nisi fortè, aut non creditur Dei filius honorare Matrem, aut dubitare quis potest? omninò in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ est Deo, est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit.*

Idem Serm. 2. Aduentus. *Per te accessum ad filium, ò benedicta inuentrix gratiæ; genitrix mater salutis, vt per te suscipiat nos, qui per te datus est nobis.*

Bernardus Serm. 2. de Aduentu Domini. *Domina nostra, mediatrix nostra, Aduocata nostra, tuo filio nos reconcilia: tuo filio nos commenda, tuo nos filio repræsenta: fac ò benedicta, per gratiam, quam inuenisti: per prærogatiuam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti. Vt qui, te mediante, fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes faciat nos gloriæ, & beatitudinis tuæ.* Bernar.

Et rursus. *Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam in periculis, in angustijs, in rebus dubijs: Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum.*

Idem Serm. de Natiuitate Virginis. *Quicquid autem illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento, vt eodem Alueo, ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quo influxit, totis ergo medullis cordium, totis præcordijs, & affectibus, & votis omnibus, Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam Aduocatam.*

Bernardus Serm. de Beata Virgine ex verbis Apoc. 12. ante medium. *Quemadmodum Sol oritur super bonos, & malos indifferenter: Sic Maria præterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, clementissimam præbet, omniumque necessitates amplissimo miseretur affectu.* Bernar.

Idem Serm. de Natiuitate Virginis. *Aquæductus est Maria, cuius nimirū summitas, instar Scalæ Iacob, cælos tangit, immò*

*etiam*

*etiam transcendit, vt illum fontem aquarum, quæ super cælos sunt, contingere possit.*

Idem Serm. 2. de Assumptione Virginis; quærit. *Si Virgo Maria erat plena gratia, vt Angelus dixit. Aue gratia plena. Ad quid postea venit Spiritus sanctus super eam? Respondet acutissimè, ad quid putatis, nisi vt superadimpleat eã? ad quid, nisi vt aduenientc iam spiritu plena sibi, eodem superueniente nobis quoque super plena, & supereffluens fiat.*

*Gregor. Naziã.* Gregorius Nazianzenus in tragedia de Christo patiẽte. *Maria sis mihi propitia.*

*Gregor. Magnus* Gregorius Magnus, in Epist. inserta. Synod. Nice. 2. Act. 4. *Christianorum propugnatricem, & Dominam eandem appellat.*

*Gregor. Nicom.* Gregorius Nicomediensis. *Te Christianorum multitudo murum habet firmissimum, te fideles reges, arma tenent valida, per te consequuntur trophæa victoriæ, præbe manum laborãtibus, opem fer eis, qui agitantur tempestatibus, seda bellorum fluctus.*

Idem. *Tu inquit, ò Dei Genitrix, ne despicias preces eorum, qui semper petunt, præbe manum laborantibus, opem fer eis, qui agitantur tempestatibus.*

*Effrem Syrus.* Effrem Syrus in oratione ad Mariam Virginem. *Spes desperantium, peccantium adiutricem, mundi solatium, portamque cælorum.*

*Damasc.* Damascenus in Serm. de Dormitione Virginis. *Insignẽ illam Dei erga nos liberalitatem, grati agnoscamus, iugique memoria recolamus, & ne vt ingrati illius beneficio quandoque abutamur, precibus Sacratissimam Mariam Virginem illius matrem, supplices adeamus, illamque in patronam, & mediatricẽ assumamus, & certè adiutricis loco habeamus.*

Item, in hymnis festi Annunciationis *Spem tuam habẽs seruabor, defensionem tuam possidens, per quam pura non timebo, persequar inimicos meos, & in fugam vertam: solam habens, vt thoracem, protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum: & deprecor clamans tibi, Domina, salua me intercessionibus tuis.*

Item, *Gloriosa semper Virgo, Mater Christi Dei, adhuc nostram deprecationem filio tuo, & Deo, vt saluet pro te animas nostras.*

Item,

Item, *Gloriosa semper Virgo, Mater Christi Dei, adhuc nostram deprecationem filio tuo, & Deo, vt saluet pro te animas nostras.*

Item, *Misericordiæ ianuam aperi nobis, benedicta Deipara liberemur per te à calamitatibus; tu enim es salus generis hominum.*

Item, *Omnem spem meam in te repono, Mater luminis serua me sub protectionem tuam.*

Germanus Patriarcha oratione de Zona Deiparæ. *Potens est ad salutem tuum auxilium, is, qui affligitur, ad te confugit, qui iniuria afficitur, ad te recurrit, qui est rebus asperis, & aduersis implicatus, tuum inuocat auxilium.* Germ. Patiar.

Idem, in Encomijs Sanctissimæ Virginis. *Exaudi meas deprecationes, miserere meorum luctuum, & excipe meos fletus, miserere mei, flexa meis lachrymis, te moueat mei misericordia.*

Idem in epist. ad Ioannem Episcopum Sinuadon. *Ancillam, & Matrem Christi existentem, verè pro nostro genere intercedentẽ præcentissimè, ita vt Dominus noster salutẽ dispẽset, illa verò materno affectu pro nobis poscat, agnoscimus.*

Idem de zona, & fascijs Deiparæ. *Quis post tuum filium ità generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tàm citò præueniens, nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non possunt, adeò repugnando excusat? Tu enim cum habeas maternam apud filium tuum fiduciam, & potentiam, nos, qui sumus condemnati, & non audemus intueri ad cæli altitudinem, tuis intercessionibus, ei efficis familiares*, & concludit: *Omnia tua sunt mirabilia, ò Deipara; Omnia supra naturam, omnia ingentia, & aliorum viros superantia, propterea & patrocinium tuum maius est, quàm vt intelligentia comprehendi possit.* Idiota.

Idiota lib. contemp. de Beata Virgine, in Prologo. *Beatissima Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic & omnium patrona, & Aduocata, & cura est illi de omnibus.*

Idem. Cæteri Sancti, iure quodam patrocinij, pro sibi specialiter commissis plus possunt prodesse in curia Altissimi, quàm pro alienis. *Beatissima verò Virgo Maria, sicut est omnium Regina, sic est, &c.*

Idem. *Thesaurariam gratiarum, Aduocatam miserorum, & post Christum filium vniuersæ creaturæ Dominam vocat.*

*Epiph.* Epiphanius Serm. 1. de Laudibus Mariæ. *Mariam solemus interpretari Dominam, atque etiam spem, peperit enim Dominum, qui est spes totius mundi, nempe Christum.*

*Effrem.* Effrem. in oratione ad Virginem. *Tu procella vexatorũ, solatium mundi, carcere clausorum liberatrix celeberrima, tu meus portus, ò Virgo inuiolata, ò præsens auxiliatrix.*

Idem, in oratione de Laudibus Virginis. *Non modò conciliatricem, & Aduocatam; sed spem quoque Christianorum appellat.*

*Matth. Archie.* Matthæus Archiepis. Philadelf. in oratione ad Virginem Matrem. *Miserorum spem, per strenuum bello concussorum præsidium: secura, fida, & sacra tempestate iactantium anchora, singulare à calumniatoribus afflictorum auxilium, desperatorum spes, dolentium solatium, paratum ad omnes casus subsidium, singularis salutis nostræ propugnatio, denique tutissimus naufragorum portus.*

*Petrus Damia.* Petrus Damianus Serm. 1. de Natiuitate Virginis. *Nunquid, inquit, quia ita deificata; ideò nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam Domina, scis in quo discrimine nos relinqueris, vbi iaceant, quantum delinquant serui tui; non enim conuenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam obliuisci, quia etsi subtrahit gloria, reuocat natura, non enim ita memoraris iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeas, neque ita es impassibilis, vt sis incompassibilis, naturam nostram habes: non aliam, & iustum est, vt de rore tantæ pietatis, diffusius infundamur. Scio inquit, Domina, quia benignissima es, & amas nos, amore inuincibili: quos in te, & per te, filius tuus, & Deus tuus summa dilectione dilexit: quis scit quoties refrigeras iram Iudicis, cum iustitiæ virtus, à præsentia Deitatis egreditur.*

Idem Serm. 1. Natiuitatis Virginis. Adducens exemplum Theophili. *Quid tibi, ait, negabitur Maria, cui negatum non est, Theophilum de ipsis perditionis faucibus reuocare? Infelicem animulam, totum illud, quod in te factum est, proprio charactere denegantem, de luto fecis & miseriæ subleuasti, nil tibi impossibile, cui possibile est, desperatos in spem beatitudinis releuare.*

Idem Serm. 1. de Mariæ Natiuitate. *Meritò Beata Maria dici-*

*dicitur parens parentis oneris, orientis fons fontis viui, origo principij, Domina iam, non Ancilla dicitur, ea, quæ tantò misericordior, quantò potentior, amore nos amans indicibili, quam post Deum videre, summa sit gloria, Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem, Sol, & Luna mirantur; subueni Domina clamãtibus ad te iugiter.*

Gregorius Nicomediensis Episcopus oratione de exitu Beatæ Mariæ. Cum in templo fuit oblata, *nihil tuæ resistit potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potestati seruiunt.* Gregor. Nicom.

Anselmus de Excellentia Virginis cap. 12. *Rogamus te Domina, per ipsam gratiam, qua te pius, & omnipotens Deus sic exaltauit, & omnia tibi secum possibilia esse donauit, quatenus id apud ipsum nobis impetres, & obtineas, vt plenitudo gratiæ, quam meruisti, in nobis sic operetur, quo patrocinium beati premij nobis misericorditer condonetur.* Anselm.

Idem vt supra. *Certè Deus noster misericordia nostra es, & tu eiusdem Domini nostri vera Mater es: si tu ergo, quæ Dei mater es, & reuera misericordiæ Mater, & gratiæ, denegas nobis effectum misericordiæ, cuius tàm mirabiliter facta es Mater; quid faciemus, cum idem filius tuus aduenerit, cunctos æquo iudicaturus iudicio?*

Idem cap. 11. & 10. *Subueni nobis Domina pijssima, & non considerata peccatorum nostrorum multitudine. velle tuum ad miserendum nobis inflecte, Eia succurre, oramus, vt laus, quam per tot sæcula dignè possedisti, continua tibi duret in gratia ipsa, qua mundo perdito subuenisti, tibi ergo commendamus, tu procura ne pereamus.*

Idem. *Piè Domine, parce seruo matris tuæ: Pia Domina, parce seruo filij tui: ò tu illa pia potens, & potentior pia Maria, de qua fons est ortus misericordiæ, ne contineas, precor, tàm veram misericordiam; vbi tàm veram agnoscis miseriam.*

Dionysius Carthusianus libr. 2. de Laudibus Virginis, art. 23. *Vocat illam singulare perditorum refugium, miserorũ spem, Aduocatam omnium iniquorum, ad ipsam confugientiũ, adeoque mundi saluatricem, non per modum causæ principalis, & efficientis: hoc enim Christo ex natura diuinitatis, & vnicuique personæ Diuinæ dicit competere.*

*Sed amantissima Dei Virgo Christifera, dici potest mundi saluatrix, propter eminentiam, virtuositatem, & meritum suæ cōpassionis, qua patienti filio, fidelissimè, ac acerbissimè condolēdo excellenter promeruit, vt per ipsam, hoc est per preces eius, ac merita, virtus, ac meritum passionis Christi, hominibus communicetur.*

Idem, art. 4. *In te, et per te, habemus in omni necessitate subsidium, in omni mœrore solatium, in omni tentatione releuamē, in omni indigentia opem.*

Idem art. 20. *Hanc ipsam ait iugiter pro nobis orare, nonque inuocantes, clementer suscipere, & exaudire, nobis insuper gratiam, & vt litatem, prouocare, & contra hostiles impetus assistere, neque morientibus deesse.*

Idem lib. 3. de Laudibus Virginis art. vltimo. *De seipso dicit, quòd certo experimento didicerit, Mariæ salutationem, atque inuocationem, ex corde profectam, cum afflictis omnibus tum formidolosis, qui nocturnis spectris, ac diabolicis terroribus commouentur, maiorem in modum opitulari.* Et citat dictum illud Honorij Anachoritæ.

*Nomen Mariæ plenum omni dulcedine, ac suauitate diuina, dignum æterna memoria, omni ore simul, & corde celebrandum inuocandum, & gloriosum.*

D. Bona. D. Bonauentura in lib scripto 25. Memorabilia ita habet, *vt gloriosam Reginam Domini nostri Matrem, benedictam in summo habeas, omni tempore venerationis affectu, & in cunctis necessitatibus, periculis, & pressuris, ad eam tanquàm ad tutissimum refugium, te conuertas, ipsius tutelæ præsidium flagitando, eamque in tuam suscipiens aduocatam, deuotissimè, ac securè tuam causam ei committas, quia Mater est misericordiæ, quotidie ei studens specialem, & singularem reuerentiam exhibere, & vt tua deuotio sit ei accepta, & reuerentia grata, ipsius puritatem, ac munditiam omni virtute, mente, & corpore illibatè in teipso seruando, toto conatu nitaris, humilitate, & mansuetudine eius vestigia imitari.*

Idem in Speculo Beatæ Virginis. *Maria, inquit, Illuminatrix plurimorum, per exempla dulcissimæ vitæ suæ, ipsa est cuius vita inclyta, cunctas illustrat Ecclesias. Ipsa est, cuius vita gloriosa, lucem dedit sæculo. Ipsa est lucerna Ecclesiæ, ad hoc illuminata à Deo, vt per ipsam, contra tenebras mundi illuminaretur.*

Di-

Dicit etiam, *Quòd nulla pura creatura est, quæ tantam gratiam in mundo, & tantam gloriam in cœlo apud Dominum inuenerit, & hanc gratiam non tantum ipsi, sed etiam nobis, immò toti humano generi vtilissimam esse.*

*Gloriosum, inquit, gloriæ Mariæ priuilegium est, quòd quidquid post Deum pulchrius, quicquid dulcius, quicquid iucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est.*

Sanctus Thomas opusculo 8. in Salutatione Angelica. *D.Tho.*

*In omni periculo, inquit, potes salutem obtinere ab ipsa Virgine gloriosa, in omni opere virtutis, potes eam habere in adiutoriũ, & multa alia dicit, &c.*

Albertus Magnus, in suo libro, de Laudibus Virginis, dicit. *Ipsé Matrem omnium, per quam omnia, quodammodo recreata, & renouata videantur: vocat eam Portam cæli,* vt in eius persona Augustinus dixit. *Ianua facta sum filio Dei.* *Albert. magnus* *August.*

Theodoricus de Appollida lib. 2. cap. 13. de vita Sancti Dominici in laudem suę Religionis. *Theodo.*

*Huic Beatæ Genitrici, à diuina maiestate commisi sumus, sub huius alis protegimur, huius manu benedicimur, huius gratiæ rore perfundimur, huius intercessione dilatamur, conseruamur, & salui efficimur. Hæc est, inquit, quæ Beatum Dominicum Patrem nostrum tamquàm seruum fidelissimum filio obtulit, ei sæpè apparuit, cum ille blanditer alloquuta est, ei in extremis adfuit.*

Guiglielmus Episcopus Parisiensis lib. Rethoricæ diuinæ cap. 18. *Guigli.*

*Absit à Matre Dei, quæ fontem pietatis toti mundo peperit, vt cuiquam miserorum, suæ misericordiæ subuentionem vnquã deneget, immunerjs exemplis magnificorum operum misericordiæ tuæ, quæ operata es erga peccatores miserrimos, docuisti nos, & persuasisti de tua misericordia confidere, de tua pietate sperare, & in omnibus necessitatibus nostris, sub alis tuæ protectionis fiducialiter confugere,* Ac rursus. *Quia ergo super omnes homines, & Angelos diligis gloriam benedicti filij tui, quæ indubitanter maxima est ei, ex saluatione perditorum, maximè placet tibi procurare illam, hoc est autem impetrare peccantibus gratiam ipsius, his, qui vitijs, & peccatis suis offenderunt illum,* & multa alia, &c.

Innoc. Maxim. Innocentius Maximus Serm. 2. In Festo Assumptionis Beatæ Mariæ.

*Cum Aurora sit finis noctis, & origo diei; meritò per Aurorā designatur Virgo Maria, quæ finis damnationis, & origo salutis fuit finis vitiorum, & origo virtutum. Oportebat enim, vt sicut per fœminam, mors intrauit in orbem; ità per fœminam vita rediret in orbem: & ideò quod damnauit Eua, saluauit Maria, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.*

Et iterum. *Qui iacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium, cor eius ad compunctionem illustret. Quis enim de nocte inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? Ipsa est Mater pulchræ dilectionis, & sanctæ spei. Qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat Auroram, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium, cor eius ad satisfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? Quicunque sentit impugnationem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à Dæmone, respiciat castrorum aciem ordinatam, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium mittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur.*

Idem. *Interueniat pro nobis quæsumus Domine Iesu Christe, apud tuam clementiam, gloriosissima Virgo Maria, dignissima Mater tua, cuius sanctissimam animam, in hora passionis, & mortis tuæ, gladius doloris pertransiuit.*

Haylgi. Cardin. Haylginus Cardinalis. *Beata Virgo, munus est nostræ defensionis, & super eam ædificauit tota Trinitas propugnacula argentea, vt precibus suis benesonantibus, inimicum repellat, & hoc signatur in argento, quod cæteris metallis dulcius sonat.*

Gugli. Paris. Guglielmus Parisiensis. *Ego murus, simul & Mater. Murus ad protegendum, & Mater ad nutriendum. Si propter insufficientiam virium campum times, murus sum, intra me abscondere à facie inimici, de paruitate tua confunderis, & crescere vis? Mater sum, meo lacte nutrire.*

Ansel. Anselmus in oratione ad Virginem. *O tu illa præpotens, ò potenter pia Maria, de qua fons est ortus misericordiæ.*

Euthim. Euthymius, in die Dedicationis templi. *Ne assiduas nostras preces repudies, ò intemerata: magnam enim vim habet, ò laudatissima Mater, precatio matris ad filium conciliandam gratiam.*

Ber-

Bernardus relatus à Diuo Bonauentura, in Speculo Beatæ Mariæ Virginis cap.5.in Deprecatione, & laude, ad Virginem Mariam, non longe à principio. Bernar. & Bon.

*Maria, tu peccatorem toti mundo despectum, materno affectu amplecteris, foues, nec deseris, quousque horrendo Iudici miserum reconcilies.*

Riccardus Victorinus. *Si pertimescis ad Deum supplicaturus accedere, respice ad Mariam, nõ illic inuenies, quod timeas, genus tuum vides.* Riccar. Victor.

Bernardus Serm.de Natiuitate. *Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quod quærit inuenit.* Bernar.

Idem Serm.de Beat Maria. Ex verbis Apoc. 12. longe ante medium.

*Maria sinum omnibus misericordiæ aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filij personæ carnis humanæ substantiam.*

Guericus Abbas Serm.1.de Assumptione Virginis. *Et nunc, inquit, habitamus in adiutorio Matris Altissimi, in protectione ipsius commoramur, tãquàm sub vmbra alarum eius, & postmodum in consortio gloriæ ipsius tamquàm in sinu ipsius confouebimur, tunc erit vox vna lætantium, & aggratulantium Matri, Sicut lætantium omnium nostrum, &c.* Gueric. Abbas.

Ac deinde. *Mariam dico exaltatam super choros Angelorum, vt nihil contempletur supra se mater, nisi filium solum: nihil miretur supra se Regina, nisi Regem solum: nil veneretur supra se mediatrix nostra, nisi mediatorem solum, cui nos Ipsa precibus suis conciliet, commendet, & repræsentet vnico filio suo Iesu Christo.*

Petrus Cluniacensis lib.1.epist.2. *Adesto tu Beatissima Virgo Maria, eiusdem Saluatoris, & redemptoris nostri, & præ omnibus post ipsam, in te specialius confidentes, ab expectatione sua nullatenus confundi permittas.* Petrus Cluniac.

Rubertus Abbas lib. de Diuinis officijs. *Appellat eam, mirrhæ, & thuris montem, speculum humilitatis, maximam portarum cæli, quam Dominus vt manna plueret, nobis aperuit, salutare Templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, thalamũ sanctitatis, triclinium diuini consilij, Apostolorum Magistra,* Rubert. Abbas.

*nec modo Christi, sed omnium discipulorum Christi, Matrem, ac Reginam Cœlorum. O Domina, inquit, Dei Genitrix Maria, & incorrupta Mater verbi æterni Dei, & hominis Iesu Christi, non meis, sed tuis armatus meritis, cum iusto viro, scilicet verbo Dei, luctari cupio.*

Et lib.7. in Cant. *O Beata Maria, Mons montium, Virgo Virginum, Sancta Sanctorum: ad omnes quidem conuertimur sanctos, sed ad te præcipuè præ cæteris, oculos nostros leuamus, tuum pro omnibus auxilium suspiramus.*

*Zachar. Chrysop.* Zacharias Episcopus Chrisopolytanus Serm. de Assumptione Virginis. *Currimus ò Maria post te, in suauitatem vnguentorum tuorum: adiuua currentes, trahe lassos, subleua lassos, vt introeamus, & nos tecum.*

*Quasi terebinthus extendisti ramos tuos, super latitudinem terræ, & ecce confugimus ad te, vt sis nobis in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & in absconsionem à turbine, & pluuia. Itaque dilectissimi, in ea tàm potenti, tàm pia, & tàm fideli aduocata nostra, toto corde gaudeamus, quæ nulli dignè postulanti auxilium negat, & pro omnibus apud filium interpellat.*

*Gaudeamus, inquam, in illa, & dignis obsequijs, dignis laudibus, cum illis Sanctis Angelorum legionibus eam veneremur, ac vultum eius deprecemur, cum omnibus diuitibus cœli.*

*Fulbert.* Fulbertus Episcopus Carnotensis lib.25.cap.15.in opere Historiali. *Sancta Maria succurre miseris iuua, pusillanimes,* &c. Et postea, *Sit tibi compassio super afflictis, sit pius effectus super cælorum peregrinis, vt cum te lætantem semper aspicis, fletus nostros, quæsumus, ipsa ad Deum proferas, eumque vt proprium filium pro nobis intepelles.*

Idem. *Fratres cum toto mentis affectu, Beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus, omnes, eius patrocinia, omni, nisi imploremus vt dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece, commendare dignetur in cælis, neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus libertatis impendere suffragium.*

*Iuo Carnotensis Episcop.* Iuo Carnotensis Episcopus. *Quod nostris viribus non valemus, meritis Beatæ, & perpetuæ Virginis. cui Deo auctore famulamur, indubitanter obtineri posse credimus.*

*Br. Abb.* Brenus Abbas Serm. de Natiuitate Mariæ. *Tu maternum*

*num erga nos affectum ostendendo, pro nobis supplica Deum;* & scribens ad Regem Vngariæ, *nè diffidas de misericordia Dei, quia, qui preces pauperum non spernit, multo magis dilectæ Matris suæ orationes, pro te exaudiet. Vestigijs eiusdem Sanctæ Deigenitricis peruolutus iugiter assiste, preces lacrymabiliter effunde cum corde contrito, & humiliato, pro certo sciens, quia si et supplex assiduus fueris, citius ab omni angustia liberaberis.*

Beda in Homil. de Sancta Maria. *Seruiamus semper tali Reginæ Mariæ, quæ non derelinquit sperantes in se, cum diligat orationes Sanctorum Christus, & exaudiat, multo magis matrem suam exaudit, pro peccatoribus orantem.* Beda.

Item. *Stat Maria in Conspectu filij sui, non cessans pro peccatoribus exorare, toto igitur affectu confugiamus aduenire, vt per suas orationes, ducat nos ad illa gaudia, vbi ipsa manet cum filio sine fine. In cap. 11. Lucæ.*

Chrysostomus in sua Missa, ideſt Lyturgia. *Dominus dabit verbum Euangelizantibus virtute multa, per preces Dominæ nostræ Deiparæ, & semper virginis Mariæ.* Chrysost.

Idem in sua Missa. *Precibus Sanctissimæ Deiparæ, Seruator, serua nos.*

Idem. *Sanctissimæ incontaminatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, & semper Virginis Mariæ; Christo Deo nostro commendemus.*

Idem, in Lyturgia. *Sanctissimæ Dei Genitricis. Precibus Sanctissimæ Deiparæ Virginis, Seruator, Serua nos, dirige viã, confirma nos in timore tuo, custodi viam nostram, stabili gressus nostros precibus, & supplicationibus Sanctæ Deiparæ semper Virginis Mariæ.*

Quid plura? Audite voces Sanctæ Ecclesiæ. *Solue vincla reis, profer lumen cæcis, mala nostra pelle, bona cuncta posce; Nos culpis solutos, mites fac & castos. Vitam præsta purã, iter para tutum.*

Sed aduertendum eſt, quòd hæc omnia, & his ſimilia, intelligenda ſunt à Sacratiſſima Virgine per nos expeti, non quidem vt illa tamquàm primaria largitrix conferat; ſed vt eadem nobis à Deo præſtari ſuis precibus impetret.

Simi-

Similiter cum dicimus peccatorum nostrorum misere re, nos exposcimus, quòd misericordiam nobis peccatoribus, tamquàm præcipua illius, & dispensatrix impendat; quandoquidem id solius est Dei proprium, sed quod nobis à Deo sua intercessione misericordiam impetret, ita similiter de Sanctis.

Lauren. Laurentius Iustinianus Serm. de Natiuitate Virginis Mariæ.

*Tu ò Beata Dei Genitrix Virgo fœcunda, cœli porta, delinquentium spes, pro nobis interuenire digneris, non te repellet, qui nasci voluit ex te, honorauit te, requieuit in te, qui collocauit apud se, qui fecit te Iesus Christus Dominus noster.*

Bernar. Bernardus Serm. 2. Pentecostes. *Ad illam sicut ad medium sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in Inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis: illi qui sunt in cœlo, vt resarciantur, & qui in Inferno, vt eripiantur, & qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur, qui sequuntur, vt glorificentur: Eò beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi, Regina cœli, quæ omnibus generationibus, vitã & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum, meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia in te, & per te, & de benigna manu omnipotentis, quicquid creauerat, recreauit.*

Arnold. Carnot. Sanctus Arnoldus Carnotensis de Laudibus Sanctæ, ac perpetuæ Virginis, Matris Christi Mariæ.

*Securum accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ filium habet ante Patrem, & ante filium Matrem; Christus nudato latere, Patri ostendit latus, & vulnera, Maria Christo, pectus, & vbera, nec potest vllo modo esse repulsa, vbi concurrunt, & orant omni lingua disertius, hæc clementie monumenta, & charitatis insignia.*

Andr. Cretens. Andreas Cretensis in Encomio de Dormitione Virginis.

*Placa Dominum pro communi figmento, nam quamdiu quidem versabaris in terris, te habuit parua terre portio, ex quo autem translata es è terra, te vniuersus mundus continet commune propitiatorium*, Et postea vocat Mariam *Christianorum*

*fidei*

*fidei propugnaculum, & eorum qui spem in ea collocant, propugnatricem, omniumque hominum Dominam, nec modo sanctam, & sanctis sanctiorem, & sanctissimæ sanctitatis thesaurum.*

Fulgentius Episcopus Serm. de Laudibus Mariæ. *Facta est, inquit, Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verū fudit sæculis lumen: facta est Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos.* Fulgent.

Sanctus Effrem. *Qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quam plurimis creatorem Deum meum, & iudicem offendi, ne aduersus glorietur Sathanas exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne seruum tuum à tua spe destitutum cognoscam, ne calumnientur me detractantium linguæ, non mihi alia fiducia, ô Virgo sincera, tu enim meus portus, ô Virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix.* Effrem.

*Denique sub tutela, & protectione tua totus sum, crebris lacrymis te, ô celeberrima Mater, imploro, & aduoluor tibi, ô Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, & vita omnium dator, ob multa, quæ patraui, scelera, tollat me de medio, & miseram animam ceu leo diripiat, vel velut sterilem ficum, infliceimve excidat.* Et rursus.

*Imple os meum gratia dulcedinis tuæ, illumina mentem, ô gratia plena, moue linguam meam, & labia ad laudes tibi alacri, ac læto animo canendas & melos illud Angelicum celebratissimum, quod Gabriel in Nazareth, serui illi habitu, ad te Virginem, & Matrem Dei mei integerrimam, clamans cecinit, Salutationem maximè congruam & dignissimam, mundi salutem, cunctamque animorum tutelam, dignare virgo te, tuum seruum laudare, & dicere, splendidissimum, & luculentissimum vas.*

Methodius. *Quam ob causam, te, ô Sanctissima Deipara, quæ propter maternum honorem, rebus omnibus præstas, ac reliquis ad Deum liberiorem accessum habes, obnixè precamur, vt nostri qui te hymnis decentibus indefesse celebramus, iugem, ac perpetuam habere memoriam velis.* Method.

Bernardus Homil. 2. de Beata Virgine. *Non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exēplū, ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras, ipsa* Bernar.

te-

*tenente non corruis, ipsa protegente non metuis: ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia peruenis.*

*August.* Augustinus Serm. 35. de Sanctis, circa finem tomi 10. *Omnes Mariæ patrocinia, omni affectu imploremus: vt, dum supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos prece sedula commendare dignetur in cælis.*

## ADDITIO.

Sicut filius est mediator Dei, & hominum: Sic & ipsa nostra ad filium est mediatrix, qua scilicet mediante, venit ad nos filius Dei; & qua mediatrice ad filium peruenitur. Ad quod innuendum Christus moriens ipsam habuit ab Aquilone, quo significantur peccatores, quasi hoc impio diceret, quòd ipsa mediante, dexteram suæ propitiationis extenderet peccatoribus congelatis, quod & ipse facit adhuc nobis peccatoribus, prout signat imago crucifixi. Et Nota, quòd non solùm ex ea parte dexteram extendit, sed & caput spinis coronatum inclinauit; quasi diceret. O vos peccatores præcibus Matris meæ, vobis dexteram porrigo, & caput meum confixum spinis ostendo. Nō sit ergo molesta amaritudo compassionis, his quos delectat dextera propitiationis. Sinistra Dei, qui nihil habet in se sinistri; est ira eius, *Vnde statuet hædos à sinistris Matt. 25. Sed oues à dextris*, in qua eius propitiatio, & Maria orando nobis impetrat propitiationem Dei.

Item, Maria, Aduocata nostra est ad filium, sicut filius ad Patrem, immò apud Patrem, & filium procurat negotia, & petitiones nostras. Vnde & dicimus ei, *Eia Aduocata nostra*, &c. Sed nos miseri per mala opera, & peruersa desideria, contradicimus ei, & non sine maxima Matris, & filij iniuria, Matris præcibus tollimus effectum suum. Tàm prudēs etiam, & discreta est Aduocata Maria, quòd non potest filius vindicare in eos, pro quibus ipsa allegat: Quod signatur in facto Abigail 1. Reg. 25. Quæ auertit iram Dauid à Nabal stulto, subtilitate verborū suorū.

Qui

Qui Nabal significat peccatorem: tamen postea interfectus est Nabal, quia noluit emendari.

Est etiam Beata Virgo Aduocata coram filio suo, & nobis generaliter impetrat omne bonum: Siquidem deerat nobis Aduocatus apud filium, antequàm Maria nasceretur. Dixit autem Pater, Gen. 2. *Non est bonum hominem esse solum*, idest, non sufficit vnicus Aduocatus, vel Intercessor, humano generi in cœlo, cum tot, & tàm periculosas habeat causas coram me; faciamus ei adiutorium, idest, Beatam Virginem, quæ alleget pro genere humano coram filio, sicut filius coram me. De his duob. aduocatis, scilicet, Matre, & filio: dicit Bernardus. *Securū accessum habet homo ad Deum, vbi mediatorum causæ suæ filiū habet ante Patrē, & matrem ante filium, Christus nudato latere, Patri ostendit latus, & vulnera: Maria Christo pectus, & vbera.* De ista Aduocata, multa, & penè infinita exempla possunt adduci, sicut apparet in multis libris, &c. vt, lector videre potest: afferam tamen aliqua exempla, ad vtilitatem aliquorum, qui non habent libros. Bernar. Io. Pat. Ierosol.

Ioannes Patriarcha Ierosolymitanus, in vita Ioannis Damasceni cap. 14. refert. Quòd cum à quodam barbaro truncata fuisset illi manus; dictus Damascenus accepta manu, & ingressus Oratorium, pronoque omnino corpore ante Diuinam Imaginem, quæ Dei Genitricis effigiē gerebat, prouolutus, excisamque manum pristinæ suæ commissuræ admouens, intimo pectore ingemiscit, ac cū lacrymis exclamans, illam ad misericordiam propensissimam, hunc in modum obsecrare cœpit.

*Domina, & castissima mater, quæ Deum meum peperisti, diuinarum Imaginum causa, dextra mihi manus amputata est; neque enim te fugit. Quid leonem in furorem coniecerit. Quare quàm celerrimè accurre, ac manui meæ medicinam adhibe; Dextera excelsi, quæ ex te incarnata est, per tuam intercesfionem virtutes multas effecit.*

*Tuo itaque rogatu, meam quoque dexteram obsecro sanet; vt tuas quemadmodum concesseris, filijque ex te incarnati laudes modulato concentu, ò Dei genitrix litteris consignet, atque orthodoxo cultui adiumento sit, potes enim quicquid lubet vt Dei Mater.*

Hæc

Hæc Ioannes cum lacrymis dicens obdormiuit, atque in somnis Sanctæ Dei Genitricis Imaginem videt, placidis, & lætis oculis, ipsum intuentem, ac dicentem. Ecce sanitati restituta est manus: Iam ergo sine vlla cunctatione, quemadmódum pollicitus es, eam scribæ velociter scribentis, calamum effice. Experrectus igitur ille qui sanatus fuerat, cum excisam manum contemplaretur, eamque sanatam conspexisset, spiritu exultauit in Deo salutari suo, atque ipsius Matre; quoniam fecit ipsi magna, qui potens est: pedibusque stans, manus in altum extulit, carmenque, quod tempori maximè conueniret, cecinit, totaque nocte, vnà cum vniuersa familia lætabatur, ad grati animi significationem canticum nouum Deo cantans, ac dicens.

Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine; dextera tua manum meam amputatam sanauit, ac per eam hostes, qui venerãdam tuam, ac Genitricis tuæ Imaginem honore minimè prosequuntur, conscindet: atque in multitudine gloriæ tuæ, aduersarios Imaginum infractores per manum meam confringet, & multa alia, vt videre poteris in vita Sancti Ioannis Damasceni, in Surio, die sexta Maij.

*Niceph.* Nicephorus lib. 17. cap. 13. de Harsete loquendo sic habet qui familiariter cum eo vixere illud perhibent: ita ipsum ex diuino numine pependisse, atque id omnis generis pietate coluisse, & Virginem eandemque Dei genitricem ita veneratum esse, vt illa manifestò ei apparens, quando prælium committendum esset, præciperet: neque illum facilè prius in aciem descendisse, quam tempus opportunum ab ea cognouisset. Plures insuper alias, & maximas, Narses res gessit, qui Buselinum, & Silduandum bello vicerit, & regiones vsque ad Oceanum omnes Romano Imperio subdiderit: quas res potissimum post Procopium Agatias rector in litteras retulit.

*Zonar.* De Leonis Isauri matre dicit Zonoras to. 3. Quòd Virgo Maria apparuit ei in somnis, & videbatur illa sibi in æde Deiparę, blachernia esse, & cernere Matronam quandam, quã adolescentes candidis induti vestibus comitarentur, & ædes solum sanguine redundare, audireque

Ma-

Matronam illam iubere dari, Imperatoris vas eo sanguine plenum. Quæ cum id aduersaretur, dicere Illustrem illam Matronam: at filius tuus eos, qui me venerantur, sanguine implet, neque intelligit se, & Deum, & filium meum ad iram commouere. Hæc in somnis vidit Leonis Mater, filioque exposuit, obtestata; vt in venerandas Imagines securè desisteret; sed miser homo obsurduerat, Deum lacessere pergebat, sed statim obijt.

Horatius Turcellinus lib.3.cap. 18. Historiæ Lauretanæ, refert. Quòd Anno Domini 1552. In Ciuitate Constantinopolitana, erat quidam Bassà, vocatus Coruz qui habebat sclauum Christianum, qui dixit ipsi Corcuz. Quòd in partibus suis erat Virgo Maria, quæ vocabatur Domina Lauretana, quæ à Christianis adorabatur, & omnibus necessitatibus succurrebat, & quod si vellet sibi libertatem donare, rogaret beatam Virginem, quæ restitueret sanitatem. *Horat. Turcell.*

Mirabilis Deus, & sua Sacratissima Mater; statim vt Bassà fecit votum, Apostema se aperuit, & recepit sanitatē. Audite verba Turcellini, *attulerat is, quē dixi, Bassæ libertus miraculi testimoniū chyrographū Patroni sui: quod Gaspar ex Arabico in vernaculā linguā conuersū, ad posteritatis memoriā asseruari voluit: id autē Latinè versū erat eiusmodi. Quòd bonū fortunatūque nobis esse velit, magnus ac misericors mūdi Dominus. Cū mihi ipsi diuinitùs quidā euenerit, Ego Coruz Bassa (ne meo desim officio) tantæque rei monumentū aliquid posteris extet, rem omnem ordine exponam.*

*Ortū erat atrox apostema nobis in pectore, iāque haud dubiū imminebat exitiū, cū desperata à medicis salute, meus me seruus adijt, & sanè fidenter, si mihi liberrtatem pollicteris (inquit) Dei mei Matrē exorabo, vt pristinā tibi restituat valetudinē. Itaque ego confestim accersito tabellione, libertatē ei promisi, si ipse promissa præstaret. Exēplo seruus positus humi genibus, & quædam super se signa ducens, manu rogitat, vt semet verbo præeunte sequar. Inde ipse praire his verbis cœpit.*

*Ego B. Mariæ Lauretanæ opem imploro. Monenti obsecutus, triduo post, Deo fauente, conualui. Ergo seruo in libertatē vindicato, hoc chyrographū dedi cū votiuis donis, quæ meæ obseruātiæ,*

*tiæ, gratique animi monumenta sint Beatæ Mariæ parenti præpotentis Dei, qui nos saluos velit.*

Dicitur de Theophilo Economo Ecclesiæ Cathedralis Ciuitatis Adanæ, quæ est in Cilicia, qui cum ab Episcopo priuatus esset officio economatus tradidit se Diabolo, & negauit Christum, & suam Sanctissimam Matrem scripto propriæ manus, & proprij nominis; sed non multò post, Deus *qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.*

Dedit ei cognitionem peccatorum suorum, & nesciens vnde se conuerteret, recurrit ad Sanctissimam Virginem peccatorum Aduocatam, vt Sanctus Iacobus in sua Lyturgia dicit. *Vt precibus, & intercessionibus eius, omnes misericordiam consequantur,* ita fecit iste Theophilus, & intrauit in templum Virginis Mariæ, & prostratus ante imaginem Matris Christi cum dolore cordis, & oculorũ lacrymis, supplicabat eam, vt sua Aduocata esset, & obtineret veniam & misericordiam scelerum suorum, & cũ isto dolore perseuerauit per multos dies, tandem verificatum fuit in eo illud prouerbiorum cap. 8.

*Iac. Ap.*

*Ego diligentes me diligo, & qui mane vigilauerint ad me inuenient me,* apparuit ei gloriosa regina Cœlorum acriter repræhendens eum de peccatis suis, eandem impetrauit ei veniam à filio suo, & non multò post migrauit ex hac vita, tanta vitæ sanctitate, vt quando ipsi prębuerint Sãctissimam Eucharistiam respl&etilde;duit facies eius sicut Sol; Surius in mense Februarij.

Quidam religiosus Sancti Francisci, tentatus de fide, volebat discedere à Conuentu, & transiens per Ecclesiã prostrauit se ante Imaginem Virginis Mariæ, & cum lacrymis dicebat Mater Sacratissima, Ego cupiebam seruire Deo, & tibi, sed modo video me derelictum à te, ità vt in infernum habeam, in isto instanti eleuatus fuit in Spiritu, & oculis mentis vidit Virginem Sanctissimam, quæ dixit ei, non te dereliqui, sed probaui, & subito dedit ei nouam lucem, in tantum, quòd cognouit miserum statum suum, & egit pœnitentiam. Croniche ordinis minorum parte 2. lib. 4. cap. 14.

Sollicitauerat Virgo Iustina à Cypriano medio dæmonis,

nis, vt attraheret eam ad amorem suum, sed in ista calamitate succurrit ei Virgo gloriosa, & non solùm liberauit eam, sed traxit ad Deum Cyprianum. S. Gregorius Nazianzenus de Laude S. Cypriani. *Gregor. Naziā.*

Hac de causa sponsus in Cant. cap. 6. vocat eam Sol, *electa vt Sol*, quia illuminat sedentes in tenebris peccatorum, sicut Isaias cap. 9. dicit *habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*, hac de causa vocatur Mater peccatorum: & pro maiori intelligentia huius rei, notandum est illud mysterium Virginis, quando stabat ad pedem Crucis, ibi à filio suo constituta fuit Mater omnium credentium, & eorum, qui sunt in tenebris infidelitatis, qua mediante recepturi erant lumen fidei, dicit ergo Euangelista Ioannes cap. 19. *Io. Euāg.*

*Cum vidisset Iesus Matrem, & discipulum, quem diligebat, dicit Matri suæ, Mulier ecce filius tuus, deinde discipulo: Ecce Mater tua; & ex illa hora, accepit eam discipulus in suam.*

Si consideramus necessitatem temporalem Virginis, non erat necesse, vt Christus de Cruce commendaret eam Sancto Ioanni verbis filij & Matris, quia sine istis verbis Ioannes, & cæteri Apostoli, ac discipuli curam particularem habuissent seruiendi ei, verum est, quòd ipsa non indigebat huiusmodi commendatione illo tempore, sed nostra necessitas ita magna erat, vt etiam requireret circumstantiam illius temporis, vt ostenderet amorem suum erga nos, & amorem eius, cui nos commendabat, quia in hoc facto voluit, vt Virgo curam singularem, & Charitatem maximam ostenderet erga iustos, & peccatores; Simon de Cassia. lib. 13. in eadem verba. *Mulier ecce filius tuus*, vt omni exclusa superfluitate verborum secretum mysterij penetremus Ecclesiam orthodoxam cruci assistentem, omninò reuelato mysterio intelligamus, in Maria omnem singularem animam, nouimus, in Ioanne, filius in græco nomen est amoris, est ergo Virgo Mater Ioannis, idest amoris, quia amat nos, & adiuuat quia vltra hoc Christus meritò suę passionis dedit facultatem hominibus, vt gratia essent filij Dei, & sic sui ipsius fratres. *Simon de Caß.*

*Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine*

*ne eius.* Ioan.cap. 1.& S. Paulus ad Heb.cap. 2. de eodem Christo nostro Redemptore, dicit quòd non veretur vocare fratres suos sanctificatos sua gratia; *qui enim sanctificat, & sanctificatur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur fratres omnes vocare*, voluit Christus isti incóparabili beneficio, addere aliud altissimum donum, & & summam gratiã, quæ fuit hæc, quòd sicut fideles sunt fratres sui, quia mediante gratia, habent pro patre eundemmet patrem naturalem ipsius Christi. Ità cum ipso haberent eandem Matrem, ità vt, sicuti est Mater sua per naturam, ità esset Mater nostra per adoptionem, & sic essemus fratres sui ex parte Patris ex gratia, & ex parte Matris ex adoptione, vt cum esset Mater nostra, ipsa, quę est Mater Dei, amaret nos vt filios, & aduocaret pro nobis, vt dimitterentur peccata nostra. In isto mysterio fundata sunt illa dulcissima verba Sanctæ Ecclesiæ, quando postulat auxilium Virginis cum nomine Matris dicendo,

*Monstra te esse Matrem.*
*Sumat per te preces.*
*Qui pro nobis natus.*
*Tulit esse tuus.*

Chrysost. Idem sentit Diuus Chrysost. Homil. de interdicti arboris Adam quando de ea dixit *mors per Adam vita per Christum: Euam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit: Sed seductio ecce attulit mortem consensus Mariæ sæculo Saluatorem. Restauratur per Mariam, quòd per Euam perierat: per Christum redimitur, quod per Euam fuerat captiuatum, redditur per Mariam vita, qua per Euam fuerat interempta*, & sic videmus, quòd Virgo Maria est Mater peccatorum, sicut dicunt omnes sancti, & sicut habemus ex vna reuelatione, quam Virgo Maria fecit Beatæ Gheltrudæ.

*Apparuit ei Regina Cælorum cooperta pretiosissimo pallio, & vidit, quòd sub pallio recipiebat animalia diuersæ speciei, & omnibus plaudebat maxima benignitate admiratæ Sancta Gheltruda huiusmodi visione rogauit Virginem, vt declararet ei talem visionem, & ipsa declarauit, dicens, quòd diuersitas illorum animalium, significabat diuersitatem peccatorum,*

quam

*quam ipsa Virgo recipiebat: Blos. in monilisper cap. 1. est Virgo Maria sicut Arca Noë, in qua saluata fuerunt animalia venenosa, & animalia mansueta. est Virgo Maria velut altera Rachel, quæ non solùm dedit aquam seruo Abraami, sed etiam suis camelis, sic Maria omnibus succurrit bonis, & malis.* Blos.

*Ideò dicitur Maria, quod in Hebræo sonat, Domina, quia est domina nostra, & vt talis debemus postulare gratias ab ea, dicitur etiam aurora diei Cant. 5. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.*

Tria nomina dat ei Spiritus sanctus, & quidem appropriante, quia Luna, vt notat Innocentius III. Serm. 2. de Assumptione. *Innoc. 3*

*Noctis tempore resplendet, & significat statum peccatorum, Sol de die illuminat, & significat statum gratiæ aurora in mane appa ret, & significat illos, qui agunt pœnitentiam. Igitur his tribus nominibus omnes status est Virgo gloriosa, Luna, quia adiuuat peccatores, est Sol, quia amat iustos, est aurora quia succurrit his, qui transeunt à statu culpæ ad statum gratiæ, dicit ergo Sanctus Pontifex, qui ergo iacet in nocte, culpæ, respiciat Lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium cor eius ad compunctionem illustret, quis enim de nocte inuocauit eam, & non est exauditus ab ea: qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecatur Mariam, vt ipsa per filium cor eius ad satisfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? quia verò militia est vita hominis super terram, quicunque sentit impugnatorem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium mittat auxilium de sancto, & de Sion tueatur, qui est super omnia benedictus in sæcula sæculorum. Amen.*

Dico insuper, quòd ea non solùm adiuuat peccatores eam deprecantes, verùm etiam non orantes Bernardus Sem. 4. in Assumptione Virginis. *Bernar.*

*Laudamus virginitatem (dicit ipse) humilitatem miramur, sed misericordiam miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur, charius recordamur, sæpius, crebrius inuocamus tanta est misericordia sua, vt etiam de maximo peccatore sui ipsius oblito recordetur.*

Si Iudith absque quòd Ciues Betuliæ rogarent eam,

liberauit eos occidendo Holofernum Iudith cap.9.quanto magis faciet hoc Maria, quia in ea magis resplendet charitas, quàm Sol in mundo? etsi Bersabea supplicauit apud Salamonem filium suum pro Adonia Fratre suo 3.Reg.2.quanto plus Virgo Maria supplicabit filium suũ æternum pro peccatoribus?Si Regina Esther ad Assuerũ ingressa est,& veniam obtinuit pro Iudæis, quanto magis Regina cœli obtinebit pro suis deuotis? Sicut excellentissimè cantauit famosissimus Poeta Dantes libr. de Paradiso cap.vltimo.

La tua benignità non pur soccorre.
  A chi domanda,anzi molte fiade.
  Liberamente al dimandar precorre.
In te misericordia,in te pietade.
  In te magnificentia in te s'aduna,
  Quantonque in creatura è di bontade.

Hinc est,quod Beata Virgo in hoc mundo voluit habere multa sacella,ædes,oratoria, templa miraculis plena, vt omnibus pateret quantũ possit in Cœlo apud Deum pro nobis peccatoribus.

*Cum compleßet Salomon templum Domini ædificauit quoque domum suam tredecim annis,ædificauit quoque domum saltus,pro matre sua, vt honoraret eam.* 3.Reg.7. Multò melius filius Dei figuratus in Salomone cum compleßet templũ corporis sui,ædificauit non vnam,sed multas domus,pro sua Sanctissima Matre inspirando Pontifices, Prælatos, Imperatores Reges, vt in diuersis mundi partibus ædificarent templa, & Ecclesias,vbi esset adorata, & fidelib. inuocata;hac de causa dicitur Mater Dei, & Mater peccatorum pro ipsis intercedit.

Certùm est,quòd, qui facit officium mediatoris debet participare de ambobus extremis, & habere amicitiam cum illis,vt doleat de damno vnius, & accessum habeat ad alterum & sic Ionatas erat bonus mediator inter Dauid,& Saul 1. Reg. 20. Similiter Ioseph cum Pharaone, quando fratres sui transierunt in Aegyptum cum fratribus suis habebat parentelam, & cum Pharaone amicitiam;sic est Beata Virgo,quia cùm sit mater Dei,accessũ habet ad Deum, & cum sit Mater peccatorum intercedit

dit pro eis, Leges humanæ ff. de offi. Proc. l. ne quicquam; volunt, vt in repub. fint Aduocati ſtipendiati à Ciuitatibus, vt pauperes propter ægeſtatem, non dimittant cauſas, & lites, ſic fecit Deus in Eccleſia ſua, quæ eſt reſpub. benè gubernata, in qua tenet Virginem Sanctiſſimam, ne pauperes neceſſitate pereant, fiducialiter ergo peccatores dicant eia ergo Aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, ipſa certiſſimè fungetur officio ſuo apud Deum, dicet ad Deum patrem, & ad filium ſuum illud Eſther cap. 14.

*Deus fortis ſuper omnes exaudi vocem eorum, qui nullam aliā ſpem habent, & libera eos de manu iniquorum; tali filiæ quid poteſt denegare Pater? tali Matri quid negabit filius? tali ſponſæ quid non faciet Spiritus ſanctus? recurramus ergo ad ipſam dicendo ſub tuum præſidium confugimus Sancta Dei Genitrix noſtras deprecationes, &c.*

## *Quod Virgo Maria ſit honoranda.*

*Laur. Iuſtin.*

LAurent. Iuſtin. Serm. de Natiuit. Virg. *Nos igitur ad honorem huius Virginis, præcinamus in confeſſione, Deoq; noſtro pſallamus in Cithara, ipſum veneremur in matre, & matrem honoremus in filio: vtrique vota noſtra fideliter exoluamus, quatenus filium Genitrice interpellante pro nobis, vincamus mundum, Diabolum ſuperemus, tentationibus renitamur, conſequamur gratiam, adipiſcamur coronam, atque in regnum introeamus æternum.*

*Idem, Qui Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit fieri Genitricem, reparatricem ſæculi, lucem mundi, ſpeculum ſanctitatis, fidei magiſterium, peregrinationis ſolatium, immaculatum templum, & fœderis Archam, diuinis manibus fabricatam?*

*Archiep. Flor.*

Archiepiſcopus Florentinus 4. part. ſummæ tit. 15. cap. cap. 25. Hanc ait *non ſolùm in mulieribus, ſed & ſuper omnes creaturas, ab omnibus generationibus benedici, atque collaudari, nimirum ab hominibus, & ab Angelis: quia mundi redemptorem, & Angelorum reſtauratorem procreauerit.*

*Dionyſ. Carthuſ.*

Dionyſius Carthuſianus lib. 1. in præfatio de Laudibus Virginis. *Totis viribus laudemus, ac veneremur, præſtantiſſi-*

*mam Dei Matrem, cumque hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egisse condignum, nec beneficijs eius posse idoneam rependere vicem.*

Bernardus epistola 174. Ad Canonicos Lugdunenses. *Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis, vitæ sanctitatem, mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare diuinam. Extolle nescientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, magnifica gratiæ inuentricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum, exalta denique exaltatam super choros Angelorum, ad cælestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare.*

*Fulbert. Carnot.* Fulbertus Carnotensis lib. 25. cap. 15. Opere historiali. *Quas ego tibi laudes, fragilitasque humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio, recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa: accipe quod offerimus, impetra quod rogamus, excusa quod timemus, qui, nec potiorem meritis inuenimus, quã tu, ad placandam iram Iudicis, quæ meruisti esse Mater redemptoris.*

*Andr. Hieros.* Andreas Hierosolymitanus oratione in Salutationem Angelicam.

*Gaude lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis sententia, in lætum gaudij iudicium commutatur. Gaude verè benedicta, gaude Virgo præclarissima, gaude ornatissimum diuinæ gloriæ templum. gaude sacrosanctum Regis palatium; gaude thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adduxit. Gaude electa à Deo, antequam genita: Gaude diuinum inter Deum, atque homines conciliationis prafugium. Gaude thesaure vitæ immortalis. Gaude cœlum, in quo Sol gloriæ splendet, domicilium cœlo præstantius. Gaude vnicum illius, qui nusquam capitur, amplissimum habitaculum. Gaude sancta terra, virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruet.*

*Method.* *Benedicta tu in mulieribus, quam beatam dicunt omnes generationes, quam Reges honorant, principes venerantur, diuites populi obsecrant, virgines, quæ vel præcesserunt, vel sequuntur*

*in templum regis comitantur.*

Methodius. *Hanc omni visibili, & inuisibili creatura praestantiorem esse, nostram inexplicabile gaudium, nomen eius diuinis benedictionibus, & gratijs, omni ex parte abundare, & Deum ipsum, qui Patrem, & Matrem honorare praecepit omnibus, in hac Matre honoranda excellere voluisse: idcircò nullam non gratiam, & immensum honorem illi impartiuisse, & sacrū eius caput floribus nunquàm marcessentibus, coronasse.*

Idem in oratione in Hyppopantem Domini. *Salue in aeternum ineffabile gaudium nostrum, ad te nanque rursus recurrimus, tu festiuitatis nostrae principium, tu medium, tu finis, tu pratiosa caelestis regni margarita, tu verè fons vberrimus totius sanctitatis, tu animatum Altare panis vitae; Salue diuinae charitatis promptuarium: Salue, humanitatis filij fons: Salue Spiritus sancti vmbraculum, in te perbenignè ille conditor, feruentissimae charitatis flammas, quasi confertos quosdam solis radios, est eiaculatus, &c.* Bernar.

Bernardus Homil. de Beata Virgine. *Veneramini coniuges in carne incorruptibili integritatem, miramini etiam vos Sacrae Virgines, in Virgine foecunditatem, imitamini omnes homines Dei Matris humilitatem.*

## ADDITIO.

### *Maria honoranda.*

Quia ab aeterno prędestinata, & electa. Prou. 8 *Ab aeterno ordinata sum ex antiquis.* Ideò de ipsa canitur, *Elegit eam Deus, & praelegit eā.* Quia à Patriarchis, & Regibus generata. Vnde canitur. *Natiuitas gloriosa Virginis Mariae ex semine Abrahae, orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.* Quia à peccato originali praeseruata: Vnde de ea canitur. *Sicut lilium inter spinas.* Item, *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Quia filia gratiae orta: Vnde Numeri 24. *Orietur stella, &c.*

Propter hoc fuit filia Annę, quae interpraetatur gratia, quia omni charismatę cumulata; vndè dicta est gratia

 plena,

plena. Quia prima ad vouendam Virginitatem à Spiritu Sancto inspirata, quia ab vno de summis Archangelis officiosissimè salutata, vnde, *Aue gratia plena*, Quia in matrem Dei electa: Vnde dicit ei Isa. 62. *Terra tua inhabitabitur*, idest, caro tua fœcundabitur. Quia complacuit Domino in te, quia opere Spiritus Sancti Dei filio impraegnata. Vnde Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Ideóque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: quia salua Virginitate Mater effecta; quia nullo portandi filium pondere prægrauata grauidari potuit Maria, non grauari; quia filium pariendo nullo dolore cruciata. Vnde canit Ecclesia.

*Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore Saluatorem, &c.* Quid mirum si dolorem non intulit Matri, quia tollere veniebat dolores totius mundi? Quia filio Dei, & suo in prælatam constitutam; *Et erat subditus illis*, scilicet Mariæ Ioseph Luc. 2. Quia ad nutum ipsius aqua in nuptijs in vinum à filio commutata. Quia filio ad Patrem de hoc mundo transeunte, Virgini Discipulo commendata. Quia loco summi magistri ad docendos Apostolos substituta: Quia in morte temporali, mortis nexibus non depressa: qui sunt putrefatio, vermes, & incineratio:

Propter hoc comparatur cedro, quæ est imputribilis. Quia ante generalem resurrectionem, gloria corporis, & stola duplici coronata. Quia ascendit in cœlum dilecto suo innixa. Quia super vniuersos ordines Angelorum ad dexteram filij in throno gloriæ collocata. Quia super omnem creaturam potestate plenaria ab omnipotente filio, in sua coronatione dotata, & insignita. Quia ab omnibus regibus & principibus mundi fuit honorata benedicta tu in mulieribus. Andreas Hierosolomitanus in salut. Ang. *Quam beatam dicunt omnes generationes: quam Reges honorant, Principes venerantur, & diuites Populi obseruant.*

Andr. Ierosol.

De hac Virgine credo, quod prophetauit Isaias ca. 49. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ vultu in terram dimisso adorabunt te, & puluerem pedem tuorum lingent,* multi fuerunt, qui ad litteram, istam prophetiam executioni mandauere, vt ostenderent amorem suum erga Virginem.

ginem, non solùm verbis, sed operibus.

Quorum primus fuit magnus ille Imperator Constantinus, qui derelinquens Romam, & donans eam Sancto Siluestro, transtulit Imperium Constantinopolim, qui primo dicebatur Bisantium, & vt imperium suum tutum esset, eum sub tutela Virginis commendauit, in tantum, quod semper Bisantini in omnibus occasionibus recurrebant ad eam, sicut Chrysostomus illius Ciuitatis Episcopus in sua Lyturgia dicit. *Qui tuam opitulationem adepti intemerata. & ijs intercessionibus à malis erepti, & per crucem filij tui omninò protecti, ex debito te magnificamus.* *Chrys.*

Secundus fuit Henricus eius nominis Secundus Imperator, cum cognomen Claudi contigit, in colenda Virgine Matre tàm sedulus, vt in medijs etiam peregrinationibus si quando vrbem aliquam ingrederetur, primam quidem noctem precandi gratia in illa æde consumeret, quàm beatæ Mariæ sacram fortè reperisset. *Henr. 2.*

3 Carolus Magnus, qui deuictis Vngaris, templum vnum Sicambriæ, & alterum Aquisgrani mirabili opere constructum, & tertium Campedonæ in honorem sanctæ Dei Genitricis ædificauit, & attributis etiam possessionibus locupletauit. *Carolus magnus*

4 Iustinianus Imperator templum Augustum Hierosolymis Mariæ Deiparæ, sed & Matri eius Annæ constru xit, suumque pium animum, his verbis in codice scriptis orbi prodidit. *Iustin. Imper.*

*Hoc te precantes exoramus sancta & gloriosa semper Virginis & Dei Genitricis Mariæ pracibus, vt quicquid minus est, Reipublicæ Nostræ per nos indignos seruos suos restituat, in suo nomine Deus.* Io. Rossi lib. cap. 5.

5 Leo Imperator dictus magnus, iusta Ciuitatem Constantinopolitanam ædificare cæpit famosissimum templum vbi collocata fuit pretiosissima vestis Virginis Mariæ asportata ex Palestina. *Leo Imperator.*

6 Imperator Phocas, vt Romæ Pantheon ædificatum ab Agrippa, in honorem omnium Deorum, & suæ Matri Cibelles præcepit, vt consecratum esset Sacratissimæ Virgini. *Phocas Impera.*

*Ludouic. 4. Imper.* 7 Imperator Ludouicus IIII. Fuit ita deuotus Virginis, vt cum contigisset sibi transportare imaginem Matris Dei ex Italia in partes Bauariæ patriæ suæ proprijs brachijs portauit, non fidans eam alicui alteri, & collocauit eam in quodam Monasterio intitulato. Assumptio Virginis in Cœlum Zolater lib. 13. Antiopol.

*Henr. 2.* 8 Imperator Henricus II. Qui cum esset in matrimonio conuinctus consensu coniugis suæ vouit Virgini Mariæ perpetuam Virginitatem, & multas ecclesias ædificauit, & diuitijs auxit. Cran. lib. 1. cap. 10.

*Henr. 7.* 9 Imperator Henricus VII. Ita insignis in armis sicut & in religione, erat tam deuotus assumptioni Virginis, vt quando appropinquaretur Festum Assumptionis, non attendebat, nisi deuotioni Virginis. Cuspia. cum vita Henrici.

*Io. Imp.* X. Imperator Ioannes Comnenus, de quo scribit suus Chronista Nicetà in suis Annal. qui cum obtinuisset victoriam scitarum, atque Persarum, auxilio Virginis, rediens ad suam Ciuitatem Constantinopolum, volens cũ triumpho ingredi in eam, præcepit, vt in curru, vbi ipse triumphabat, esset Imago Virginis, & vt omnes proclamarent, quod ei debebatur illa victoria.

*Ludouic. 11. Rex.* Veniamus ad Reges, Primus Ludouicus XI. ordinauit, vt in toto suo regno medio die pulsarentur campanæ ad salutandam Virginem, & partem & concordiam dignaretur conseruare inter fideles, vt sicut est mediatrix infra Cœlum, & terram, ita esset inter homines: Gang. libr. 10. de rebus Fran.

*Hogobertus Rex.* 2 Inclitus Rex Hogobertus honore Virginis restaurauit in Argentina Ecclesiam, quam Clodoueus Rex fundauerat dotans eam multis diuitijs. Cani. libr. 5. capitulo 23.

*Stephan. Rex Vngria.* 3 Stephanus Rex Vngariæ semper in suis necessitatibus recurrebat ad Virginem præsertim in festiuitatibus eiusdem Virginis, & obtinebat quicquid ab ea petebat. Ant. Bonf. lib. 1. de cap. 2. de rebus Hung.

*Ara- Rex* 4 Ioannes Rex Aragoniæ, tanta deuotione afficiebatur erga Virginem, vt suus Chronista lib. 12. historiarum Primi Regis Arago. scripserit, quod tanta se pietate, ac religione

gione Sacrosanctę Virgini obstrictum putabat; vt eidem omnia sua vota commendaret: templa, ác sacella vberius á se ædificata eius nomini redicaret, longum esset recensere deuotionem, & pietatem omnium principium erga Virginem Matrem.

De mulieribus pauca dicam, cum Virgo Maria intercedat pro de voto fœmineo sexu de Sancta Helena habetur apud Eusebium lib. 5. de vita Constantini, quod non solum in Bethelem Sacrãm ædem magnificè construxit, sed & ipsi verbi puerperæ, de sponso eius Ioseph templa condidit, sicut Nicephorus lib. 8. Eccles. histor. c. 30. adnotauit; meminit Eusebius libr. 30. de vita Constant. quòd eadem religiosissima fœmina inter alia, quæ permulta reliquit suæ pietatis documenta gestationem vteri Dei Genitricis admirandis monumentis cohonestauerit, & sacrum illud antrum, vbi Christus de Virgine natus est, multifariam exornarit. *S. Helen.* *Niceph.* *Eusebius*

Pulcheria Theodosij soror religiosissima verè augusta. Virgo simul, & Imperatrix postquã virginitatem suã Deiparæ consecrasset, vt ex Glica habetur parte 4. annalium, ad eiusdem honorem tria quoque templa ex ipsis fundamentis erexit. Primùm in Chalcoprateio sacri sepulchri nomen habuit, in quo Dei Genitricis deposuit Zonam. Alterum viæ Ducum cognomine fuit insignitũ, in quo Mariæ sacram imaginem quam Lucas ipsa Virgine adhuc superstite, suis ipse manib. dipinxerat, & quasdam Saluatoris fascias voluit asseruari. Tertium in Balchernis conditum sepulchralibus Mariæ fascijs clarum est habitum quas Iuuẽnalis hierosolymorum Archiepiscopus miserat è Palestina, quas etiam populus maxima illic veneratione prosequebatur; ac mira fuit horum tẽplorum pulchritudo, aptitudo, atque magnificentia, in quibus subinde peruigilium, & supplicatio ad lucernas, & lampades, sicut ipsa Pulcheria constituerat, á pijs solẽniter peragebatur, eumque morem ad suum vsque sæculum durasse Nicephorus refert lib. 15. hist. Eccl. & c. 14. Excellebat autem illud Dei Genitricis templũ Blachernium; quod etiam cũ ab alijs; tùm Euthimio, & Damasceno de dormitione Virginis commendatur incredibili *Iuuenal.* *Euthim. & Dam*

pul-

*ne eius.* Ioan.cap. 1.& S. Paulus ad Heb.cap. 2. de eodem Christo nostro Redemptore, dicit quòd non veretur vocare fratres suos sanctificatos sua gratia; *qui enim sanctificat, & sanctificatur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur fratres omnes vocare*, voluit Christus isti incōparabili beneficio, addere aliud altissimum donum, & & summam gratiā, quæ fuit hæc, quòd sicut fideles sunt fratres sui, quia mediante gratia, habent pro patre eundemmet patrem naturalem ipsius Christi. Ità cum ipso haberent eandem Matrem, ità vt, sicuti est Mater sua per naturam, ità esset Mater nostra per adoptionem, & sic essemus fratres sui ex parte Patris ex gratia, & ex parte Matris ex adoptione, vt cum esset Mater nostra, ipsa, quę est Mater Dei, amaret nos vt filios, & aduocaret pro nobis, vt dimitterentur peccata nostra. In isto mysterio fundata sunt illa dulcissima verba Sanctæ Ecclesiæ, quando postulat auxilium Virginis cum nomine Matris dicendo,

*Monstra te esse Matrem.*
*Sumat per te preces.*
*Qui pro nobis natus.*
*Tulit esse tuus.*

Chrysost. Idem sentit Diuus Chrysost. Homil. de interdicti arboris Adam quando de ea dixit *mors per Adam vita per Christum: Euam serpens seduxit, Maria Gabrieli consensit: Sed seductio ecce attulit mortem consensus Mariæ saeculo Saluatorem. Restauratur per Mariam, quòd per Euam perierat: per Christum redimitur, quod per Euam fuerat captiuatum, redditur per Mariam vita, qua per Euam fuerat interempta*, & sic videmus, quòd Virgo Maria est Mater peccatorum, sicut dicunt omnes sancti, & sicut habemus ex vna reuelatione, quam Virgo Maria fecit Beatæ Gheltrudæ.

*Apparuit ei Regina Cælorum cooperta pretiosissimo pallio, & vidit, quòd sub pallio recipiebat animalia diuersæ speciei, & omnibus plaudebat maxima benignitate admirata Sancta Gheltruda huiusmodi visione rogauit Virginem, vt declararet ei talem visionem, & ipsa declarauit, dicens, quòd diuersitas illorum animalium, significabat diuersitatem peccatorum,*

*quam*

*quam ipsa Virgo recipiebat: Blos. in monilis per cap. 1. est Virgo Maria sicut Arca Noé, in qua saluata fuerunt animalia venenosa, & animalia mansueta. est Virgo Maria velut altera Rachel, quæ non solùm dedit aquam seruo Abraami, sed etiam suis camelis, sic Maria omnibus succurrit bonis, & malis. Ideò dicitur Maria, quod in Hebræo sonat, Domina, quia est domina nostra, & vt talis debemus postulare gratias ab ea, dicitur etiam aurora diei Cant. 5. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Blos.

Tria nomina dat ei Spiritus sanctus, & quidem appropriante, quia Luna, vt notat Innocentius III. Serm. 2. de Assumptione. Innoc. 3

*Noctis tempore resplendet, & significat statum peccatorum, Sol de die illuminat, & significat statum gratiæ aurora in mane appa ret, & significat illos, qui agunt pœnitentiam. Igitur his tribus nominibus omnes status est Virgo gloriosa, Luna, quia adiuuat peccatores, est Sol, quia amat iustos, est aurora quia succurrit his, qui transeunt à statu culpæ ad statum gratiæ, dicit ergo Sanctus Pontifex, qui ergo iacet in nocte, culpæ, respiciat Lunam, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium cor eius ad compunctionem illustret, quis enim de nocte inuocauit eam, & non est exauditus ab ea: qui verò ad diluculum pœnitentiæ surgit, respiciat auroram, deprecatur Mariam, vt ipsa per filium cor eius ad satisfactionem illuminet. Quis enim deuotè inuocauit eam, & non est exauditus ab ea? quia verò militia est vita hominis super terram, quicunque sentit impugnatorem ab hostibus, vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone, deprecetur Mariam, vt ipsa per filium mittat auxilium de sancto, & de Sion tueatur, qui est super omnia benedictus in sæcula sæculorum. Amen.*

Dico insuper, quòd ea non solùm adiuuat peccatores eam deprecantes, verùm etiam non orantes Bernardus Sem. 4. in Assumptione Virginis. Bernar.

*Laudamus virginitatem (dicit ipse) humilitatem miramur, sed misericordiam miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur, charius recordamur, sæpius, crebrius inuocamus tanta est misericordia sua, vt etiam de maximo peccatore sui ipsius oblito recordetur.*

Si Iudith absque quòd Ciues Betuliæ rogarent eam,

liberauit eos occidendo Holofernum Iudith cap.9.quan to magis faciet hoc Maria, quia in ea magis resplendet charitas, quàm Sol in mundo? etsi Bersabea supplicauit apud Salamonem filium suum pro Adonia Fratre suo 3.Reg.2.quanto plus Virgo Maria supplicabit filium suũ æternum pro peccatoribus?Si Regina Esther ad Assuerũ ingressa est,& veniam obtinuit pro Iudæis, quanto magis Regina cœli obtinebit pro suis deuotis? Sicut excellentissimè cantauit famosissimus Poeta Dantes libr. de Paradiso cap.vltimo.

La tua benignità non pur soccorre.
 A chi domanda,anzi molte fiade.
 Liberamente al dimandar precorre.
In te misericordia,in te pietade.
 In te magnificentia in te s'aduna,
 Quantonque in creatura è di bontade.

Hinc est,quod Beata Virgo in hoc mundo voluit habere multa sacella,ædes,oratoria, templa miraculis plena, vt omnibus pateret quantũ possit in Cœlo apud Deum pro nobis peccatoribus.

*Cum compleßet Salomon templum Domini ædificauit quoque domum suam tredecim annis,ædificauit quoque domum sal tus,pro matre sua, vt honoraret eam.* 3.Reg.7. Multò melius filius Dei figuratus in Salomone cum compleßet templũ corporis sui,ædificauit non vnam,sed multas domus,pro sua Sanctissima Matre inspirando Pontifices, Prælatos, Imperatores Reges, vt in diuersis mundi partibus ædificarent templa, & Ecclesias,vbi esset adorata, & fidelib. inuocata;hac de causa dicitur Mater Dei, & Mater peccatorum pro ipsis intercedit.

Certùm est,quòd, qui facit officium mediatoris debet participare de ambobus extremis, & habere amicitiam cum illis,vt doleat de damno vnius, & accessum habeat ad alterum & sic Ionatas erat bonus mediator inter Dauid,& Saul 1. Reg. 20. Similiter Ioseph cum Pharaone, quando fratres sui transierunt in Aegyptum cum fratribus suis habebat parentelam, & cum Pharaone amicitiam;sic est Beata Virgo,quia cùm sit mater Dei,accessũ habet ad Deum, & cum sit Mater peccatorum intercedit

dit pro eis, Leges humanæ ff. de offi. Proc. l. ne quicquam; volunt, vt in repub. fint Aduocati ftipendiati à Ciuitatibus, vt pauperes propter ægeftatem, non dimittant cau fas, & lites, fic fecit Deus in Ecclefia fua, quæ eft refpub. benè gubernata, in qua tenet Virginem Sanctiffimam, ne pauperes neceffitate pereant, fiducialiter ergo peccatores dicant eia ergo Aduocata noftra, illos tuos mifericordes oculos ad nos conuerte, ipfa certiffimè fungetur officio fuo apud Deum, dicet ad Deum patrem, & ad filium fuum illud Efther cap. 14.

*Deus fortis fuper omnes exaudi vocem eorum, qui nullam aliã fpem habent, & libera eos de manu iniquorum; tali filiæ quid poteft denegare Pater? tali Matri quid negabit filius? tali fponfæ quid non faciet Spiritus fanctus? recurramus ergo ad ipfam dicendo fub tuum præfidium confugimus Sancta Dei Genitrix noftras deprecationes, &c.*

## *Quod Virgo Maria fit honoranda.*

Laur. Iuftin.

LAurent. Iuftin. Serm. de Natiuit. Virg. *Nos igitur ad honorem huius Virginis, præcinamus in confeffione, Deoq; noftro pfallamus in Cithara, ipfum veneremur in matre, & matrem honoremus in filio: vtrique vota noftra fideliter exoluamus, quatenus filium Genitrice interpellante pro nobis, vincamus mundum, Diabolum fuperemus, tentationibus renitamur, confequamur gratiam, adipifcamur coronam, atque in regnum introeamus æternum.*

*Idem, Qui Deum non honoret in Virgine, qui Virginem Dei voluit fieri Genitricem, reparatricem fæculi, lucem mundi, fpeculum fanctitatis, fidei magifterium, peregrinationis folatium, immaculatum templum, & fœderis Archam, diuinis manibus fabricatam?*

Archiep. Flor.

Archiepifcopus Florentinus 4. part. fummæ tit. 15. cap. cap. 25. Hanc ait *non folùm in mulieribus, fed & fuper omnes creaturas, ab omnibus generationibus benedici, atque collaudari, nimirum ab hominibus, & ab Angelis: quia mundi redemptorem, & Angelorum reftauratorem procreauerit.*

Dionyf. Carthuf.

Dionyfius Carthufianus lib. 1. in præfatio de Laudibus Virginis. *Totis viribus laudemus, ac veneremur, præftantiffi-*

*mam Dei Matrem, cumque hoc ipsum egerimus, recognoscamus nos nihil egiße condignum, nec beneficijs eius posse idoneam rependere vicem.*

Bernardus epistola 174. Ad Canonicos Lugdunenses.
*Virgo regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum. Honora sane integritatem carnis, vitæ sanctitatem, mirare fœcunditatem in Virgine, prolem venerare diuinam. Extolle nescientem, vel in concipiendo concupiscentiam, vel in pariendo dolorem. Prædica reuerendam Angelis, desideratam gentibus, Patriarchis, Prophetisque præcognitam, electam ex omnibus, magnifica gratiæ inuentricem, mediatricem salutis, restauratricem sæculorum, exalta denique exaltatam super choros Angelorum, ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cantat Ecclesia, & me eadem docuit decantare.*

*Fulbert. Carnot.* Fulbertus Carnotensis lib. 25. cap. 15. Opere historiali.
*Quas ego tibi laudes, fragilitasque humani generis persoluet, quæ solo tuo commercio, recuperandi aditum inuenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa: accipe quod offerimus, impetra quod rogamus, excusa quod timemus, qui, nec potiorem meritis inuenimus, quã tu, ad placandam iram Iudicis, quæ meruisti esse Mater redemptoris.*

*Andr. Hieroso.* Andreas Hierosolymitanus oratione in Salutationem Angelicam.
*Gaude lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis sententia, in lætum gaudij iudicium commutatur. Gaude verè benedicta, gaude Virgo præclarissima, gaude ornatissimum diuinæ gloriæ templum gaude sacrosanctum Regis palatium; gaude thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adduxit. Gaude electa à Deo, antequam genita; Gaude diuinum inter Deum, atque homines conciliationis præsugium. Gaude thesaure vitæ immortalis. Gaude cœlum, in quo Sol gloriæ splendet, domicilium cœlo præstantius. Gaude vnicum illius, qui nusquam capitur, amplissimum habitaculum. Gaude sancta terra, virginea, ex qua nouus Adam formatur, qui veterem Adam seruet.*

*Method.* *Benedicta tu in mulieribus, quam beatam dicunt omnes generationes, quam Reges honorant, principes venerantur, diuites populi obsecrant, virgines, quæ vel præcesserunt, vel sequuntur*

in templum regis comitantur.

Methodius. *Hanc omni visibili, & inuisibili creatura praestantiorem esse, nostram inexplicabile gaudium, nomen eius diuinis benedictionibus, & gratijs, omni ex parte abundare, & Deum ipsum, qui Patrem, & Matrem honorare praecepit omnibus, in hac Matre honoranda excellere voluisse: idcirco nullam non gratiam, & immensum honorem illi impartiuisse, & sacrũ eius caput floribus nunquàm marcessentibus, coronasse.*

Idem in oratione in Hyppopantem Domini. *Salue in aeternum ineffabile gaudium nostrum, ad te nanque rursus recurrimus, tu festiuitatis nostrae principium, tu medium, tu finis, tu pratiosa caelestis regni margarita, tu verè fons vberrimus totius sanctitatis, tu animatum Altare panis vitae; Salue diuinae charitatis promptuarium: Salue, humanitatis filij fons: Salue Spiritus sancti vmbraculum, in te perbenignè ille conditor, feruentissimae charitatis flammas, quasi confertos quosdam solis radios, est eiaculatus, &c.* Bernar.

Bernardus Homil. de Beata Virgine. *Veneramini coniuges in carne incorruptibili integritatem, miramini etiam vos Sacrae Virgines, in Virgine faecunditatem, imitamini omnes homines Dei Matris humilitatem.*

## ADDITIO.

### *Maria honoranda.*

Quia ab aeterno prędestinata, & electa. Prou. 8 *Ab aeterno ordinata sum ex antiquis.* Ideò de ipsa canitur, *Elegit eam Deus, & praelegit eã.* Quia à Patriarchis, & Regibus generata. Vnde canitur. *Natiuitas gloriosa Virginis Mariae ex semine Abrahe, orta de Tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid.* Quia à peccato originali praeseruata: Vnde de ea canitur. *Sicut lilium inter spinas.* Item, *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus.* Quia filia gratiae orta: Vnde Numeri 24. *Orietur stella, &c.*

Propter hoc fuit filia Annę, quae interpraetatur gratia, quia omni charismate cumulata; vndè dicta est gratia

plena. Quia prima ad vouendam Virginitatem à Spiritu Sancto inspirata, quia ab vno de summis Archangelis officiosissimè salutata, vnde, *Aue gratia plena*, Quia in matrem Dei electa: Vndè dicit ei Isa. 62. *Terra tua inhabitabitur*, idest, caro tua fœcundabitur. Quia complacuit Domino in te, quia opere Spiritus Sancti Dei filio imprægnata. Vnde Lucæ 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, &c.* Ideòque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei: quia salua Virginitate Mater effecta; quia nullo portandi filium pondere prægrauata grauidari potuit Maria, non grauari; quia filium pariendo nullo dolore cruciata. Vnde canit Ecclesia.

*Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore Saluatorem, &c.* Quid mirum si dolorem non intulit Matri, quia tollere veniebat dolores totius mundi? Quia filio Dei, & suo in prælatam constitutam; *Et erat subditus illis*, scilicet Mariæ Ioseph Luc. 2. Quia ad nutum ipsius aqua in nuptijs in vinum à filio commutata. Quia filio ad Patrem de hoc mundo transeunte, Virgini Discipulo commendata. Quia loco summi magistri ad docendos Apostolos substituta: Quia in morte temporali, mortis nexibus non depręssa: qui sunt putrefatio, vermes, & incineratio:

Propter hoc comparatur cedro, quæ est imputribilis. Quia ante generalem resurrectionem, gloria corporis, & stola duplici coronata. Quia ascendit in cœlum dilecto suo innixa. Quia super vniuersos ordines Angelorum ad dexteram filij in throno gloriæ collocata. Quia super omnem creaturam potestate plenaria ab omnipotente filio, in sua coronatione dotata, & insignita. Quia ab omnibus regibus & principibus mundi fuit honorata benedicta tu in mulieribus. Andreas Hierosolomitanus in salut. Ang. *Quam beatam dicunt omnes generationes: quam Reges honorant, Principes venerantur, & diuites Populi obseruant.*

Andr. Ierosol.

De hac Virgine credo, quod prophetauit Isaias ca. 49. *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ vultu in terram dimisso adorabunt te, & puluerem pedem tuorum lingent*, multi fuerunt, qui ad litteram, istam prophetiam executioni mandauere, vt ostenderent amorem suum erga Virginem.

ginem,non solùm verbis, sed operibus.

Quorum primus fuit magnus ille Imperator Constantinus,qui derelinquens Romam, & donans eam Sancto Siluestro, transtulit Imperium Constantinopolim, qui primo dicebatur Bisantium, & vt imperium suum tutum esset,eum sub tutela Virginis commendauit,in tantum,quod semper Bisantini in omnibus occasionibus recurrebant ad eam, sicut Chrysostomus illius Ciuitatis Episcopus in sua Lyturgia dicit. *Qui tuam opitulationem adepti intemerata. & ijs intercessionibus à malis erepti, & per crucem filij tui omninò protecti; ex debito te magnificamus.* *Chrys.*

Secundus fuit Henricus eius nominis Secundus Imperator,cum cognomen Claudi contigit,in colenda Virgine Matre tàm sedulus, vt in medijs etiam peregrinationibus si quando vrbem aliquam ingrederetur, primam quidem noctem precandi gratia in illa æde consumeret, quàm beatæ Mariæ sacram fortè reperisset. *Henr. 2.*

3 Carolus Magnus, qui deuictis Vngaris, templum vnum Sicambriæ,& alterum Aquisgrani mirabili opere constructum, & tertium Campedonæ in honorem sanctæ Dei Genitricis ædificauit, & attributis etiam possessionibus locupletauit. *Carolus magnus.*

4 Iustinianus Imperator templum Augustum Hierosolymis Mariæ Deiparæ,sed & Matri eius Annæ construxit,suumque pium animum,his verbis in codice scriptis orbi prodidit. *Iustin. Imper.*

*Hoc te precantes exoramus sancta & gloriosæ semper Virginis & Dei Genitricis Mariæ precibus,vt quicquid minus est. Reipublicæ Nostræ per nos indignos seruos suos restituat, in suo nomine Deus.* Io. Rossi lib. cap. 5.

5 Leo Imperator dictus magnus, iusta Ciuitatem Constantinopolitanam ædificare cæpit famosissimum templum vbi collocata fuit pretiosissima vestis Virginis Mariæ asportata ex Palestina. *Leo Imperator.*

6 Imperator Phocas, vt Romæ Pantheon ædificatum ab Agrippa,in honorem omnium Deorum,& suæ Matri Cibelles precepit,vt consecratum esset Sacratissimę Virgini. *Phocas Impera.*

*Ludouic. 4. Imper.* 7 Imperator Ludouicus IIII. Fuit ita deuotus Virginis, vt cum contigisset sibi transportare imaginem Matris Dei ex Italia in partes Bauariæ patriæ suæ proprijs brachijs portauit, non fidans eam alicui alteri, & collocauit eam in quodam Monasterio intitulato. Assumptio Virginis in Cœlum Zolater lib. 13. Antiopol.

*Henr. 2.* 8 Imperator Henricus II. Qui cum esset in matrimonio coniunctus consensu coniugis suæ vouit Virgini Mariæ perpetuam Virginitatem, & multas ecclesias ædificauit, & diuitijs auxit. Cran. lib. 1. cap. 10.

*Henr. 7.* 9 Imperator Henricus VII. Ita insignis in armis sicut & in religione, erat tam deuotus assumptioni Virginis, vt quando appropinquaretur Festum Assumptionis, non attendebat, nisi deuotioni Virginis. Cuspia. cum vita Henrici.

*Io. Imp.* X. Imperator Ioannes Comnenus, de quo scribit suus Chronista Nicetà in suis Annal. qui cum obtinuisset victoriam scitarum, atque Persarum, auxilio Virginis, rediens ad suam Ciuitatem Constantinopolum, volens cũ triumpho ingredi in eam, præcepit, vt in curru, vbi ipse triumphabat, esset Imago Virginis, & vt omnes proclamarent, quod ei debebatur illa victoria.

*Ludouic. 11. Rex.* Veniamus ad Reges, Primus Ludouicus XI. ordinauit, vt in toto suo regno medio die pulsarentur campanæ ad salutandam Virginem, & partem & concordiam dignaretur conseruare inter fideles, vt sicut est mediatrix infra Cœlum, & terram, ita esset inter homines: Gang. libr. 10. de rebus Fran.

*Hogobertus Rex.* 2 Inclitus Rex Hogobertus honore Virginis restaurauit in Argentina Ecclesiam, quam Clodoueus Rex fundauerat dotans eam multis diuitijs. Cani. libr. 5. capitulo 23.

*Stephan. Rex Vngariæ.* 3 Stephanus Rex Vngariæ semper in suis necessitatibus recurrebat, ad Virginem præsertim in festiuitatibus eiusdem Virginis, & obtinebat quicquid ab ea petebat. Ant. Bonf. lib. 1. de cap. 2. de rebus Hung.

*Io. Aragon. Rex* 4 Ioannes Rex Aragoniç, tanta deuotione afficiebatur erga Virginem, vt suus Chronista lib. 12. historiarum Primi Regis Arago, scripserit, quod tanta se pietate, ac religione

gione Sacrosanctę Virgini obstrictum putabat; vt eidem omnia sua vota commendaret: templa, ác sacella vberius á se ædificata eius nomini redicaret, longum esset recensere deuotionem, & pietatem omnium principium erga Virginem Matrem.

De mulieribus pauca dicam, cum Virgo Maria intercedat pro de voto fœmineo sexu de Sancta Helena habetur apud Eusebium lib. 5. de vita Constantini, quod non solum in Bethelem Sacrâm ædem magnificè construxit, sed & ipsi verbi puerperæ, de sponso eius Ioseph templa condidit, sicut Nicephórus lib 8. Eccles. histor. c. 30. adnotauit; meminit Eusebius libr. 30. de vita Constant. quòd eadem religiosissima fœmina inter alia, quæ permulta reliquit suæ pietatis documenta gestationem vteri Dei Genitricis admirandis monumentis cohonestauerit, & sacrum illud antrum, vbi Christus de Virgine natus est, multifariam exornarit. *S.Helen.* *Niceph.* *Eusebius*

Pulcheria Theodosij soror religiosissima verè augusta. Virgo simul, & Imperatrix postquã virginitatem suã Deiparæ consecrasset, vt ex Glica habetur parte 4. annalium, ad eiusdem honorem tria quoqne templa ex ipsis fundamentis erexit. Primùm in Chalcoprateio sacri sepulchri nomen habuit, in quo Dei Genitricis deposuit Zonam. Alterum viæ Ducum cognomine fuit insignitũ; in quo Mariæ sacram imaginem quam Lucas ipsa Virgine adhuc superstite, suis ipse manib. dipinxerat, & quasdam Saluatoris fascias voluit afferuari. Tertium in Balchernis conditum sepulchralibus Mariæ fascijs clarum est habitum quas Iuuénalis hierosolymorum Archiepiscopus miserat è Palestina, quas etiam populus maxima illic veneratione prosequebatur; ac mira fuit horum tẽplorum pulchritudo, aptitudo, atque magnificentia, in quibus subinde peruigilium, & supplicatio ad lucernas, & lampades, sicut ipsa Pulcheria constituerat, á pijs solẽniter peragebatur, eumque morem ad suum vsque sæculum durasse Nicephorus refert lib. 15. hist. Eccl. & c. 14. Excellebat autem illud Dei Genitricis templũ Blachernium; quod etiam cũ ab alijs; tùm Euthimio, & Damasceno de dormitione Virginis commendatur incredibili *Iuuenal.* *Euthim.* *& Dam.*

pul-

pulchretudine, & omnis generis ornamentis conspicuũ, quod multorum sæpe comprecantiam, & Mariam inuocantium frequentia celebratur. & vnum particulare noto, quod Apostolorum sæculo Deiparæ Virgini nondum defunctæ templa quædam extrui cæpta fuerint, quod scribit sanè Raphael Volaterranus lib. 11. Geograph. An taradum, ante Aradum Tripoleos Oppidum in Insula situm esse, (hodie autem Tortosa dicitur,) ibique sacellum extare, quod primum omnium Diuæ Genitrici Petrus Apostolus Princeps excitauerit, & in quo primum ipse quoque sacrificauerit. Tum Romæ non procul à Beati Pauli Basilica, vel sicuti vocant apud tres fontes extat sacellum cum inscriptione, hoc templum esse secundum Deiparę consecratum: qui verò Hispaniam, & res gestas illic Iacobi Apostoli describunt & explicant, constanter affirmant; Sanctissimam Virginem in Ciuitate Cæsaraugusta eidem Apostolo apparuisse, & post apparitionem templum, vel sacellum, quod nunc etiam est celeberrimum, & Domina Pilaris appellatur, eodem authore institutum, ac dedicatum fuisse. Hanc vero primam in toto orbe Christianorum Ecclesiam faciunt, atque ita se rem habere, varijs modis, & tabulis, & testimonijs & miraculis, perpetuamque eius genetricis famam, simulet & celebri traditione multi cõfirmant; clarum est igitur, quòd ab omnibus fidelibus semper fuit honorata.

*Raphael Volater.*

FINIS.



REGESTVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V.

Omnia ſunt integra folia.



BRIXIAE, M DC XXIV.

Apud Bartholomæum Fontanam.